280-B
BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM,
BENITIÆ.
No.

PRESENTED

AT

ST. CATHERINE'S, BENICIA,

APRIL 5, 1879,

TO

Very Rev. Vincent Pinyes, O. P.

FOR HIS PERSONAL USE,

BY THE

CLASS OF 1880.

INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

A LA MÊME LIBRAIRIE.

LES

ESPÉRANCES DE L'ÉGLISE

PAR LE R. P. RAMIÈRE

de la Compagnie de Jésus

1 fort vol. de 800 pages..... 5 fr.

Église (l') **et le Pape**, par le R. P. Marin DE BOYLESVE. 1 vol. in-12. 2 fr.

Conférences prêchées à Londres par Mgr Manning sur le pouvoir temporel du Pape. 1 beau vol. in-12..... 3 fr. 50

Ravignan (le R. P. de), sa vie, ses œuvres, par M. Poujoulat. 2e édition, avec une nouvelle préface. 1 beau vol. in-12..... 3 fr. 50

Explication des Évangiles des dimanches et fêtes principales, extraite textuellement des Homélies du cardinal de La Luzerne, par l'abbé MERTIAN, curé de Juilly. 2 vol. in-12..... 4 fr.

Souvenirs de l'ancienne Église d'Afrique; ouvrage traduit en partie de l'italien, par le P. CAHIER, de la Compagnie de Jésus. 1 vol. in-12, magnifique édition..... 3 fr. 50

Memoriale vitæ sacerdotalis, a Claudio ARVISENET, vicario generali Trecensi. 1 vol. grand in-32. Nouvelle édition..... 1 fr.

Vérité (la) **de l'Évangile**, par M. F. NETTEMENT. 1 beau vol. in-8... 5 fr.

Monde (le) **nouveau**, ou Le monde de Jésus-Christ, par M. PRADIÉ. 1 beau vol. in-8..... 6 fr.

Imitation (l') **de Jésus-Christ** expliquée verset par verset; traduction nouvelle avec texte latin en regard; ouvrage approuvé par Mgr l'Évêque d'Amiens, par M. l'abbé HERBET, chanoine honoraire d'Amiens. 2 beaux vol. in-12, édition soignée..... 6 fr.

— LE MÊME OUVRAGE, en 2 magnifiques vol. in-8, édition de luxe..... 12 fr.

Mois sacerdotal, ou 30 jours de méditations sur les principales vertus de Notre-Seigneur Jésus-Christ, considéré comme modèle du prêtre, précédé de dix méditations préparatoires; traduit du *Sacerdos christianus* de Louis Abelly, évêque de Rodez, par M. l'abbé GOBAILLE, chanoine de Soissons et ancien supérieur du grand séminaire. 1 vol. in-18, broché..... 75 c.

Vérité (la) **catholique**, brièvement exposée et victorieusement démontrée, par le P. GAUTRELET, de la Compagnie de Jésus. 1 vol. in-18..... 75 c.

Guide (le) **spirituel**, par le P. L. DU PONT, de la Compagnie de Jésus, auteur des *Méditations sur les mystères de la foi*; traduit de l'espagnol par le R. P. BRIGNON. Nouvelle édition, revue par le R. P. GAYDOU, de la même Compagnie. 2 gros vol. in-12, contenant la matière de 4 vol. in-12..... 10 fr.

CORBEIL. — TYP. ET STÉR. DE CRÉTÉ.

TRACTATUS

DE

JUDICIIS ECCLESIASTICIS

UBI ET DE VICARIO GENERALI EPISCOPI,

AUCTORE

D. BOUIX,

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE.

EDITIO SECUNDA

Canonum statuta custodiantur ab omnibus : et nemo in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. (Capite 1, tituli 2 *de Constitutionibus*, libri 1 Decretalium, ex concilio Meldensi anni 845, in Gallia.)

TOMUS SECUNDUS

APUD PERISSE FRATRES CATHOLICOS BIBLIOPOLAS

(IN RECENTIORI DOMO)

REGIS RUFFET ET SOCIIS, SUCCESSORIBUS

PARISIIS	BRUXELLIS
VIA SANCTI-SULPITII, 32.	FORO SANCTÆ-GUDULÆ, 4.

1866

TRACTATUS

DE

JUDICIIS ECCLESIASTICIS

PARS II.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS IN SPECIE.

SECTIO III

DE PROCESSU CRIMINALI ORDINARIO.

Præsentem sectionem, utpote materiis refertissimam, dividendam duximus in quatuor *subsectiones*, hoc nempe ordine : subsectio 1ª, de variis processus criminalis ordinarii formis; subsectio 2ª, tela processus criminalis ordinarii ab initio usque ad contestatam litem; subsectio 3ª, tela ejusdem usque ad sententiam definitivam; subsectio 4ª, tela ejusdem a sententia definitiva usque ad finem.

Quamvis autem separatim de processu *criminali* et *civili* dicere proposuerim, id non ita rigorose servandum mihi præstitui, ut de re criminali agens ad civilis processus normam nunquam excurrerem. Multa nempe, ob materiarum connexionem, commodius de utroque simul processu exponuntur. Quæ vero in hac sectione, sic anticipando, de civili processu præmisero, postea de dicto processu civili ex professo agendo, tanquam tradita jam et expensa commemorabo.

Acc. 4916 Acc. 4916

Remanet ut lectorem præmoneam cur præsens sectio, de processu criminali *ordinario* inscribatur; sequens vero de processu criminali *extraordinario*.

Non unam scilicet judiciis criminalibus normam, sed multiplicem sacri canones sanxere. Nam dari processum criminalem 1° per *viam accusationis;* 2° per *viam denuntiationis;* 3° per *viam inquisitionis,* aperte traditur ab Innocentio III, in celebri decretali *Qualiter et quando* (24, tit. 1, libri 5 Decretalium). Dari insuper 4° processum criminalem per *viam exceptionis,* colligitur ex capite *Super his* (16, tit. 1, libri 5 Decret.). His addendus 5° processus *ex notorio,* in casibus notorii criminis adhibendus; 6° processus *summarius,* in certis circumstantiis per canones permissus; 7° forma extra-judicialis sententiarum *ex informata conscientia* a Synodo Tridentina introducta; 8° processus inquisitionis *ex sancto officio* seu *contra hæreticam pravitatem,* qui criminibus ad hæresim pertinentibus peculiaris est. Ex his porro criminalis processus formis quatuor priores, quia in omnibus generatim criminalibus causis locum habent, sub *ordinarii* processus criminalis denominatione comprehendimus; et de iis quatuor dumtaxat in præsenti sectione tractamus.

Cæteras vero formas, quoniam certis quibusdam casibus, vel certis quibusdam causis, peculiares sunt, *extra-ordinarii* processus criminalis nomine donavimus, et de his in sequenti sectione disseritur.

SUBSECTIO I.

DE VARIIS PROCESSUS CRIMINALIS ORDINARII FORMIS.

Dicemus 1° de norma procedendi per accusationis viam; 2° de norma procedendi per denuntiationis viam; 3° de norma procedendi per inquisitionis viam; 4° de norma procedendi per

exceptionis viam; 5° subjungemus de accusatorio et inquisitorio processu disquisitionem historico-criticam.

CAPUT I.

NORMA PROCEDENDI PER ACCUSATIONIS VIAM.

De processu per viam accusationis eo accuratius nobis tractandum est, quod juris communis de hac re dispositiones, ex parte saltem, abierint in desuetudinem; atque etiam in dubium vocari possit, an unquam hodie huic procedendi formæ detur locus. Hinc expendemus 1° quid in hac materia a jure communi determinatum reperiamus; 2° an subscriptio in pœnam talionis revera fuerit a jure canonico decreta, et quid de hac pœna talionis censendum sit; 3° an et qua ex parte jus commune de forma accusatoria hodie immutatum censendum sit.

§ I.

Forma per viam accusationis procedendi, prout determinatareperitur ex jure communi canonico.

Dicemus 1° de recta accusationis definitione; 2° quænam conditiones requirantur in modo ipso accusationem proponendi; 3° quinam accusare possint; 4° quinam possint accusari; 5° effectus accusationis quoad judicem; 6° effectus accusationis quoad accusatorem; 7° effectus accusationis quoad accusatum; 6° quibus modis tollatur seu extinguatur criminalis accusatio.

I.

De recta accusationis notione seu definitione.

Accusare, est declarare aliquem esse alicujus delicti auctorem : de quo generali sensu nulla est apud doctores contro-

versia. Ut autem ejusmodi declaratio in strictiori juris sensu *accusationis* nomine donari possit, ex usu loquendi apud omnes recepto, nonnullæ requiruntur conditiones. 1° Nempe requiritur ut talis declaratio fiat judici. Nam si ego coram amicis meis affirmem Titium deliquisse, nullatenus hæc mea affirmatio accusatio in sensu juris erit, utpote non in judicio seu apud judicem, sed apud alios facta. Sed neque sufficit ut ipsi judici deliquisse aliquem declaretur : nam 2° nisi simul id fiat in hunc scopum ut accusatus vindicta publica coerceatur, nondum aderit accusatio proprie dicta. Si enim delictum a Titio patratum judici notum faciam, in hunc dumtaxat finem, ut damnum mihi per ejusmodi delictum illatum Titius resarcire cogatur, *actor* dumtaxat contra Titium ero, non autem *accusator*. Item si Titii delictum superiori deferam, non ut condigne puniatur Titius, neque ut damnum mihi resarciat, sed solum ut a superiore paterne admoneatur et reprehendatur, a me facta o n dicetur *accusatio*, sed denuntiatio seu delatio. Unde ad essentiam accusationis proprie dictæ omnino pertinet, ut fiat ad *vindictam publicam*. Et ita communiter sentire canonistas, videri potest in eorum commentariis ad titulum 1, libri 5 Decretalium. 3° Atvero neque prædicta declaratio judici facta ad vindictam publicam, sufficit ad constituendam proprie dictam accusationem; sed insuper requiritur ut qui ita affirmat, sese obliget ad probandam in judicio affirmationis suæ veritatem. Nam si judici dicam a Titio patratam fuisse simoniam, et petam ut juxta leges id facinus plectatur, sed refugiam ab onere probandi in judicio quod affirmavi, nondum in sensu juris *accusator* ero, sed denuntiatoris seu delatoris nomen retinebo. Potest enim fieri denuntiatio etiam ad vindictam publicam obtinendam; nec desinit esse *mera denuntiatio*, ut in accusationem transeat, nisi quando denuntians rem assertam in judicio probandi onus assumit. Hinc recte Lessius, de judice loquens : « *Via accusa-* « *tionis* procedit, quando est aliquis actor, qui spondet se ob- « jecta probaturum : *denuntiationis* vero, quando aliquis detu- « lit crimen qui non vult suscipere onus probandi. Hoc enim

« differunt accusator et simplex denuntiator, quod accusatori « incumbit onus probandi ; denuntiatori minime. » (Lessius, *de Justitia et jure*, lib. 2, cap. 29, dub. 12, n. 103.)

Determinata autem prædicto modo accusationis stricte sumptæ notione, facile poterit recta ejusdem concinnari definitio : accusare scilicet in sensu juris est, *aliquem deliquisse judici affirmare, ad publicam vindictam, et assumpto probandi onere.*

II.

Conditiones a jure requisitæ in modo ipso accusationem proponendi.

Prima conditio. — *Debet accusatio proponi in scriptis, seu per libellum.* — Constat illa generalis regula ex canone *Accusatorum* (1, quæstionis 8, causæ 2) : *Accusatorum personæ nunquam recipiantur sine scripto.* Constat insuper ex lege Justinianea *Libellorum* (3; tituli 2, libri 48 digestorum) : *Libellorum inscriptionis conceptio talis erit, etc.* Quæ verba supponunt accusationem non posse fieri nisi per *libellum*, ac proinde nisi in scriptis. Patitur tamen generalis hæc regula duplicem limitationem : 1° ex generali consuetudine potest accusatio fieri oretenus et sine scriptura, *dummodo per notarium vel actuarium publicum in scriptis redigatur.* Ita tenent canonistæ communiter, ut videre est apud Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 6), et alios, ubi titulum 2, libri 5 Decretalium commentariis illustrant. Dici autem absolute posset id non esse exceptionem ad præmissam generalem regulam, cum etiam in hoc casu interveniat *scripta accusatio*, quod solum requirere videntur citati juris textus. 2° In levioribus criminibus necesse non est scriptam proferri accusationem. Constat ex eo quod talia crimina judicari debeant *de plano*, idest, non servato judiciario ordine, prout sancitur lege *Levia* (6, tit. 2, libri 48 Pandectarum) : *Levia crimina audire et discutere de plano proconsulem oportet;* quæ lex in jure canonico (utpote in hoc non contrario) recepta censenda est.

Secunda conditio. — *Libellus accusatorius debet esse rite formatus.* — Debet nempe exprimere *nomen judicis* apud quem fit accusatio; quatenus cognosci valeat an sit competens : *nomen accusatoris et accusati;* ut appareat an sint tales qui accusare vel accusari valeant : *speciem delicti;* quia accusatio delicti in genere, sicut probari nequit, ita omnino rejicienda est; nec posset judex, nisi delictum determinaretur, debitam pœnam æstimare : *locum;* quia alioquin deesset reo facultas sese defendendi, probando negativam quoad talem locum, et sic testes falsitatis convincendo : *annum et mensem;* ob expositam rationem quoad locum. Quæ omnia, præterquam quod lege naturali suadentur, constant expresse ex citata lege *Libellorum* (3, ff. *de Accusat.*), in foro ecclesiastico receptam. In formula enim ibi pro formando libello præscripta, exprimendum indicitur nomen judicis, accusatoris et accusati, cum specificatione criminis, nec non anno et mense. Et quoad locum sic subjungitur : *Utique enim et locus designandus est...; hoc enim lege Julia publicorum cavetur.*

« Quod si una ex memoratis circumstantiis omittatur, libel- « lus tanquam vitiosus ex officio rejici debet. » Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 8.) Quod constat pariter ex citata lege *Libellorum*, in qua sic decernitur : *Quod si libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerint, Rei nomen aboletur : et ex integro repetendi Reum potestas fiet.* Hinc tenent doctores communiter, memoratas circumstantias *de substantia accusationis esse.* (Reiffenstuel, loco modo cit.)

Occurrit hic dubium, an præter dictas circumstantias, apponi etiam in libello oporteat diem patrati delicti, necnon diem factæ accusationis, et determinatæ pœnæ petitionem? Respondeo ad *primum :* neque diem neque horam patrati delicti esse necessario exprimendam, sed accusatoris arbitrio id relinqui. Ita expresse decrevit lex citata *Libellorum* (3, ff. *de Accus.*) : *Neque autem diem, neque horam invitus comprehendet.* Quod sapienter profecto statutum est : facile enim potest quis oblivisci diei vel etiam hebdomadæ patrati sceleris, quem tamen ab ac-

cusando arceri non expedit, si aliunde idoneas de commisso delicto probationes afferat. Respondeo ad *secundum* : debet quidem dies factæ accusationis exprimi ; ita indicante formula, in lege *Libellorum* (3, ff. *de Accusat.*) exhibita : an autem ea formalitas de substantia accusationis censenda sit, ita ut alioquin nullitate laboret accusatorius libellus, non concordant omnino doctores. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 29.) Respondeo ad *tertium* : non esse in libello accusatorio necessario apponendam conclusionem, seu pœnæ determinatæ petitionem ; poni tamen posse quin vitietur libellus. Ita sentiunt doctores communiter. « Et hoc est discrimen (addit « Schmalzgrueber) inter libellum quo proponitur actio civilis, « et inter libellum quo proponitur accusatio : in priori, post « facti narrationem et causam explicatam, poni debet conclusio, « ut sciatur quid et quantum actor petat, cum in ipsius sit « arbitrio vel totum, vel partem petere : in posteriori autem « sufficit sola facti narratio et obligatio ad probandum, sine « conclusione ad pœnam ; quia quando constat de delicto, tunc « lex ipsa facit conclusionem ad pœnam, quam remittere vel « moderari non est in accusatoris potestate. » (In tit. 1, libri 5 Decret., n. 35.)

Ad formulam autem libelli accusatorii quod attinet, venerandæ vetustatis est quam afferunt Ballerini fratres (sancti Leonis *Operum*, tomo 3, p. 299) ; quam et inseruit Mansi, in sua *Conciliorum collectione* (tom. 16, col. 896) ; tenoris nempe hujuscemodi : *Eugenius Papa. Die Martis, apud prædictum dominum Eugenium Papam, Johannes presbyter professus est, se Lanfrancum Ticinensem Episcopum lege canonum de simonia reum deferre ; quod dicat, eum cum Alberto diacono, in civitate Nonoria, domo Petri Rufi, mense Aprili, Papa Lucio anno I, commisisse simoniam. Ego Johannes presbyter profiteor me hujus libelli auctorem.*

Patet hanc formulam ad Romani juris normam fuisse concinnatam.

Tertia conditio. — *Apponi in libello debet subscriptio, qua*

se accusator ad subeundam talionis pœnam obliget, si falso accusasse deprehendatur. — A jure canonico revera requiri conditionem illam hic adnotamus tantum. Pro rei enim gravitate, sub sequenti paragrapho quæstionem hanc *ex professo* expendimus, et quid de hujusmodi talionis pœna censendum sit disputamus.

III.

Quinam accusare possint.

Est principium unanimiter receptum, ad accusandum admittendos esse omnes, qui jure non prohibentur. Hinc in lege *Qui accusare* (8, ff. *de Accus.*) sic statuitur : *Qui accusare possunt intelligemus, si scierimus qui non possunt.*

Enumerationem autem eorum qui a jure accusare prohibentur, fuse prosequuntur canonistæ, dum explanant titulum 1, libri 5 Decretalium. Illam extrahunt, tum ex legibus 8, 9 et 10, tituli *de Accusationibus*, in Pandectis ; tum ex canone *Prohibentur* (14, causæ 2, q. 1), in quo Gratianus prædictas leges fere ad verbum transcripsit ; tum ex nonnullis aliis juris dispositionibus. Eam enumerationem prout solet a canonistis exponi hic inserimus. Prohibentur scilicet accusare :

1. *Mulieres :* constat lege *Qui accusare* (8, ff. *de Accus.*), lege *Non est* (1, ff. *de Accus.*), et lege *de Crimine* (12, c. *de His qui accusare*).

2. *Impuberes :* ita scilicet ut non admittantur ad accusandum nisi qui 14 saltem annum compleverunt. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 43.)

3. *Infames :* et quidem etiam infames infamia facti ; ad differentiam juris Romani, in quo non repelluntur nisi infames infamia juris. (Schmalzgrueber, loco cit.)

4. *Criminosi :* et quidem etiamsi nondum fuerint accusati ; ad differentiam juris Romani, quod non repellit nisi criminosos jam ad judicium vocatos, et quorum nomen inter Reos repositum est. (Schmalzgrueber, ibid.)

5. *Milites :* nisi forte ejus sint conditionis, ut servitium militare sinat eos accusatoris officio recte fungi. (Schmalzgrueber, ibid., n. 46.)

6. *Magistratus præcipui :* ne eorum potentia accusatus opprimatur. (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 47.) Quod intelligendum videtur tum de magistratibus sæcularibus, tum de magistratibus sive superioribus ecclesiasticis.

7. Qui jam in duabus aliis causis criminalibus tanquam accusatores instant.

8. Qui subornati falsum testimonium dixerunt.

9. Egeni de quorum honesta conversatione non constat.

10. Furiosi, mente capti et prodigi.

11. Surdi-muti, qui simul sufficienti instructione destituuntur.

12. *Excommunicati* excommunicatione majore.

13. Filius nequit accusare patrem : nec discipulus magistrum : nec frater fratrem.

14. Generaliter accusare nequeunt qui a ferendo testimonio arcentur.

15. *Familiares* nequeunt eum accusare cujus familiaritati adhæserunt. Constat lege *Si quis* (20, c. *de His qui accusare*). Excipiuntur familiares Episcopi et aliorum Prælatorum : nam hi, si velint accusare Episcopum vel Prælatum suum, nequeunt ab eo Episcopo aut Prælato impediri. Constat capite *Nulli* (5, tituli 1, libri 5 Decretalium) : « Licet repellere illos possit « judex. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 54.)

16. *Inimicus* aut inimicitiæ merito suspectus erga reum. « Talis esse præsumitur : *primo*, accusatus respectu ejus qui illum « accusavit ; nam hic, nisi suam vel suorum injuriam prose- « quatur, reaccusare accusatorem suum non permittitur in pari « vel minore crimine, licet possit de majore (lege *Prius* 1, et « lege *Neganda* 19, c. *de His qui accusare*) ; *secundo*, qui tulit « testimonium in causa criminali respectu ejusdem causæ, nisi « coactus tulerit (capite *Cum P.* 10, *de Accusationibus*) ; quia « ex tali testimonio præsumitur oriri inimicitia inter testem et

« eum contra quem testis deposuit; *tertio*, Judæus, paganus, « hæreticus, respectu christiani et catholici; *quarto*, laicus res- « pectu clerici (capite *Cum P.* 10, tituli 1, libri 5 Decretalium); « quia horum accusatio præsumitur ex odio proficisci; *quinto*, « inimicis cohabitantes et cum eis frequenter versantes; quia « ejusdem voluntatis et affectionis esse creduntur, cujus sunt « ii quorum domestici et familiares sunt. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 55.)

17. *Religiosi et clerici :* constat ex canone *Sicut* (6, causæ 2, q. 7). « Excipe, nisi clerici et religiosi civiliter delictum defe- « rant in judicium; puta ad compensationem sibi faciendam pro « damnis causatis ex furto vel alio delicto : tunc enim facta pro- « testatione quod non agant criminaliter ad pœnam sanguinis « aut mutilationis, sed præcise ad suum interesse, nullam irre- « gularitatem incurrunt; licet deinde judex a judicio civili tran- « seat ad criminale, et per viam inquisitionis malefactorem « convictum condemnet ultimo supplicio. Nam si clericis et « religiosis non liceret convenire fures et alios malefactores, « aperiretur lata via deprædandi bona ecclesiarum, monasterio- « rum et clericorum, eosque occidendi et male tractandi : ita « expresse declarat Bonifacius VIII (capite 2, *de Homicidio*, in « 6); ut proinde sine metu irregularitatis, Prælatus, præmissa « protestatione, deferre possit fures et alios malefactores ad « compensationem damnorum sibi faciendam. » (Maschat, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 5.)

18. *Plerique* ex recensitis ab accusando non repelluntur in tribus his casibus : 1° quando suam ac suorum injuriam prose- quuntur; 2° in criminibus quæ dicuntur *excepta;* nempe, læsæ majestatis, hæreseos, simoniæ, sacrilegii, lactrocinii, assassinii, testimonii falsi, falsatæ monetæ, fraudatæ annonæ, census, aut pecuniæ publicæ; 3° quando agitur de ecclesiæ, vel monasterii aut alia utilitate publica.

Diximus *plerique :* nam exclusi etiam tunc ab accusando re- manent, *in totum*, infantes, amentes, furiosi, surdi et muti non satis valentes mentem explicare, excommunicati excom-

municatione majore : *ex parte*, inimicus, qui admittetur ad accusandum quando suam vel suorum injuriam prosequitur, non in aliis modo memoratis casibus ; liberi, qui parentes accusare possunt in criminibus *exceptis*, non ad persequendam sibi illatam injuriam ; clerici, qui accusare possunt, ut diximus, prosequendo suam vel ecclesiæ suæ injuriam, non vero in criminibus *exceptis*. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 57 et seq.)

Nota. Parum utilis hodie in praxi est solutio hujus quæstionis, *quinam accusare possint*. Cum enim ob introductam inquisitionis viam, possit judex procedere ex officio, nullo accusante, fere nunquam evenit ut quis se in accusatorem recipi postulet ; sed monet dumtaxat judicem de patrato delicto, ei totam relinquens detegendæ veritatis curam ; partesque accusatoris tunc agit Fiscalis (quem in Gallia Promotorem vocant). Ad faciendam autem ejusmodi delationem admittuntur omnes, non exceptis iis qui a jure accusare prohibentur. Indicia enim criminis, a quacumque persona judici veniant, viam ipsi aperiunt ad procedendum ex officio. Hinc duplici dumtaxat in casu interest scire quinam ad accusandum sint inhabiles : 1° quando quis, ex aliqua speciali ratione, accusationis onus sibi assumere anteponeret, potjus quam via inquisitionis justitiam in reum exerceri : tunc scilicet expendere deberet judex an talis accusator habilis inhabilisve ad accusandum foret : sed casus ille, ut satis patet, rarissimus erit ; 2° quando in aliquibus locis, particulari statuto cautum esset, ne posset judex in certis causis nisi ad partis querelam criminaliter procedere : tunc enim ad querelam non admittendi forent, nisi qui de jure ad accusandum admitti possunt.

IV.

Quinam accusari possint ?

« Respondeo : accusari possunt generaliter delinquentes

« omnes, nulla ætatis vel sexus habita ratione, modo non ca-
« reant usu rationis ad delinquendum requisito, et lege non
« prohibeantur. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 72.)

1. Prohibentur accusari infantes, furiosi, amentes, de quo ratio per se patet.

2. Minores 25 annis accusari nequeunt, nisi dato eis a judice curatore (lege *Clarum* 4, c. *de Auth. præstand.*).

3. Accusari nequeunt mortui (lege 20, ff. *de Accus.*), nisi delicto annexa sit pœna confiscationis bonorum. Ex jure autem Romano annexa erat hæc pœna crimini hæreseos, repetundarum, et læsæ majestatis.

4. « Accusari nemo regulariter potest, si elapsum sit tem-
« pus quo actionibus criminalibus præscribitur. Sicut enim in
« actionibus civilibus, ita et in causis criminalibus certum con-
« stitutum est tempus, quo elapso delictum obliteratur, et
« nulla amplius accusatio vel inquisitio admittitur ; usque
« adeo ut judex hujus exceptionis (quamvis a reo non appo-
« natur vel allegetur) rationem habere debeat, cum ex officio
« suo pro defensione Rei laborare teneatur. Proceditque hoc
« etiamsi reus post præscriptionem temporis fateatur deli-
« ctum. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 77.) Quanto autem tempore opus sit ad præscribendum, dicitur infra.

5. Accusari *regulariter* nemo potest de crimine de quo fuit semel absolutus : constat capite *de His* (6, *de Accus.*) ; et ita tenent doctores communiter, ob textus juris et rationes, quas vide apud Schmalzgrueber (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 93). Diximus autem *regulariter ;* quia regula hæc generalis nonnullas exceptiones patitur. Potest nempe quis de eodem crimine de quo fuit absolutus iterum accusari :

Primo, si de crimine *civiliter* tantum et ad privatum interesse prius est actum ;

Secundo, si, cum criminaliter ageretur, reus absolutus solum est per viam exceptionis ; quando nempe pars adversa ei oppo-

suit in judicio hoc crimen, non ut puniretur, sed dumtaxat ut eum ab accusatione vel testificatione removeret ;

Tertio, si reus a criminis accusatione liberatus est per viam transactionis. Eo casu, non ille cum quo transactum est, sed bene alius potest accusationem repetere ;

Quarto, si secundus accusator probet priorem accusationem non fuisse fideliter institutam ; fuisse, verbi gratia, collusionem inter primum accusatorem et reum accusatum ;

Quinto, si secundus accusator suam aut suorum injuriam persequatur ;

Sexto, si reus absolutus tantum fuit in foro conscientiæ.

Septimo, « quando reus fuit absolutus in judicio, non per « viam accusationis, sed inquisitionis : tum enim iterum de « eodem crimine accusari potest, saltem de jure canonico. » (Pirrhing, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 26.) Nititur citatus auctor hac ratione, quod per viam inquisitionis non soleat imponi pœna ordinaria delicti, sed minor, juxta caput *Qualiter* (24, *de Accus.*).

6. Ut accusari quis possit necesse non est ut præcesserit infamia ; ita ut nec contra charitatem nec contra justitiam sit accusare delinquentem occultum. Est sententia communis doctorum. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 86.)

7. Ut accusari quis possit, an necessario præcedere debuerit secreta monitio ? — « Respondeo *primo :* quandocumque « crimen est probabile in judicio, non tenetur accusator ex « justitia præmittere secretam monitionem, verbi gratia, ut « reus desistat, et satisfaciat ; sed potest sine injuria accusatio- « nem instituere. Ratio est, quia tunc propter bonum publicum « concessa est accusatio, vel saltem denuntiatio, ut crimina in « exemplum aliorum puniantur, sicque omnes a malo abster- « reantur. Unde reus non potest queri de injuria sibi facta, « quod ante monitus non fuerit.

« Dico *secundo :* fieri tamen sæpe potest, ut priusquam ac- « cuses vel denunties juridice, tenearis lege charitatis proxi-

« mum monere ut desistat a crimine : ut si delictum sit occul- « tum, et speretur privatis monitis esse emendandus et ad « debitam satisfactionem inducendus, maxime si persona ha- « beatur honesta ; tunc enim contra charitatem esset tantum « malum illi irrogare. » (Lessius, *de Justitia et jure*, lib. 2, cap. 30, n. 10.) Ad objectionem, quod evangelicam denuntiationem præcedere debeat charitativa monitio, atque idem videri dicendum quoad accusationem ; respondetur, denuntiationem evangelicam esse institutam dumtaxat ad fratris emendationem ; accusationem vero ad publicam criminum vindictam.

V.

Effectus accusationis quoad judicem.

1. Potest judex ex officio repellere accusatorem inhabilem seu non idoneum, etiamsi pars adversa contra illum exceptionem non opponat. Hinc ante omnia quærere debet judex an accusator sit de iis qui a jure accusare permittuntur. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 99.) Imo tenetur judex accusatorem repellere si sit illegitimus ; nec tali casu reus citatus tenetur comparere (vide probatum apud Maschat, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 9).

2. « Si accusatio est legitima, tenetur eam judex admittere, « etsi accusatus infamia delicti non laboret » (Maschat, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 8) ; et ita tenent communiter doctores cum sancto Thoma (2, 2, q. 68, a. 1, ad 3).

3. Posita accusatione legitima, potest judex accusatum citare ut personaliter compareat. Constat ex capite *Juris* (1, *de Accus.*, in 6). Idque non verbaliter tantum, sed etiam realiter et per apparitores, modo delictum sit atrox, et pœnam corporalem post se trahat, et judici antea constet per sufficientia indicia ac conjecturas accusatum esse hujus delicti reum : alias capi et incarcerari accusatus nequit. Hodie autem in

multis regionibus judici ecclesiastico non præstatur a guberniis temporalibus auxilium brachii sæcularis; ita ut Episcopi nec per propriam familiam armatam qua carent, nec interventu apparitorum auxiliantis potestatis sæcularis, possint accusatos capere et ad comparendum invitos trahere.

VI.

Effectus accusationis quoad accusatorem.

1° Facta in crimen subscriptione, debet accusator sicut et reus custodia detineri, donec finiatur judicium; ut, si forte falso accusasse deprehendatur, pœnæ talionis subjiciatur : ita olim ex jure Romano et canonico. Sed, ut dicetur in sequenti paragrapho, et subscriptio et pœna talionis et incarceratio hæc accusatoris, in desuetudinem abierunt.

2° Accusator intentatum crimen probare tenetur. « In qua « probatione si defecerit, et consequenter temere litigasse con- « victus fuerit, tenebitur ad reficiendas litis a se intentatæ ex- « pensas. » (Schmalzgrueber, in titulum 1, libri 5 Decretalium, n. 115.)

Atvero, « ubi compererit judex accusatorem justa causa du- « ctum processisse ad accusationem falsi criminis, eum non so- « lum a pœna talionis, sed injuriarum etiam actione immunem « pronuntiabit; quia huic locus non est, ubi dolus et animus « pravus defuit. Quin aliqui etiam negant talem in expensam « condemnari posse : quod verum est, si ratio qua ductus ad ac- « cusandum est, eumdem non tantum a dolo, sed etiam a culpa « excuset; nam si ab ista non excuset, in expensas condemna- « bitur, quod temeritate non vaccet accusatio. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 5 Decret., n. 10.)

3° Si constet accusatorem scienter et ex malitia calumniatum esse, ei applicanda est pœna talionis, idest, eadem quam subire debuisset reus, si crimen fuisset probatum, vel similis. Applicandam tunc pœnam talionis ex jure canonico, olim

saltem vigente, probant supra allati textus. Addimus autem *ve similis :* sæpe enim eveniebat ut non posset eadem omnino pœna decerni : tunc autem pœna talionis intelligebatur de pœna quæ a judice æstimabatur quam maxime fieri poterat similis et æquivalens. Quod aperte constat ex capite *Cum fortius* (1, tituli 2, libri 5 Decretalium), ubi agitur de subdiacono qui calumniose diaconum accusaverat de crimine depositionem ab officio trahente. Is porro accusator non poterat deponi a diaconatu, cum subdiaconus dumtaxat foret : quapropter sanctus Gregorius jubet eum primo deponi a subdiaconatu : et cum hæc pœna depositioni a diaconatu exacte non æquivaleret, ad complementum addit publicam verberationem et exilium. *Jubemus eumdem prius subdiaconatus privari officio, et verberibus publice castigatum in exilium deportari.*

4° Accusator quem constat ex malitia calumniasse evadit de jure *infamis ;* proindeque *irregularis*, ita ut neque promoveri ad ordines, neque ministrare in susceptis valeat ; et insuper *inhabilis* ad dignitates et beneficia ecclesiastica. Sed ad hunc effectum necesse est declaratam fuisse calumniam *per sententiam* judicis. Attendenda autem sunt verba sententiæ : si enim dixerit judex *non probasti*, non ideo accusatorem damnat de calumnia : secus si dixerit *calumniatus es*, aut quid æquivalens. Vide hæc textibus probata apud Schmalzgrueber (in tit. 2, libri 5 Decret.,, n. 14).

5° An accusatori liceat ab inchoata accusatione desistere? — *Primo*, non licet quando accusator ad accusandum tenetur : ast ille casus est fere chimericus : quamvis enim quandoque teneatur quis alicujus delicti coercitionem persequi, non tamen tenetur id per viam accusationis efficere, nisi desit alia sufficiens via. Hodie autem, cum possit judex ex officio et nullo interveniente accusatore procedere, patet alia via, simplicis nempe ad superiorem delationis ; quam inquisitionis ex officio viam, sufficientem non esse ad criminis coercitionem, rarissime continget. Expendenda ergo est præcipue quæstio in casu quo accusator ad accusandum non obligatur.

Secundo. Si nondum oblatus est accusationis libellus, potest quidem accusator ab accusatione desistere; sed tunc imponendum ei est perpetuum silentium, ita ut nunquam possit eumdem de eodem crimine accusare aut infamare. Constat ex capite *Licet* (14, tituli 1, libri 5 Decret.), ubi agitur de canonicis Bisuntinis, qui Archiepiscopum suum apud Sedem Apostolicam accusaverant, et postea ab accusatione destiterunt : de qua accusatione sic decernit Innocentius III : *Nos igitur dictis canonicis super prædictis silentium duximus imponendum, ne te de cætero eis super his accusare liceat vel etiam infamare. Quia vero prædicti canonici citra vinculum inscriptionis desistere voluerunt, eis de juris permissione id non duximus imputandum.*

Tertio. Si accusator libellum jam protulit, non potest ab accusatione desistere, nisi approbata a judice justa desistendi causa. Si, verbi gratia, advertat se errasse innocentem accusando, non tantum potest, sed tenetur desistendi voluntatem declarare. Atque eadem ipsi licita est declaratio quando videt se crimen probare non posse. Sed tunc, ut calumniatorum pœnam effugiat, debet probare se bona fide ad accusandum accessisse; quod nempe verum reputaverit crimen, nec antea adverterit insufficientes esse, quas allegare proponebat rationes. Id si probare nequeat, inceptam accusationem deserere non sinitur.

Quarto. Si oblato libello, et non approbata a judice desistendi causa, nihilominus accusator litem persequi recuset, 1° damnandus est ad expensas et resarcienda damna. 2° Repellendus est, si postea velit accusationem prosequi. 3° Pœna insuper extraordinaria, judicis arbitrio, plectendus est. De quo vide Schmalzgrueber (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 109.)

VII.

Effectus accusationis quoad accusatum.

1° Pendente accusatione *regulariter* non potest accusatus ad

novas dignitates promoveri : constat ex capite *Omnipotens* (4, tit. 1, libri 5 Decret.), ubi habetur : *Valde grave est, ut vir de quo tanta et talia nuntiantur* (*cum ante requiri et discuti debeant*) *honoretur*. Et idem cautum erat jure Romano (lege *Reus*, ff. *de Muneribus;* et lege unica C. *de Reis postulandis*). Atque in hac admittenda generali regula concordant doctores. « Estque hoc ita verum, ut promotio sic accusati, denuntiati, « vel inquisiti non teneat, etiamsi postea per sententiam pro- « nuntietur innocens, sed nova requiratur promotio. Hinc ne « fraudulenter objiciatur crimen, ut promovendi impediatur « commoditas, debet præfigi terminus accusatori, intra quem « probet; quo elapso et nihil probato, poterit superior ferre sen- « tentiam interlocutoriam super innocentia delati, et postea « ipsum promovere. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 117.)

Diximus autem *regulariter*, ob sequentes illius generalis regulæ limitationes :

Primo. Si accusatus, pendente accusatione, ad ordinem aliquem sacrum promoveatur, verbi gratia, si Episcopus consecretur, valebit ordo, ut patet, cum nequeat lege humana annullari. Unde in præfata regula agitur dumtaxat de dignitatibus quæ lege humana irritari et annullari possunt.

Secundo. Ut locus sit dictæ regulæ, oportet a legitimo accusatore crimen opponi.

Tertio. Debet præterea crimen esse grave; leviora enim crimina, etsi probata, promotionem ad dignitates non impediunt.

Quarto. Si accusetur communitas seu collegium, poterit quilibet de collegio, qui singulariter non accusatur, ad dignitatem promoveri.

Quinto. Nec impeditur promotio, si accusatio de crimine *civiliter* dumtaxat proponatur.

Sexto. Item si ex conjecturis appareat reum calumniose delatum esse, eo animo ut a novis honoribus arceatur, poterit non obstante accusatione promoveri.

Septimo. Elapso biennio a proposita accusatione, poterit accusatus promoveri, nisi per eum steterit quominus intra id tempus causa finiretur. Quas omnes limitationes probatas vide apud Schmalzgrueber (in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 119).

2° Dignitates tamen quas jam obtinet, non amittit accusatus durante lite. Estque hoc extra omnem controversiam. (Vide modo citatum auctorem, n. 118.)

3° Finita causæ discussione, et crimine legitime probato, condemnandus est reus ad pœnam *ordinariam*, idest a jure pro tali crimine determinatam, si qua sit; si nulla sit, ad pœnam *extraordinariam* condignam ex prudenti judicis arbitrio. (Schmalzgrueber, loco cit., n. 120.)

VIII.

Quibus modis tollatur seu extinguatur accusatio criminalis.

1° An extinguatur præscriptione, idest, post certum tempus a die commissi criminis elapsum? — *Primo.* Nullam reperio a canonistis allegatam hac de re juris sacri dispositionem. *Secundo.* Allegant autem Justinianei juris textum : quem si pro regula haberi oporteat, non potest quis accusari de delicto carnis a quinque annis perpetrato. (Lege *Mariti* 29, ff. lege *Adulter* 5, et lege *Reos* 8, c. *de Adulter.*) Pro cæteris autem delictis, et pro crimine raptus et adulterii cum incestu, ad præscribendum necessarii sunt 20 anni. (Lege *Vim passam* 39, ff. *ad Leg. de jur. de adult.;* lege *Querela* 12, c. ad leg. Cornel., *de Falsis;* et lege seq., ff. *de Requir. reis.*) Hinc si in foro ecclesiastico valeret juris Romani dispositio, nullus posset coram ecclesiastico judice accusari de crimine ante annos viginti patrato. *Tertio.* Quamvis autem generaliter verum sit, pro regula jus Romanum esse habendum ubi lex canonica tacet, hic tamen contrarium concludendum videtur, ob contrariam quæ generaliter invaluit consuetudinem : nam, ut ait Schmalzgrueber (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 121), « quoad vindictam publicam

« præscriptio hodie non amplius videtur attendi. » Poterit ergo Episcopus accusationem recipere de crimine, quantocumque tempore antea patrato, et in reum procedere ; nisi forte (quod ignoro) aliqua in contrarium intervenerit pontificia, vel congregationum romanarum decisio.

2° « Extinguitur accusatio criminalis per mortem accusato-« ris ante latam sententiam, ita ut hæredes ipsius accusationem « prosequi non possint. (Lege *Libellorum* 3, ff. *de Accus.*) Potest « tamen judex accusationem prosequi. (Lege penultima, ff. *de* « *Publ. jud.*) » Ita Pirrhing (in titulum 1, libri 6 Decretalium, n. 46).

3° Extingui etiam accusationem per mortem accusati, vide apud Schmalzgrueber (in titulum 1, libri 5 Decretalium, n. 124). Ob bonum autem publicum posse accusari mortuos de quibusdam criminibus, verbi gratia, de crimine hæreseos, et processum contra eorum memoriam instrui, probat Ecclesiæ praxis.

§ II.

Quid de pœna talionis censendum sit, et an revera fuerit contra calumniatores a jure canonico sancita.

Si recentiores qui de jurisprudentia scripsere adeas, multa passim reperies contra antiquos populos, multa contra Ecclesiam, ob receptam talionis pœnam, acri stylo exarata. Iniquam et juri naturali repugnantem ejusmodi pœnam pronuntiant, imo absurdam, quod sæpe sæpius applicari nequeat ; prout, verbi gratia, in casu cæci oculum alteri eruentis, cui certe erui vicissim nequit oculus quo caret. Quas declamationes nullo solido fundamento, sed falsa circa talionis pœnam notione niti facili negotio probari potest. Nempe,

I.

Lex talionis apud Hebræos, aliosque veteres populos, non præscribebat semper applicari eamdem *pœnam, sed vel eamdem, vel* similem, *id est, æquivalentem.*

Id exploratum habent veri eruditi, inter quos sic Ugolinus : « Talio autem duplex est : *talio identitatis* seu pythagorica, « quæ erat secundum litteram legis, cum maleficus mulctaba- « tur *oculo,* qui alii *oculum* eruerat. Deinde *talio similitudinis* « seu analogica, ut si pretium oculi, aut alia mulcta æqua « pro oculo eruto, aut pro alio membro læso reddebatur. « Hebræis placet talio similitudinis, non talio identitatis, expo- « nentes *oculum pro oculo*, idest, pretium oculi. (Targum « Jonath., Deut. 49, 21. Item Rabb. Salom., ibid.) Quia talio « identitatis in aliquibus casibus impossibilis est, ut si cæcus « erueret alii oculos, aut edentulus excuteret alii dentes. « Propterea in casibus corporalis læsionis magistri Hebræorum « statuunt, partem ream teneri satisfactione quintuplici : « 1° pro damno amissi membri; 2° pro damno neglecti laboris; « 3° pro dolore et molestia; 4° pro sumptibus et expensis in « sanatione; 5° pro ignominiæ et deformationis nota. Roma- « norum quoque legibus jus talionis extabat. » (Ugolinus, *Thesaurus antiquitatum sacrarum*, tom. 3, pag. 378, edit. Venet. 1748.)

Item Cornelius a Lapide, memorans dictum Rhadamanti, *quæ quis fecit injuste, eadem et patiatur*, intelligendum adnotat : *si videlicet personæ sint ejusdem sortis et æqualis conditionis.* (In Exodi caput 21, vers. 23.)

Unde recentiores qui fingunt, eam fuisse talionis legem, ut accusator calumnians deberet semper *eadem* omnino pœna plecti, quam meruisset accusatus si nocens repertus fuisset, mendacium præmittunt, ut postea absurdam talionis legem clamitent, utpote quæ sæpe sæpius applicari non posset. Sem-

per applicari potuit vel eadem, vel similis seu *æquivalens* pœna ; et hoc tantum lex talionis exigebat.

II.

Expenditur talionis tex prout in jure Romano viguit.

Primo, certum est viguisse apud Romanos, et in Justinianea compilatione sancitam reperiri talionis pœnam. (Vide legem *Libellorum*, et *Si cui*, ff. *de Accusationibus ;* — legem ultimam *de Accusationibus*, in codice ; — et legem 2, c. *de Fide instrumentorum.*) Inducta est autem ut terror calumniatoribus incuteretur ; cum eos, si falso accusasse deprehenderentur, similis maneret pœna subeunda, qua reus, si convictus fuisset, puniri debuisset. Hinc jure Romano cautum erat, ut accusator libellum subscriberet ; qua *subscriptione* suam *profitebatur* et agnoscebat accusationem in libello descriptam : et dicebatur *subscribere in crimen*, seu *profiteri in crimen.* Is autem erat hujusmodi subscriptionis effectus, ut ex tunc accusator teneretur accusationem persequi usque ad sententiam ; ut deberet interea eodem modo ac reus custodia detineri ; et tandem ut casu quo falso accusasset, pœnam talionis subire deberet : *Quisquis ille est qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiæ similitudinem* (*habita tamen dignitatis æstimatione*) *patiatur : nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii* (lege *Accusationis* 17, tituli 2, libri 9 Codicis). *Si cui crimen objiciatur, præcedere debet in crimen subscriptio : quæ res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi accusationem non futuram. Cavent itaque singuli, quod crimen objiciant, et præterea perseveraturos se in crimine usque ad sententiam.* (Lege *Si cui* 7, tit. 2, libri 48, Pandectarum.)

Secundo, pœnæ, ex jure Romano, subjiciebatur dumtaxat qui *sciens et volens* falsam accusationem intulerat; non vero

ille qui probabat se bona fide egisse, et accusationem suam fundatam reputasse. Duplex nempe distinguitur calumniæ species : *vera* et *præsumpta*. Calumniator *verus* dicitur ille de quo certo constat, quod ex malitia et scienter falsi criminis alterum accusaverit : *præsumptus*, qui non potuit in judicio probare id de quo alium accusabat.

Porro in casu *præsumptæ* dumtaxat calumniæ, si accusator probabat, se ex justa causa et ex errore probabili ductum fuisse, et falsam accusationem, non scienter, sed bona fide, protulisse ; nequaquam ei pœna talionis aut ulla alia infligebatur. Quod inter alios textus satis probat lex 3, tituli 46, libri 9 Justinianei Codicis, in qua sic habetur : *Qui non probasse crimen quod intendit pronuntiatur, si calumniæ non damnetur, detrimentum existimationis non patitur. Non enim si reus absolutus est, ex eo solo etiam accusator, qui potest justam habuisse veniendi ad crimen rationem, calumniator credendus est.*

Tertio, pœna talionis, prout jure Romano decernebatur, injusta non fuit. Nam, vel constabat accusatorem *scienter* calumniatum esse, vel non : si posterius, pœnæ talionis, ut modo dictum est, locus non erat : si prius, injusta ex nimio rigore dici nequit ejusmodi pœna. Quod ut pateat, sit in exemplum Titius, homicidii accusans Cajum, quem innocentem plane novit : certum est hancce Titii accusationem esse verum et proprie dictum tentamen occidendi innocentem Cajum, et eumdem simul infamandi. Jam vero istiusmodi tentamen pœna mortis dignum non esse nunquam probari poterit. Nam si ponderetur quoad malitiam intrinsecam, eadem est ac si effectus esset secutus : fecit enim Titius quidquid potuit ut Cajum fama simul et vita privaret ; ejusque voluntas in eodem omnino pravitatis gradu fuit, ac si rem intentam obtinuisset, cum ad eam obtinendam nihil omiserit. Si vero ponderetur talis Titii conatus relate ad bonum publicum, eum pœna mortis juste plecti posse recta ratio suadet. Nam boni publici et societatis omnino interest ut innocentium vita et fama contra tales calumniatorum conatus fortiter protegatur :

fortiter autem protegetur, si pœna mortis plectatur prædictus conatus, non tantum effectu secuto, sed etiam effectu non secuto. Et certe multis legislatoribus rigidior visa non est pœna mortis in incendiarios, falsæque monetæ excusores, immo et in certos fures decreta. Porro nec minus in se pravus, nec minus bono publico noxius est præfatus calumniatoris conatus; a quo ut malefactores efficacius deterreantur, utilis videri potest pœna mortis in simplicem conatum, etiam effectu non secuto, intentata. Nec dicatur minori pœna plectendum esse conatum ad patrandum scelus, quam ipsummet scelus patratum : hoc enim verum est quando simplex conatus non est per se tam atrox et bono publico nocivus, ut summam pœnam, necis nempe, mereatur. Si autem pœna simplici conatui debita, sit jam pœna *summa*, locus non datur regulæ, ut major sit in casu effectus secuti. Et hoc omnes concedunt in crimine læsæ majestatis : in quo eadem pœna mortis et simplicem conatum, et conatum cum effectu secuto juste plecti fatentur doctores. Item frustra quis objiceret periculum excitandi homicidam ad scelus, quod jam frustra tentavit, novo molimine consummandum, si sciret jam se ob primum tentamen supplicium non evasurum. Nam si hæc ratio valeret, nec morte plectendus foret qui homicidium unum patravit, ne forte tunc ad decem aut viginti homicidia excitaretur, cum sciret non minus sibi pro uno quam pro viginti homicidiis necem imminere : quod certe absurdum est. Quod ergo dictum inconveniens aliquando locum habere possit, non est ratio cur simplici conatui, jam per se solum nece digno, minor pœna irrogetur. Hinc etiam quando talionis pœna ad necis usque supplicium evehitur, injusta probari nequit; a fortiori autem injusta in cæteris casibus censenda non est.

Ergo recentiorum quorumdam jurisperitorum de injusta et barbara talionis pœna, in jure Romano recepta, declamationes, nequaquam, meo quidem judicio, pro peremptoriis habendæ sunt. Non tamen negamus potuisse bono publico provideri perfectiori quam pœnæ talionis dispositione; sed aliud est le-

gem aliquam esse injustam, aliud eam non esse omnium perfectissimam. Esto perfectum in hac materia jus Romanum non fuerit; at injustum dici non debere sustinemus.

Confirmatur autem doctrina hæc ex invicta divini oraculi authoritate. Nam ideo præcipue injustam dicunt talionis legem ii scriptores quos confutamus, quia, *merum tentamen delicti* (verbi gratia, homicidii), *minus plectendum est, quam idem delictum de facto patratum;* ex quo principio sic arguunt: calumniator qui aliquem falso accusavit facinoris morte digni, tentavit quidem innocentem occidere, sed de facto non occidit: ergo, detecta calumnia, non debet morte plecti, quod tamen lex talionis exigebat. Cæcutiunt omnino, dum inconcussum reputant principium hoc, *injustum est, merum tentamen delicti eadem plecti pœna, ac idem delictum de facto patratum:* nedum certum sit istiusmodi principium, falsum omnino demonstratur ex ipsa lege divina: in Exodo enim (cap. 21, v. 23) sic divinus legislator sancivit: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur.* Ibi certe tentamen homicidii eadem pœna ac homicidium ipsum plectitur. Unde, vel Deum ipsum injustum blasphement, vel ratiunculas suas pro inanibus (prout revera sunt) habeant. Quam animadversionem in eos præsertim contorquemus, qui sese catholicos profitentur, et nihilominus in legem talionis, ex incaute admisso præfato principio, insectantur.

Quarto, sapientior tamen in recentiorum populorum legibus huic talionis pœnæ dispositio successit. Statutum nempe generaliter fuit, ut judex in quælibet externa crimina ex officio inquireret: ita scilicet, ut nullo etiam accusante, possit et debeat magistratus eum, quem patrati delicti suspectum simplex delatio, vel aliqua indicia, vel fama publica denuntiant, juridico processu discutere. Porro illa tam utiliter tamque sapienter inducta *inquisitionis ex officio via*, jus Romanum carebat; cum Romanis magistratibus non liceret ex mero officio et sine accusatore procedere, nisi in ea pauca quædam delicta quæ generalem reipublicæ tranquillitatem in discrimen adducebant. Unica pro cæteris coercendis delictis patebat *ac-*

cusationis via; ita ut inulta remanerent, nisi quis ea in judicio probandi onus assumeret. Hinc frequentes accusatores; frequentiora inter accusantium et accusatorum familias odia. Hinc etiam frequentissimæ pullulassent calumniæ, nisi pœnæ talionis terrore compressæ fuissent. Inducta vero *inquisitionis ex officio via*, jam ad coercenda delicta necesse non fuit in judicio stare accusatores, et absque ullo boni publici præjudicio de medio tolli potuit talionis pœna. Imperfectum ergo fuit Romanum jus, non quod pœna talionis uteretur, sed quod *via inquisitionis* caruerit.

III.

Expenditur talionis lex prout in jure canonico habetur.

Propositio I[a]. — *Forma per viam accusationis procedendi cum talionis pœna, in jure canonico recepta fuit.* — Constat ex decretali Innocentii III *Super his* (16, tituli 1, libri 6 Decretalium), in qua sic decernitur : *Quando crimen in modum denuntiationis opponitur, non est inscriptio necessaria ; sed cum in modum accusationis, oportet inscribi.* Eæ voces *oportet inscribi*, fatentibus omnibus juris sacri consultis, intelligendæ sunt de ea inscriptione sive subscriptione in jure Romano præscripta, qua se accusans sub pœna talionis ad probandam accusationem obligabat. Idem constat ex decretali ejusdem Pontificis *Qualiter et quando* (24, *de Accusationibus*) : *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic et denuntiationem charitativa monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio prævenire.* Item ex canone *Calumniator* (2, q. 3, causæ 2) : *Calumniator si in accusatione defecerit, talionem recipiat.* Item ex canone *Nullus* (2, q. 4, causæ 4) : *Inscriptio primo semper fiat; ut talionem calumniator recipiat; quia ante inscriptionem nemo debet judicari, vel damnari, cum et sæculi leges hæc eadem retineant.* Quæ verba, sicut et præcedentis canonis, falso quidem Damaso Papæ tribuit Gratianus, post Isidorum Mercatorem, ut videre est

apud Berardi (*Gratiani canones*, parte 2, cap. 34); sed probant tempore Gratiani viguisse in foro ecclesiastico viam accusationis, cum inscriptione et talionis pœna. Constat denique ex communi doctorum consensu, qui tanquam certum habent, Romani juris ordinationem de modo procedendi per accusationis viam, cum inscriptione et talionis pœna, ad forum Ecclesiæ manasse.

Propositio IIª. — *Forma procedendi per viam accusationis, et cum talionis pœna, prout in Ecclesia recepta est, nec injusta fuit, nec eam habuit imperfectionem, qua eadem forma in jure Romano laborabat.* — 1. Injustam non fuisse evincunt rationes quibus eamdem juris Romani dispositionem ab injustitia vindicavimus. Adde pœnam sanguinis ab Ecclesia nunquam adhibitam fuisse: sed reum hac pœna plectendum, brachio sæculari fuisse traditum. Hinc accusator, qui a judice ecclesiastico deprehendebatur aliquem capitalis criminis falso accusasse, pœnam talionis incurrendo, incurrebat tantum traditionem brachio sæculari: quod autem sæcularis judex juxta vigens tunc temporis Romanorum jus, calumniatorem eo casu neci traderet, id non Ecclesiæ, sed sæculari legislatori tribuendum. In cæteris autem casibus pœna talionis a judice ecclesiastico pronuntiata non major erat ea, quam potuisset ex prudenti arbitrio juste decernere. Canonicus, verbi gratia, qui scienter per falsam accusationem tentavit, ut in alium canonicum depositionis ab officio sententia pronuntiaretur, nonne juste propter tantum facinus et ipse officio suo privabitur? Talionis ergo pœna, prout in jure ecclesiastico olim viguit, nullam injustitiam involvebat. 2. Sed neque adjunctam habuit eam imperfectionem qua jus Romanum laborabat. Nam in eo deficiebat jus Romanum, quod, cum unica pateret accusationis via, ob tremendum quoad accusatorem probandi onus, impunita deficientibus accusatoribus remanerent multa delicta, non sine notabili boni publici detrimento. Atvero inconveniens hoc non parum temperabatur quoad judicia ecclesiastica. Zelus enim tutandæ fidei et removendi scandala satis fideles urgebat ad suscipiendum, ubi opus erat, accusationis onus: et præterea impunita relinqui

ab ecclesiastico judice aliqua crimina, deficiente qui ad tribunal ecclesiasticum ea deferret accusatore, non adeo censendum est bono Ecclesiæ nocivum, ut fusius infra adnotatum recurrit.

Ex dictis autem patet viam accusationis cum subscriptione et talionis pœna, esse revera de *jure communi* canonico. Utrum autem jus illud commune quoad hanc partem in desuetudinem abierit, expenditur in sequenti paragrapho.

§ III.

Qua ex parte jus commune canonicum hodie immutatum censendum sit quoad formam procedendi per accusationis viam.

Tria hic excutienda veniunt : 1° ostendemus sublatam non esse accusationis viam ; 2° exquiremus an penitus obsoleverit juris communis dispositio de subscriptione libelli et talionis pœna ; 3° an cæteræ juris communis dispositiones circa processum per accusationis viam, hodiedum observandæ sint.

I.

An etiam hodie procedi possit per accusationis viam.

Omnino certum est a jure canonico stabilitam fuisse hanc procedendi normam ; aperte id probant plurima decreta, ex quibus satis sit adducere caput *Qualiter et quando* (24, *de Accus.*) in quo sic Innocentius III : *Ad corrigendos itaque subditorum excessus, tanto diligentius debet Prælatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas. Contra quos, ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denuntiationem et inquisitionem ipsorum ; ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic et denuntiationēm*

charitativa monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio prævenire. Imo accusationis via aliquando solus fuit *ordinarius* procedendi modus ; antequam nempe inducta fuisset altera, quam inquisitionis vocant, norma. Quo in antecessum prænotato, ad propositæ quæstionis enodationem deveniamus.

1. Nullatenus sublata quoad substantiam censenda est accusationis via. Lex enim canonica de qua certissime constat, sublata censenda non est, nisi supervenerit, vel dispositio contraria quæ eam annullaverit, vel contraria consuetudo legitime præscripta, quæ vim ei ademerit. Atqui neutro modo sublata probari potest accusationis via.

Primo. Non aliqua dispositione contraria. Nullibi enim occurrit ullum decretum Pontificium, quo statuatur posthac licitum non fore causas criminales per viam accusationis expedire. Inducta quidem fuit concurrenter inquisitionis et denuntiationis via ; sed dum liciti facti etiam sunt isti duo posteriores modi, prior annullatus non fuit; ut patet ex citata decretali Innocentii III, qui tres simul modos permissos aptosque et adhiberi solitos declarat.

Secundo. Sed neque opponi potest generalis in contrarium consuetudo, qua illicita evaserit accusationis via : nam ad summum dici potest hodie in foro ecclesiastico *numquam* procedi per hancce accusationis normam ; sed per solam viam inquisitionis, sive ex mero judicis officio, sive ad partis denuntiantis instantiam; ita ut accusatoris partes jam a multo tempore agere soleat fiscalis seu promotor. Imo quod *numquam* omnino hodie adhibeatur accusationis via, difficile probari posset; sed esto ita se res habeat : id tantum demonstrat, eos qui puniri aliquem delinquentem volunt, de facto malle onus accusandi declinare, et totam eam curam judici et ipsius fiscali relinquere : non autem demonstrat illicitam ipsis esse accusationis viam. Ut nempe consuetudine contraria illicita evasisse censenda foret accusationis via, debuisset in foro ecclesiastico invaluisse praxis eos repellendi, qui tamquam accusatores stare in judicio volunt. De illa autem generali consuetudine superiorum ec-

clesiasticorum accusatores repellendi, et, ipsis invitis, per viam inquisitionis procedendi, nullatenus constat. Ergo revera nec ex contraria consuetudine, nec ex contraria juris dispositione, sublata hodie censenda est accusationis via ; sed liberum cuique remanet, ut tanquam accusator stet in judicio, et sic judicem ecclesiasticum cogat ad procedendum per accusationis, potiusquam inquisitionis, viam.

Diximus autem accusationis viam sublatam non fuisse *quoad substantiam :* quia, ut modo videbimus, utrum sublata sit quoad subscriptionem et talionis pœnam, in quæstionem vocari potest.

2. Dari potest casus in quo melius sit, imo in quo quis teneatur per viam accusationis delinquentium coercitionem persequi. Proponit sibi Pirrhing hanc quæstionem, *an quis obligetur ad accusandum ;* quam sic resolvit : « Si crimen vergat in damnum « spirituale vel temporale reipublicæ, etsi plerumque sufficiat « illud denuntiare juridice, interdum tamen contingere potest « ut teneatur aliquis etiam ad accusandum, si damnum publi- « cum alia ratione impediri non possit, nisi contra reum ju- « dicialis processus instituatur ; dummodo crimen legitime « probari possit, quia alioquin frustra quis laboraret, et suspi- « cioni calumniæ se objiceret, ut docet sanctus Thomas (2, 2, « q. 68, art. 1), et alii communiter : quamvis in praxi raro « occurrat talis casus. Ratio est quia pars tenetur etiam cum « proprio detrimento prospicere bono totius, et quivis privatus « bono communi. » (In tit. 1, libri 5 Decret., n. 18.)

Dari nempe potest casus in quo, attentis locorum et personarum circumstantiis, merito timeatur ne Ordinarius, si ipsi denuntietur dumtaxat delictum, negligentius aut remissius agat, vel etiam inquirere recuset. Tunc vero utiliter apud eum urgebitur accusationis via ; qua semel proposita per accusatorem legitimum, jam nec judex, nec reus regularis processus vim declinare possunt. Sed talis casus, ut satis patet, raro continget.

Si vero per viam accusationis, ita exigente actore, proce-

datur, an rigorose observandæ sint regulæ omnes a jure canonico hac de re sancitæ, remanet expendendum.

II.

An obsoleverit juris communis dispositio de subscriptione libelli et talionis pœna. Mirabuntur nonnulli, et me etiam forte irridebunt, quod in quæstionem hodiernis temporibus adducam pœnæ talionis in foro ecclesiastico desuetudinem. Sed (pace eorum dixerim) res adeo perspicua non est. Nam,

Primo, in bulla sancti Pii V, quæ incipit *Cum primum*, anni 1566, sic decernitur : *Quod si aliqui ex calumnia aliquos denuntiasse comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus et mandamus*. De qua constitutione hæc apud Schmalzgrueber reperimus : « Sanctus Pius V tamen... eamdem pœnam « talionis innovavit in calumniatores veros : et sic vigore istius « bullæ pœna talionis in foro canonico adhuc locum habet, li- « cet inscriptio ad istam pœnam non sit amplius in usu. Et « intelligendum hoc est, non tantum quando quis in hoc foro « accusatur per calumniam de crimine simoniæ, blasphemiæ, « sodomiæ, et concubinatus, quæ crimina in ea constitutione « exprimuntur, sed etiam quando alia crimina calumniose ali- « cui ab accusatore impinguntur ; quia non est verisimile, quod « ad relata solum delicta constitutionem suam voluerit re- « strictam Papa » (in tit. 2, libri 5 Decret., n. 17). « Si quis ta- « men, ait Reiffenstuel, convinceretur, quod innocentem vere « malitiose accusasset aut denuntiasset, pœnam talionis susti- « nere adhuc deberet, vigore constitutionis Pii V *Cum primum*, « innovantis pœnam talionis. Quamvis enim ibi tantum sit « sermo de objectione criminum sodomiæ, blasphemiæ, et con- « cubinatus, tamen dictam constitutionem etiam ad accusa- « tores de aliis criminibus extendit Passerinus. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 11.) Item Ferrarius ad vocem *Accusator*, n. 4) : « Si quis tamen esset convictus quod inno-

« centem vere malitiose accusasset, deberet adhuc puniri pœna « talionis, vigore constitutionis Sancti Pii V. »

Ex iis autem citationibus patet, horum auctorum (qui adeo antiqui non sunt) tempore, nondum in desuetudinem abiisse talionis pœnam. Illa ergo desuetudo ad recentiora omnino tempora referenda esset. Sed hoc ipso difficile probari potest; cum enim recentioribus temporibus fere nunquam accusationis via fuerit adhibita, non rejectam fuisse de talione juris communis dispositionem, sed ejusdem potius applicandæ occasionem defuisse dicendum est. Ergo etiam hodie vigens censeri potest bulla sancti Pii V, et pœna talionis in ea constitutione sancita.

Secundo, idem suadere videtur modus loquendi canonistarum. Nam vetustiores, subscriptionis in talionis pœnam, dum accusatorie proceditur, necessitatem omnino affirmant; ut videre est apud Abbatem panormitanum, Hostiensem et alios hujus ævi, in eorum commentariis, in tit. 1 et 2, libri 5 Decretalium.

Recentiores vero ita hæsitanter loquuntur ut ex eorum sententia tamquam certum asseri nequeat obsolevisse dictam juris canonici dispositionem. « Hodie, ait Pirrhing, ista solem- « nitas inscriptionis, et pœna talionis, in foro et judicio sæculari, « non est amplius in usu, sed per contrariam consuetudinem « abolita : tum quia per eam retrahuntur homines ab accu- « sando, nolentes in se recipere onus probandi, cum talionis « periculo; tum quia nunc judex ex officio procedere potest, si « actor defecerit. In foro autem ecclesiastico et jure canonico, « adhuc necessaria est hujusmodi inscriptio, prout sumitur ex « capite *Super his* (16, *de Accus.*), et capite *Qualiter et quando* « (24, ejusdem tituli). Excipiuntur tamen quidam casus..., « ut si crimen leve sit, et plures alii, quos recenset glossa (in « citatum caput *Super his*, verbo *Oportet inscribi*). Porro hodie, « loco accusationis, successit simplex querela; quæ potissimum « differt in eo ab accusatione, quia in hac porrigitur solemnis

« libellus et fit inscriptio, non item in querela » (in tit. 2, libri 5 Decret., n. 2).

Pœnæ talionis desuetudinem, quoad forum etiam ecclesiasticum, satis aperte primum affirmare videtur Schmalzgrueber : « Quæritur, ait, utrum pœna talionis de facto locum in foro « habeat? Respondeo : a foro civili hæc talionis pœna, et in « hanc inscriptio, passim recessit. Idem factum est quoad fo- « rum canonicum, ut advertunt Felinus, Covarruvias, Fari- « nacius » (in tit. 2, libri 5 Decret., n. 16). Sed postea contrarium subjungit ob citatam sancti Pii V bullam, ut supra vidimus; et tandem ita concludit : « Illud certum est, pœnam « talionis adhuc procedere et infligi debere in illis locis vel re- « ligionibus, ubi speciatim de illa extant statuta : et tale sta- « tutum in Ordine Sancti Francisci Minorum extare refert « Reiffenstuel. Idem de ordine Prædicatorum meminit Passe- « rinus. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 5 Decret., n. 18.) Similia reperies apud Reiffenstuel, Ferraris (locis supra citatis), et non paucos alios.

Cum ergo recentiores etiam canonistæ vix ac ne vix quidem asserere audeant dictæ juris canonici dispositionis desuetudinem, merito adhuc hodie ea desuetudo in dubium revocabitur, nisi tribunalium ecclesiasticorum communis praxis contrarium aperte ostendat.

CAPUT II.

NORMA PROCEDENDI PER DENUNTIATIONIS VIAM.

§ I.

Quid et quotuplex sit denuntiatio.

I. *De recta denuntiationis definitione.*—Nuntiare idem significat ac notitiam dare. Hinc in lato quodam sensu denuntiatio

dicitur, quælibet notitia alicui data de aliqua re. Sed in jurisprudentia, restrictior inhæret huic vocabulo sensus. Non enim de qualibet re, sed de aliquo dumtaxat delicto notitia data, denuntiatio in jure vocatur : atque adeo ad denuntiationis essentiam pertinere ut sit *alicujus delicti manifestatio*, est communis doctorum sententia, ut videre est in eorum commentariis ad titulum 1, libri 5 Decretalium. Non tamen quælibet manifestatio delicti denuntiatio proprie dicta reputanda est. Nam si quis alterius delictum notum quidem faciat, sed alteri quam delinquentis superiori, id minime in sensu juris denuntiatio erit. Dici ergo debet denuntiationem esse *alicujus delicti manifestationem superiori factam*. Sed neque sic accurate definita remaneret denuntiatio ; si quidem non discerneretur ab accusatione, quæ et ipsa est alicujus delicti manifestatio superiori facta. Addenda ergo est qualitas aliqua, denuntiationi omnino propria, qua ab ipsa etiam accusatione distinguatur. Porro, ut superiori capite cum Lessio diximus, in eo præcipue differunt accusator et denuntiator, quod prior onus probandi sibi assumat, posterior non ita. Adjecta ergo hac distinctiva qualitate, sic recte definiri potest denuntiatio : *Alicujus delicti manifestatio superiori facta, non assumpto probandi onere.*

Quando denuntians queritur se læsum fuisse per illud ipsum delictum quod denuntiat, et sibi damnum resarciri petit, denuntiatio *querelæ* nomine nuncupari solet. Differt ergo querela a denuntiatione, tanquam species a genere ; ita scilicet, ut quælibet querela simul sit denuntiatio ; non tamen, vice versa, quælibet denuntiatio querela dici possit.

II. *Quotuplex distinguatur denuntiationis species.* — 1° Dividi solet denuntiatio in *evangelicam*, et *judicialem*. *Evangelica* (quæ etiampaterna, fraterna et charitativa nuncupatur), ea est quæ fit superiori tamquam *patri*, non ad publicam vindictam, sed ad paternam correctionem et emendationem denuntiati. Evangelica vocatur eo quod a Christo Domino tradita et præscripta reperiatur in Evangelio sancti Matthæi (c. 18, v. 15). Hæc ad nostri tractatus scopum proprie non spectat. *Judicialis* ea est, quæ fit supe-

riori ut *judici*, ad vindictam publicam. De hac potissimum in præsenti capite venit disserendum.

2° Judicialis denuntiatio subdividi potest, in denuntiationem *delicti patrandi*, et in denuntiationem *delicti patrati*. Prior locum habet, quando alicujus, vel matrimonium inituri, vel ad sacros ordines aut dignitatem promovendi, denuntiatur impedimentum; ne scilicet irregulariter et contra canones matrimonium celebretur, aut fiat promotio. Posterior, quando commissum jam ab aliquo delictum judici declaratur. Prior olim vocabatur *canonica*, eo quod a sacris canonibus ortum ducat, et propria sit foro ecclesiastico : posterior vero *civilis*, eo quod in foro etiam sæculari locum habeat. Verum denominatio illa minus accurata recentioribus doctoribus visa est; tum quia utraque vero et proprio sensu *canonica* est, et dici potest; tum quia vox *civilis*, hoc sensu adhibita, ambiguitate laborat. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 1 Decret., n. 167.)

3° Iterum judicialis denuntiatio subdividi potest, in denuntiationem *interesse privati*, et in denuntiationem *interesse publici*. Prior, quæ et *querela* proprio nomine dici potest, tunc locum habet, quando denuntians petit sibi resarciri damnum quod passus est per delicti denuntiati patrationem : posterior, quando denuntians de damno sibi a delinquente illato non queritur, sed ex solo boni publici motivo criminis coercitionem persequitur. Eamdem subdivisionem *privatæ* et *publicæ* denuntiationis vocabulo nonnulli exprimunt, cum Schmalzgrueber (in tit. 1, l. 5 Decret., n. 168 et 169); obscuriori tamen, ut mihi videtur, formula.

Alia, eaque sat frequenti, denominatione, denuntiatio *interesse privati*, vocatur *civilis;* eo quod nempe tunc denuntians effectus quosdam civiles, potius quam criminis punitionem persequatur : denuntiatio autem *interesse publici*, quod in solam criminis vindictam tendat, *criminalis* dicitur. Hinc apud pragmaticos, seu fori practicos, frequens mentio, de *crimine* contra quod agitur *civiliter*, et de *crimine* contra quod agitur *criminaliter*.

§ II.

Evangelicæ denuntiationis norma.

Etsi, ut supra diximus, ad tractatum *de Judiciis* proprie non spectet evangelica denuntiatio, quia tamen unius materiæ cum altera affinitatem et discrimina introspexisse juris sacri studioso non parum proderit, illud etiam argumentum, canonistarum more, hoc loco breviter perstringendum duximus.

Regula 1ª. — *Non licet cuiquam delinquentem evangelice denuntiare, quin prius eum bis monuerit : privatim nempe prima vice, et dein coram uno vel duobus testibus.* — Probatur 1° jure divino positivo : « Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe « eum inter te et ipsum solum : si autem te non audierit, adhibe « tecum unum vel duos : quod si non audierit eos, dic Eccle- « siæ. » (Matthæi 18.) Quibus verbis inesse divini præcepti vim, communiter doctores existimant ; et insuper expresse decisum est capite *Novit* (13 *de Judiciis*), capite *Licet Heli* (31, *de Simon.*), et capite *Cum ex injuncto* (12, *de Hæreticis*). Putavit quidem Salmeron (in *Evang.*, tom. 4, part. 3, tract. 11) præceptum hoc non esse extendendum, nisi ad ea peccata quæ damnosa sunt corripienti, prout innuere videntur verba hæc, *Peccaverit in te;* « Sed dicendum ordinem hunc in qui- « buscumque proximi peccatis regulariter observandum esse. « Ita sanctus Thomas, Suarez... » (Schmalzgrueber, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 132.)

Probatur 2° jure naturali : « Nam lex charitatis, omnibus in- « sita, exigit, ut proximus peccans correctione in salutis semi- « tam reducatur, quam minimo id fieri potest ejusdem damno, « et præjudicio famæ illius honorisque. Id autem fit quando « ordo relatus observatur » (Schmalzgrueber, loco citato) ; et consonat communis doctorum sententia. Unde positam regulam nequaquam in controversiam vocare licet. Atvero non minus

certum est, eamdem generalem regulam plurimis esse obnoxiam exceptionibus, quæ nunc subjiciendæ sunt.

Exceptiones ad præcedentem regulam. — Omitti potest prævia monitio, 1° si crimen non sit occultum, sed manifestum, notorium, vel fama publica vulgatum ; 2° si vergat in damnum Reipublicæ, vel tertii ; 3° si prævia correctio nihil profutura prævideatur ; 4° si monitio prævia monenti damnosa futura esset ; 5° si in aliquo religioso ordine, ex instituto, possint aut debeant delicta sine ulla prævia monitione superioribus manifestari. Cui ultimæ exceptioni objecerunt nonnulli, ejusmodi institutorum religiosorum dispositionem irritam esse et pravam ; cum juri divino derogare nequeat jus humanum : sed prorsus immerito. Nam ejusmodi ordines ingrediendo, quilibet renuntiat famæ suæ, et juri naturali quod haberet ne sua occulta delicta absque prævia monitione panderentur. Quam *renuntiationem*, esse bonam et licitam, ob majorem nempe spiritualem profectum, submissionem, humilitatem, securitatem a relapsu, et communitatis integritatem, probant cum sancto Thoma et Suaresio doctores communiter. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, l. 1 Decr., n. 139.) Et certe potest quis laudabiliter, humilitatis causa, occultos suos defectus superiori suo ipse manifestare : cur ergo consentire nequiret ut alii qui eosdem occultos defectus noverint, idem faciant? Non ergo inde vituperandum Franciscanorum et Jesuitarum institutum, a Sede Apostolica non semel approbatum et laudatum ; sed hac ipsa potius de causa pluris faciendum, et ad evehendos altius ad divina charismata alumnos magis idoneum æstimandum. Hinc merito sanctus Ligorius de doctrina quam defendimus : « Omnino ut vera tenenda mihi videtur : ratio, quæ mihi sufficit, « est quia in Societate Jesu adest constitutio hujusmodi renuntiationis, et ipsa fuit approbata a Paulo III et Julio III ; qui « approbarunt et confirmarunt institutum, et omnes constitutiones præfatæ Societatis, et præcipue eas quæ contradictiones « patiebantur : imo Gregorius XIII, in bulla *Ascendente Domino*, addidit excommunicationem contra tales constitutiones

« oppugnantes. Unde insipienter puto locutum fuisse *Philiar-*
« *cum*, qui notam impietatis inurit huic constitutioni renun-
« tiationis Societatis Jesu; cum Ecclesia non possit errare in
« approbatione religionum et suarum regularum, ut docent
« Bellarminus, Valentia, etc. Earum enim approbatio spectat
« ad materiam morum, in qua saltem impium et temerarium
« est dicere Pontificem posse errare » (libro 4, capite 3, *de Statu et officio sæcularium*, n. 245).

Prædictas vero exceptiones, etsi regulam valde restringant, merito communiter admitti, probatum vide, tum apud Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decret., a n. 65), tum apud cæteros canonistas, ubi dictum titulum commentariis illustrant; atque etiam apud moralistas, ubi præceptum de correctione fraterna exponunt.

Regula 2ª. — *Si delictum sit occultum et nemini noxium, superior in corrigendo excedere nequit modum, a denuntiante postulatum.* — Si denuntians, verbi gratia, postulet, ut superior delinquentem secreto et nemine præsente moneat, et paterne corrigat, id omnino observari debet. Adeo ut graviter tunc peccaret superior, si denuntiatum publice confunderet aut puniret. Ita tenent doctores communiter. « Ratio est, ait Reiffen-
« stuel (in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 74), quia alias injuste et
« graviter diffamaret subditum, nec paternus corrector, sed
« injustus proditor esset. » Pro qua re adduci solet valde notabilis, ex sancto Augustino depromptus, canon *Si peccaverit* (19, q. 1, causæ 2), in quo inter alia sic habetur : « Quid est, *in*
« *te peccavit?* Tu scis quia peccavit... Si solus nosti... et vis
« coram omnibus arguere, non es correptor sed proditor... Ali-
« quando homines reprehendunt nos, quod quasi non corri-
« piamus, aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos
« tacere quod scimus. Sed forte quod scis et ego scio : sed non
« coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sicut
« homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant : ali-
« quando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque ze-
« lantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus. Nos

« non prodimus palam; sed in secreto arguimus. Ubi contigit « malum, ibi moriatur malum. »

Regula 3ª. — *Si delictum majori parti communitatis notum sit, non tenetur superior juxta denuntiantis petitionem agere, sed potest et quandoque tenetur in denuntiatum tanquam judex inquirere et procedere.* — « Ratio est, quia hoc ipso quod « delictum occasione denuntiationis evangelicæ resciat notorium, « ex officio de illo inquirere, sicque per modum inquisitionis « processum instituere potest, et exigente bono communi tene- « tur : quamvis nullam de facta sibi denuntiatione evangelica « mentionem in processu facere, neque processum vi denuntia- « tionis evangelicæ, sed vi officii per inquisitionem formare « valeat : quo casu potest etiam denuntiantem pro teste adhi- « bere, aut ei mandare ut *judicialiter* denuntiet. » (Reiffenstuel, in tit. 1, l. 4 Decret., n. 75.) Vide etiam Ameno (*Praxis criminalis*, tit. 9.)

Regula 4ª. — *Si delictum, etsi occultum, vergat in præjudicium communitatis vel tertii, non tenetur judex evangelice denuntianti morem gerere; sed statim ex officio inquirere potest, et denuntianti præcipere ut judicialiter denuntiet.* — Ita doctores communiter. « Ratio patet : quia cum in tali casu sub- « ditus judicialiter denuntiare teneatur, irrationabiliter petit « solum denuntiationis evangelicæ effectum; consequenter exau- « diri non debet, sed potius ad satisfaciendum obligationi suæ « urgeri. » (Reiffenstuel, citato loco, n. 76.)

Regula 5ª. — *Evangelice denuntiare possunt quilibet rationis capaces, etsi alias ad accusandum inhabiles forent.* — Cum enim evangelica denuntiatio, non vindictam in delinquentem, sed ipsius dumtaxat emendationem intendat, nihil refert quis denuntiet. In quo et concordant doctores.

Regula 6ª. — *Evangelice denuntiari potest quodlibet delictum, etsi omnino occultum, et soli peccanti nocivum.* — De quo pariter satis per se patet ratio, neque ulla est inter doctores controversia. (Vide Reiffenstuel, citato loco, n. 78.)

Regula 7ª. — *Ad denuntiandum, saltem evangelice, quodcumque proximi delictum, regulariter omnes tenentur.* — Præceptum enim Christi (apud Matthæum, 18) generale est, et ad omnes directum. Idem sequitur ex jure naturali ; ex generali scilicet charitatis præcepto, vi cujus tenetur quisque æternæ saluti proximi consulere. Diximus autem *regulariter,* ob sequentes excipiendos casus :

1° Si nihil profutura sit evangelica denuntiatio ; 2° si majus damnum allatura ; 3° si nociva denuntianti futura prævideatur. De quo vide Theologos.

Dari autem casus in quibus etiam ad denuntiandum *judicialiter* urgeat obligatio, infra exponitur.

Hæc de evangelica denuntiatione, tanquam de materia minus ad præsentem tractatum pertinente, cursim adnotavimus. De judiciali vero denuntiatione, quæ proprius est hujus capitis scopus, enucleando canonico juri, nunc paulo magis immorandum.

§ III.

A quo fieri possit judicialis denuntiatio.

Facile non est, ob juris sacri textuum hac in re egestatem, discernere quinam ad judicialiter denuntiandum habiles sint, vel inhabiles. Nec mirum vetustioribus decretis eliquatam quæstionem non fuisse ; cum denuntiatio non introducta sit, nisi ut ad inquisitorium processum via sterneretur ; inquisitoria vero forma ante undecimum circiter sæculum (ut infra probamus) in ordinarium procedendi modum non transierit ; solaque regulariter antiquitus obtinuerit accusatoria via. Hinc sedulo expendenda momenta omnia, e quibus deduci posse conclusio videatur.

I. *Quid concludendum sit ex textibus juris qui afferri possunt.* — 1. Ad rem facere videtur decretalis Innocentii III *Cum dilectus* (c. 20, tituli 1, libri 5 Decretalium), cujus occasio hæc

extitit : Nonnulli clerici de quibusdam criminibus Episcopum suum denuntiaverant. Objecit Episcopus audiendos non esse clericos illos, tum quia publici concubinarii erant, et hac de causa jam excommunicati, tum quia illum ante denuntiationem non præmonuerant, tum denique quia in ipsum conspiraverant. Qua de re a judicibus consultus Innocentius Papa III, respondit : « Si vobis constiterit prædictos, quorum nomine sunt ex- « cessus hujusmodi de Episcopo nuntiati, publice concubinarios « tunc fuisse, propter quod in eos fuit excommunicationis sen- « tentia promulgata, vel præfatum Episcopum de jam dictis « excessibus non fuisse præmonitum ab eisdem, vel ipsos « conspirasse in eum, a denuntiatione repellatis eosdem : alio- « quin audiatis. »

Ex hac autem decretali quid rigorose concludi possit expendamus. Si liquido constaret ibi agi de proprie dicta denuntiatione, non vero de accusatione, merito quidem concluderetur ad denuntiandum inhabiles esse concubinarios publicos, excommunicatos, conspiratores, et insuper eos qui prævio denuntiatum non monuerunt. At vero certum non est ibi memoratos clericos *denuntiatores* dumtaxat fuisse ; neque id rigorose probant verba hæc, *quorum nomine sunt excessus hujusmodi de Episcopo nuntiati;* quia, etiam si *accusatores* proprie dicti extiterint, potuerunt ea verba ab Innocentio usurpari : nam ille etiam qui accusat, *delictum nuntiat ;* licet vice versa omnis qui denuntiat, stricto juris sensu non accuset. Cum ergo certum non sit ibi non agi de accusatione, sed de simplici denuntiatione, nihil ex allata decretali rigorose concludi posse videtur.

2. A nonnullis etiam canonistis adducitur caput *Si quis* (2, tit. 1, libri 5 Decret.), in quo sic statuitur : « Si quis Episcopus « ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt, accusatus fuerit, « postquam ab eis charitative conventus fuerit ut causam emen- « det, et eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad Pri- « mates causa ejus canonice deferatur. » Putant nempe dicti canonistæ, quod ibi de *accusatoribus* decernitur, et de *denuntiatoribus* esse intelligendum. At gratuita prorsus hæc assertio;

præsertim cum ejus ævi sit decretalis, quo sola regulariter vigebat accusatorii processus forma.

3. Alios autem textus, quibus de personis ad denuntiandum inhabilibus quidquam decernatur, non reperio, nec citatos ab auctoribus vidi. Nisi forte quædam extent hac de re Pontificum recentiorum, aut congregationum romanarum decisiones, quod nondum expendi; a quibus proinde præscindendo, concludendum videtur quæstionem ex juris textibus dirimi non posse.

II. *Quid communius hac de re doctores senserint, et quid ex eorum opinione concludendum.* — Ad denuntiationem quam vocavimus *Interesse privati*, qua nempe quis illati sibi a delinquente damni reparationem persequitur, quoslibet esse admittendos, communiter doctores concedunt. At vero si de alia denuntiatione agatur, quæ publicum dumtaxat interesse respicit, seu quæ fit ad publicam delicti vindictam, pro regula ponunt eos esse ad denuntiandum inhabiles, quos jus ad accusandum non admittit. « Inhabilis ad accusandum (ait Reiffenstuel, in « tit. 1, l. 5 Decret., n. 85), est etiam inhabilis ad faciendam de« nuntiationem publicam seu criminalem, ad publicam nempe « vindictam. » Addit autem citatus auctor eam sententiam esse *communiorem*, et deduci ex capite *Cum dilectus*, a nobis modo relato. Tum eam opinionem hac ratione confirmat : « Quia hæc « denuntiatio habet eumdem finem et principalem effectum cum « accusatione publica, nempe vindictam ob bonum communita« tis, in exemplum aliorum, agitque vices accusationis. Hinc « valet argumentum ab accusatione ad denuntiationem, et vice « versa. » Supponendo communiorem revera esse illam sententiam, prout affirmat Reiffenstuel, solidum tamen non videtur præcipuum ipsius fundamentum, decretalem scilicet *Cum dilectus*, ut supra ostendimus.

Sed præterea eliditur sententia hæc, ex facto, quod pariter a doctoribus tanquam certum admittitur; ex generali nempe in contrarium consuetudine. De qua sic idem Reiffenstuel citato loco : « Notat tamen Ludovicus Ameno (Praxis crimina« lis, tit. 9, § 3, n. 15), ex communi tribunalium praxi ac

« recepta consuetudine, hodie quemvis, licet alias inhabilem, « admitti ad denuntiationem judicialem, etiam publicam seu « criminalem; eo quod per denuntiationem solum sternatur via « ad inquirendum. »

III. *Conclusio quoad hodiernum jus.* — Quæ præmissa sunt resumendo, videtur, 1° ex juris textibus rigorose non probari quosdam esse ad denuntiandum inhabiles; 2° neque id liquido evinci ex doctorum auctoritate; 3° et etiamsi ex utroque hoc capite ad denuntiandum certo inhabiles forent quædam hominum classes, contraria tamen generali consuetudine sublatam censendam fore hancce juris dispositionem.

His porro sic stantibus, dicendum videtur posse hodie ad denuntiationem faciendam admitti quoscumque homines, etiam excommunicatos et infames, modo tamen judici indicent idoneos testes, aliave media, quibus delictum probari posse prudenter speretur.

Nec nimia videatur hæc conclusio; est enim ipsimet denuntiationis institutioni valde consentanea. Denuntiatio nempe non est proprie specialis aliquis processus; sed occasio dumtaxat, qua posita, judex potest inquisitorium processum inchoare. Judex quippe non potest in quempiam procedere nisi jam de delicto patrato gravia indicia acceperit. Parvi autem refert a quibus hominibus hæc indicia ipsi exhibeantur : sed bonum societatis omnino exigit, ut in reum inquirat, quando in manu habet, unde eum convincere possit. Quid refert, verbi gratia, hebræum esse vel excommunicatum, qui judici ecclesiastico nuntiat alicujus clerici delictum, ei simul indicans idoneos testes, qui rem confirmare valeant, vel alia tradens instrumenta, quæ vim probationis habeant? Nonne eodem modo inquirere debebit judex, ac si per catholicum et probum virum æquivalentes delicti probationes excepisset?

Neque objiciatur posse denuntiantem in judicium ad confirmandam denuntiationem a judice vocari : stare autem in judicio non posse infames et excommunicatos. Nam id probat tantum non posse judicem ejusmodi denuntiantes in processu admittere;

non autem probat eum non posse ab iisdem ante processum delicti indicia et probationes excipere. Immo etiamsi obierit denuntians, potest judex, sufficientibus ad probandum delictum documentis per denuntiationem instructus, in reum inquirere et procedere.

Hinc tandem vera et tuta in praxi mihi videtur hæc conclusio : posse hodie a judice ecclesiastico personas quaslibet ad denuntiandum admitti ; et in nullo casu irritum fore processum, ex sola denuntiantis ad denuntiandum inhabilitate. Quod tamen cum ea limitatione intellectum velim, nisi aliqua in contrarium extet, quæ me fugerit, Pontificia aut romanarum congregationum decisio.

§ IV.

Contra quos, seu de quibus delictis fieri possit judicialis denuntiatio.

Regula 1ª. — *Denuntiari potest quodlibet delictum, de quo jam fama existit, etiamsi denuntians exhibere judici nequeat ulla alia ad delictum probandum media.* — Nam ex dicendis in sequenti capite, sufficit fama publica, ut judex in delinquentem inquirere possit. Ergo denuntiatio inutilis non est, si judici notam solummodo faciat famam de delicto, quamvis nullas alias delicti indicationes exhibeat. Aliunde talis denuntiatio prava dici nequit, ex eo quod denuntiati famam lædat ; si quidem, ex hypothesi, denuntiatus jam infamia laborat ; unde si forte innocens sit, expedit ei ut judicium interveniat, et sic ab omni suspicione vindicetur ; atque adeo proficua ipsi est, nedum injuriosa, ejusmodi denuntiatio. Ex fine autem ad quem tendit, honestissima est denuntiatio illa : pro scopo enim habet ut, comperta per inquisitorium processum veritate, vel integritati famæ restituatur innocens, vel reus debita pœna plectatur.

Nec objiciatur ex communi doctorum sententia, modo exponenda, *denuntiari non posse crimen, nisi et probari possit.* Nam præterquam quod hoc dicunt de crimine occulto, de

quo nempe nondum extat infamia, falsum est delictum jam fama vulgatum non esse de iis *quæ possunt probari*. Siquidem existente diffamatione, potest judex inquirere, et per inquisitorium processum facile est ad delicti probationes devenire.

Prima ergo regula hæc quam posuimus, tamquam omnino certa habenda est; nec cæteroquin in quæstionem a doctoribus vocatur.

Regula 2ª. — *Delictum occultum, etiamsi probari possit, denuntiari nequit judicialiter seu ad vindictam publicam.* — Thesis hæc valde controvertitur, præsertim si agatur de officiali publico, ad denuntianda ex officio delicta constituto, verbi gratia, de fiscali promotore episcopalis curiæ.

Nihilominus sub sequenti capite (§ 2) probamus, regulariter non posse judicem absque prævia infamia inquisitionem instituere, sive procedat ex mero suo officio, sive ad instantiam alicujus denuntiatoris pœnam delicti postulantis; idque verum remanere etiamsi hoc modo denuntians sit ipse fiscalis promotor. Hanc nempe conclusionem genuino pontificiorum decretorum sensu aperte suaderi, et in eam veteres juris sacri interpretes consensisse. « Si vero, ait glossa, procedet judex ad petitionem « alicujus procurantis inquisitionem..., si ille (*nempe denun-* « *tiatus*) negaret infamiam præcessisse, cognoscet primo judex « utrum sit infamatus... *Alias non procedat, nisi primo constet* « *quod sit infamatus* » (in c. 24, tit. 1, l. 5 Decret., verbo *Ad inquirendum*). Ex auctoribus autem qui contrarium affirmant, aliquos intelligi posse tanquam locutos de denuntiatione *ad correctionem* dumtaxat, non *ad pœnam*; cæteros vero, præsertim Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 88) in hac re deviasse, et potius relinquendos esse videtur.

Dicimus autem *regulariter*; quia in nonnullis casibus, verbi gratia, si ex delicto occulto grave damnum communitati seu proximo immineret, posset denuntiari ad effectum vindictæ publicæ, et judex ad instantiam talis denuntiatoris, imo ex mero suo officio posset judicialiter procedere.

Regula 3ª. — *Si crimen occultum remanserit, et probari nequeat, denuntiari judicialiter non potest.* — Est sententia communis et certa, teste inter alios Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 89). Intelligitur autem regula hæc, tum de crimine *omnino* occulto, quod, verbi gratia, præter denuntiantem nullus noverit; tum de crimine eo sensu occulto, quod ita pauci illud noscant, ut delinquens nondum infamia publica laboret. Ratio qua nititur posita conclusio, satis per se patet. « Cum denuntiatio « judicialis, ad vindictam publicam, publico judicio inferendam, « tendat, sicut accusatio, publico autem judicio sine legitima « probatione puniri nemo possit, injuste quis judicialiter denun- « tiatur de crimine quod probari nequit, cum sine fructu fama « ejus læderetur. Et licet denuntiator de jure non incurrat pœ- « nam talionis, ut in probatione deficiens accusator, reputatur « tamen calumniator, et ut talis punitur.

« Imo nec potest judex recipere denuntiationem judicia- « lem, vel vi illius ad inquisitionem procedere et processum « instituere, nisi videat a denuntiatore tales denominari testes, « aut offerri probationis media, per quæ delictum sufficienter « probari valeat: secus faciens censetur etiam esse calumnia- « tor, utpote judicium publicum sine probationibus intentans; « nec evadit pœnas calumniatoris, saltem extraordinarias ar- « bitrio judicis imponendas. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 89.)

Ex dictis sequitur non posse delictum judicialiter denuntiari, si, præter denuntiantem, unus tantum illud noscat. Quia nempe ad probationem judicialem non sufficit unius testimonium. Si vero, præter denuntiantem, duo existant idonei testes, potest delictum denuntiari; quia duo sufficienter probant, ut constat ex capite *Licet* (23, *de Probationibus*).

In casu quo duo dumtaxat delictum testari possint, et velint illud denuntiare, debent curare ut denuntiatio per tertium fiat. Nam ille tertius, etsi ad testificandum non sit idoneus, ad denuntiandum tamen sat idoneus erit, cum possit duos testes judici nominare. E contra, si unus ex duobus testibus denun-

tiationem facere vellet, denuntiatio probabiliter non valeret et a judice rejicienda esset : nam « utrum denuntians testis « esse possit in causa denuntiata, dissident inter se doctores, » ait Schmalzgrueber (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 117); unde, si unus e duobus solis testibus evaderet denuntiator, jam probabiliter unus solus idoneus, ac proinde insufficiens, remaneret testis.

Exceptiones ad præmissam regulam. — 1° Datur tamen ad hanc tertiam regulam notabilis hæc exceptio : delictum nempe occultum, quamvis probari nequeat, si communitati vel privato grave damnum illaturum sit, posse denuntiari sustinent doctores multi. Casus est hujusmodi : ego scio, verbi gratia, Titium sese parare ad comburendam civitatem, occidendumve proximum, aut alia facinora secreto perpetrare, quibus pergit quotidie grave damnum communitati aut certis personis inferre. Non tamen possum judici sufficientes testes nominare, nec alia media ad delictum probandum idonea suppeditare : atvero si quod scio judici aperiam, invigilabit ille damnumque avertet, imo et forte sufficientia documenta reperiet, vi quorum in Titium procedere possit. In hoc ergo casu posse, imo et debere occultum delictum denuntiari, sustinent doctores gravissimi, quos vide indicatos apud Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 93, 108 et 109). Tunc vero non in eum finem denuntiatio fiet, ut judex in reum inquirat, cum nequeat inquisitio inchoari, nisi judici sufficientes probationes suppeditatæ fuerint ; sed tantum ut invigilet ; et sic damnum imminens præcaveat.

2° Excipiendum pariter delictum hæreseos, cujus denuntiandi obligatio existere potest, etiamsi probari nequeat. Constat ex quinta propositionum ab Alexandro VII damnatarum, tenoris hujusmodi : *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

§ V.

Quomodo facienda sit judicialis denuntiatio, seu quibus solemnitatibus vestiri debeat.

I. *Non requiritur denuntiantis inscriptio, qua onus in judicio probandi assumat, nec a fortiori qua ad pœnam talionis sese exponat.* — Ita tenent doctores communiter, et sequitur ex ipsa denuntiationis definitione. In hoc enim ab accusatione differt, quod accusator probandi onus sibi assumat, non vero denuntiator. Quod tamen non impedit quin teneatur denuntians ad suppeditanda judici ad probandum delictum media, quæ sufficientia prudenter æstimari possint : alioquin debet judex, ut supra vidimus, denuntiationem rejicere : sed aliud est quod denuntiator teneatur judici probationes indicare, quas ille sufficientes existimet ; aliud quod teneatur in processu ipso actoris personam gerere, et delictum denuntiatum probare.

II. *Aliæ omnes solemnitates in accusatione requisitæ, debent et in denuntiatione observari.* — Id etiam doctores tanquam certum habent, ut videri potest in eorum commentariis in titulum 1, libri 5 Decretalium ; et addunt *ita observari in toto mundo.* (Reiffenstuel, in titulum citatum, n. 94.)

Hinc 1° requiritur ut denuntiatio fiat per libellum ; id est, ut in scriptis offeratur, vel oretenus a denuntiatore proposita, saltem per actuarium vel notarium publicum scribatur, et in acta redigatur.

2° Ut exprimatur nomen judicis, denuntiantis et denuntiati.

3° Ut pariter exprimatur delicti qualitas seu species.

4° Item exprimi debet locus in quo patratum est.

5° Nec non tempus, indicato saltem anno et mense.

« Et quidem hæc omnia sunt de forma substantiali, et ita « necessaria, ut si aliquid horum omitteretur, processus esset « nullus, et reus absolvendus, etsi nemo quidpiam opponeret. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 94.)

6° Requiritur insuper ut denuntiator denominet testes; et judici suggerat probationes, media ac instrumenta quæ scit, vel habet. Id nempe necessarium est, ut judex cognoscere queat, an delictum sufficienter probari possit, et consequenter an debeat denuntiatio recipi vel rejici. Atque in hoc differt denuntiatio ab accusatione : nam accusator potest quidem, sed non tenetur testes statim ab initio denominare. Est et aliud discrimen circa testes : nam in processu accusatorio, *ab accusatore producuntur;* in denuntiatorio vero, licet eos indicaverit denuntiator, *assumuntur* a judice ex officio, suggerente denuntiatore.

§ VI.

An necesse sit judiciali denuntiationi præmitti monitionem charitativam seu evangelicam.

1. Aliqui doctores, inter quos Azorius (parte 3, lib. 13, cap. 21, dub. 5), et Pirrhing (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 9), sustinuerunt in foro quidem sæculari absque prævia evangelica monitione posse fieri denuntiationem judicialem : in foro autem ecclesiastico id nequaquam licere, sed judiciali denuntiationi præmittendam omnino esse charitativam correctionem.

2. Communior tamen est contraria sententia, quam defendunt Layman, Lessius, Castro Palao et alii quamplurimi. Rem ex professo discutit Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 98), cujus doctrinæ hæc summa est : *primo*, nec divino, nec humano jure prævia illa charitativa monitio ad valorem requiritur. *Secundo*, textus qui in contrarium afferuntur, nempe capita 2 et 20, tituli 1, libri 5 Decretalium, necnon caput *Novit* (*de Judiciis*), non probant. *Tertio*, cum finis denuntiationis non sit bonum seu emendatio delinquentis, sed vindicta publica ad exemplum et terrorem aliorum, inutilis est secreta monitio delinquenti facta; quia etiam sic prænonito isto et sese

corrigere volente, tota remanet faciendæ judicialis denuntiationis ratio. *Quarto*, generalis consuetudo, legum optima interpres, est ut judex a denuntiante non postulet, utrum charitativam monitionem præmiserit; neque probationem de hoc exigit; imo cum secreta remanere debeat evangelica correctio, de ea interrogare judex non potest. *Quinto*, etiam ad liceitatem non requiri prævium monitionem charitativam, gravibus rationibus concludit.

3. Quidquid sit de allatis utrinque juris textibus, ob rationem saltem generalis consuetudinis, in praxi pro valida et licita habenda est judicialis denuntiatio, cui præmissa non fuit evangelica monitio. Unde quæstioni huic, brevitatis causa, non duximus immorandum.

§ VII.

Quibus in casibus, non tantum possit, sed et teneatur quis judicialiter denuntiare.

Valde difficilis et intricata materia hæc de obligatione judicialiter denuntiandi. Eam ex professo et fusius cæteris tractavit Bonacina (sub finem secundi tomi, disputatione 6, pag. 1102, editio Lugduni 1629). Brevius expositam reperies apud sanctum Ligorium (libro 4, cap. 3). Apud canonistas autem, ubi titulum 1, libri 5 Decretalium explanant. Quod nos argumentum si vellemus per singula penitus rimari, longius præter scopum præsentis tractationis pertraheremur. Præcipua ergo dumtaxat capita hic attingemus, unumquodque postea in aliis tractatibus suo in loco fusius exposituri. Quælibet autem obligatoriæ denuntiationes ad triplicem fontem referri posse visæ sunt: ad jus scilicet naturale, ad jus positivum commune, et ad jus positivum particulare, idest ad monitoria Ordinariorum quæ certa crimina denuntiari præcipiunt.

I.

Denuntiationes obligatoriæ ex jure naturali.

Præmittendum imprimis est principium generale ab omnibus admissum: *Teneri scilicet quemque ad avertendum grave communitatis damnum, etiam cum proprio suo incommodo : item teneri quemque ad avertendum grave damnum proximi, si id possit absque proprio suo detrimento, secus si non possit absque proprio notabili incommodo.* Qua prælucente generali regula, videtur jus naturale circa denuntiandi obligationem sic posse determinari.

1. Si delictum nocivum sit communitati, et qui novit non possit alio modo detrimentum arcere, tenetur judicialiter denuntiare, etiam cum proprio incommodo. Aperte sequitur ex præmisso generali principio, teneri scilicet quemque communitatis detrimentum prævertere, si possit, etiam cum proprio incommodo. Hic autem supponimus denuntiatorem posse sufficientes probationes judici suppeditare ; unde ad denuntiandum teneri censendus est. Atque id intelligendum est, etiamsi delictum sit occultum ; et sive sit patratum, sive patrandum ; quia, ex hypothesi, semper remanet ratio ad denuntiandum urgens, detrimentum nempe communitati obventurum, nisi denuntietur.

2. Si delictum nocivum sit alicui tertiæ personæ, et qui novit non possit alio modo detrimentum illud arcere, tenetur judicialiter denuntiare ; non tamen cum proprio suo incommodo. — Sequitur pariter ex præmisso supra generali principio, teneri scilicet quemque grave damnum proximi avertere, si id possit absque proprio detrimento.

3. Si delictum soli delinquenti nocivum sit, qui novit non tenetur illud judicialiter denuntiare cum proprio suo incommodo : imo etiamsi possit absque proprio incommodo, non videtur teneri. — Quod non teneatur cum proprio incommodo, sequitur ex principio generali neminem teneri ad avertendum malum proximi cum proprio suo detrimento. Quod non tenea-

tur ad denuntiationem judicialem, etiamsi eam facere possit absque proprio suo nocumento, sequitur ex eo quod delictum *soli delinquenti nocivum*, occultum sit; alioquin enim scandalum produceret, et communitati hoc ipso nocivum simul foret: occultum autem delictum et soli delinquenti nocivum judicialiter denuntiare, est illud publicum reddere, quod fieri nequit, quin oriatur scandalum, præsertim si occultus delinquens, magna integritatis fama præfulgeat. Jamvero malum ex tali publicitate seu scandalo in communitatem redundans, non solet compensari ex bono vindictæ publicæ. Hinc etiamsi posset quis in hoc casu absque proprio nocumento delictum judicialiter denuntiare, ad id tamen non teneretur, ne plus mali inde quam boni exurgeret. Teneretur tamen ad denuntiationem evangelicam, quia hæc citra publicitatem fieri potest.

Hæc ex jure naturali concludi posse visa sunt circa judicialis denuntiationis obligationem. Sed in hac materia positivæ leges Ecclesiæ multo magis attendendæ sunt, quam conclusiones quas quisque ratiocinando ex jure naturali deducere potest. Nam utrum recte eæ conclusiones deducantur in quæstionem vocari potest: si vero constet de præcepto Ecclesiæ talia et talia delicta judicialiter denuntiandi, id certum jus facit, nec remanet tergiversationi locus. Hinc maxime repetendæ ex jure positivo obligatoriæ denuntiationes.

II.

Denuntiationes obligatoriæ ex jure positivo communi.

1. Ex præcepto ecclesiastico judicialiter denuntiari debent impedimenta celebrandi matrimonii. Quibus documentis id probetur, et quænam causæ ab ejusmodi obligatione aliquando excusent, vide expositum in tractatibus de matrimonio.

2. Item qui novit indignitatem promovendi ad sacros ordines, tenetur eam superiori ecclesiastico judicialiter denuntiare. Quomodo etiam constet de hoc præcepto ecclesiastico, et

quænam circumstantiæ ab eo adimplendo excusent, vide in tractatibus *de Sacramento Ordinis*.

3. Item certa est lex ecclesiastica de hæreticis judicialiter denuntiandis. Constat capite 2 *de Hæreticis;* capite *Quapropter*, causæ 2, q. 7; bulla *Noverit universitas* Innocentii IV, anni 1254; bulla 2 Nicolai IV, anni 1280, quæ pariter incipit *Noverit universitas:* decreto Alexandri VII, anni 1660; et aliis documentis.

Quam Ecclesiæ legem intelligendam esse, tum de hæresi manifesta; tum de hæresi occulta; tum de hæreticis consanguinitate quolibet gradu nobis junctis; tum de hæresi nobis sub secreto (non tamen confessionis) manifestata; tum de hæretico jam emendato; tum a fortiori de apostatis; et de sortilegis ac maleficis, quoties initum fuit pactum cum dæmone, aut prævia fuit apostasia a fide; vide probatum a Bonacina (disputatione 6, *de Onere denuntiandi*, tom. 2, pag. 1109, edit. Lugduni 1629).

Excusari tamen a denuntiandorum hæreticorum obligatione tradit citatus auctor, 1° eum qui gravis damni metu a denuntiando retrahitur; 2° eum qui non certo scit, sed suspicatur tantum aliquem esse hæreticum; 3° socium criminis; 4° eum qui versatur in iis regionibus in quibus, scientibus inquisitoribus et Episcopis, hæretici cum catholicis permixti vivunt.

4. Item ex lege ecclesiastica judicialiter denuntiandi sunt suspecti de hæresi. Constat ex decreto Alexandri VII, anni 1660, *de Suspectis de hæresi*. De quo, et quænam crimina suspicionem de hæresi involvant, vide sanctum Ligorium (lib. 4, cap. 3, n. 251 et 254).

5. Item certum est præceptum ecclesiasticum de denuntiandis confessariis ad turpia sollicitantibus. Constat bulla *Cum nuper*, Pii IV; et bulla *Dilecte fili*, Pauli V, 16 septembris 1608; et bulla *Universi Domini gregis*, Gregorii XV, 30 augusti 1622. Quæ obligatio quomodo intelligenda sit, videri potest apud Bonacinam (loco cit., pag. 1112), et apud recentiores passim auctores; præsertim vero in constitutionibus Benedicti XIV hac de re editis.

6. Item denuntiandos esse confessarios qui exigunt a pœnitente sibi revelari nomen complicis ; sed tamen ad hanc denuntiationem non teneri pœnitentem in propria causa, decrevit Benedictus XIV pro regno Portugalliæ (bulla *Apostolici*, in ejus *Bullario*, tom. 3, pag. 102).

7. Denuntiandos esse qui societatibus secretis *Muratorum* (des francs-maçons), et similium nomen dedere, injunxerunt plurium pontificum, recentiorum etiam, constitutiones.

III.

Denuntiationes obligatoriæ ex jure positivo particulari, id est, ex decretis et monitoriis ordinariorum illas præcipientium.

Dubium non est Ordinarios Prælatos, pro ea qua pollent in suis territoriis legislativa potestate, denuntiandas quasdam graviorum delictorum species, etiam sub pœnis et censuris, præcipere posse. Imo quando aliquod delictum particulare patratum est, verbi gratia, aliquod furtum, possunt ad petitionem illius qui læsus fuit, monitorium edicere, quo cuilibet furem noscenti, eum denuntiandi obligatio imponatur.

Quæ Ordinariorum præcepta, edicta et monitoria, quo sensu obligent, quas personas, et quibus cum limitationibus, tractatum vide apud Bonacinam (*de Obligatione denuntiandi*, disput. 6, tom. 2, pag. 1102 et seq., edit. Lugduni 1629).

§ VIII.

Effectus denuntiationis judicialis quoad judicem, et denuntiamtem.

1. « Denuntiatio judicialis imprimis efficit hoc, quod ape-
« riat viam ad inquisitionem specialem ; ita ut judex, facta sibi
« denuntiatione vere judiciali, non tantum possit, sed teneatur
« ex officio inquirere, et processum incipere, citando et exa-
« minando testes, et alia probationis media per denuntiatorem

« contra delinquentem suggesta; adeo ut, si omittat, peccet ob « denegatam seu neglectam justitiam, teneaturque ad syndica- « tum, et amittat jurisdictionem quoad illam causam. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 125), atque communiter ita tenent doctores; et probant ex nonnullis juris Romani, in foro ecclesiastico vim habentibus, textibus. Quod tamen intellige, salva regula generali controversa, de non denuntiandis occultis delictis.

2. « Si facta denuntiatione reus est suspectus de fuga, vel ne « testes subornet, impediat, terreat, etc., potest conjici in « carcerem custodiæ causa, etiam ante citationem; dummodo « delictum sit grave, et adsint sufficientia indicia delicti a car- « cerando commissi, aut semiplena probatio, verbi gratia per « unum testem omni exceptione majorem » (Reiffenstuel, citato loco, n. 127). Probatur ex capite *Si clericos* (8, tit. 11, libri 5, in 6), in quo sic Bonifacius VIII : « Si clericos tuæ jurisdictioni « subjectos, propter commissos excessus, etiam per laicos capi « facias, et eos (ne fugiant) in carcere pœna debita postea « castigandos includas, te, vel capientes eosdem (licet nondum « appareat incorrigibiles eos esse), nulla credimus excom- « municatione innodari : cum in his (nisi alias ex propo- « sito excedatur in ipsis) temeritas vel injuria nequeat de- « prehendi. Eosdem quoque clericos, si de parendo juri tibi « fidejussoriam dederint cautionem, detinere non debes; nisi « excessus enormitas, vel alia causa rationabilis eos suaserit de- « tinendos. » Eadem reperitur in jure Romano dispositio : « Facta præsumptione tanquam reus sit, in custodia maneat, « donec causa terminetur » (lege 3, c. *de Custodia reor.*). Hodie autem multis in regionibus non possunt Episcopi hoc jure suo uti, quod eis nec familiam armatam (ut dicunt) habere sinant moderna gubernia, nec eisdem brachii sæcularis ad id auxilium præstent.

3. Denuntians tenetur testes denominare et probationis media suggerere, ut jam supra dictum est.

4. Quilibet denuntiator, a denuntiante *ex officio* diversus, si

convincatur scienter seu ex malitia falso denuntiasse, habetur tanquam *verus calumniator*, et pœnas calumniatorum subire debet. Ita doctores unanimiter : vide eorum commentarios in titulum 2, libri 5 Decretalium.

Si deficiat in criminis intentati probatione, hoc est, si verum non reperiatur delictum quod denuntiavit, habetur jam ex hoc solo tanquam *præsumptus calumniator ;* et ab officio ac beneficio suspendi potest, donec innocentiam purgaverit, id est, donec probaverit se bona fide sufficientes reputasse quas suggessit probationes. Constat ex decretali *Cum dilectus* (2, tit. 2, libri 5 Decret.), in qua sic Innocentius III : « Cum dilectus « filius magister scholarium Palæstinus ad Sedem Apostolicam « accessisset, et de suo Episcopo excessus varios nuntiasset, exa- « minationem commisimus excessuum objectorum... Cum autem « processum negotii examinaverimus diligenter, nec intelligere « potuerimus probatum esse sufficienter aliquod de prædictis, « eumdem Episcopum absolvendum decernimus ab objectis : « vobis mandamus quatenus memoratum magistrum schola- « rium, donec canonice suam purgaverit innocentiam, scilicet « quod non calumniandi animo ad hujusmodi crimina propo- « nenda processit, ab officio et beneficio suspendatis : ut cæteri « simili pœna perterriti, ad infamiam suorum non facile proce- « dant Prælatorum. »

5. Denuntians *ex officio*, qualis est fiscalis promotor, etsi in probando deficiat, non evadit *præsumptus calumniator*. Si tamen reperiatur *scienter* seu malitiose falsa intentasse crimina, pro *vero calumniatore* habetur, et calumniæ pœnas incurrit. « Ratio est quia obligatio officii eos excusat a præsumpta, non « item a vera calumnia. » (Reiffenstuel, in tit. 2, libri 5 Decret., n. 5.)

§ IX.

Effectus denuntiationis judicialis quoad denuntiatum.

Regula 1ª. — *Pendete dennuntiatione, non potest denuntia-*

tus ad dignitates ecclesiasticas, nec ad sacros ordines promoveri. — Constat ex capite *Omnipotens* (4, tit. 1, lib. 5 Decret.), in quo sic Gregorius Magnus : « Valde grave est ut vir de quo « tanta et talia nuntiantur (cum ante requiri et discuti debeant) « honoretur. » Cui decretali hæc rubrica præfigitur : « Qui de « aliquo crimine accusatur vel denuntiatur, interim promoveri « non potest. » Idem præterea merito concluditur ex certa juris sacri dispositione circa accusatos. Hi nempe, accusatione pendente, ordinari nequeunt ; ut satis liquet, tum ex decretali *Non debet*, sub sequenti regula citanda, tum ex decretali *Tantis* (3, distinct. 81), in qua, postquam a Cœlestino (epistola 2, ad Galliæ Episcopos, cap. 3) narratum fuit quomodo quidam, accusatione contra eum pendente, ordinatus fuerat Episcopus, in ordinantem et ordinatum pronuntiatur depositio. Porro quamvis ibi agatur dumtaxat de *accusatione*, urget ratio legis ut et *denuntiationi* applicetur : non minus enim ex denuntiatione quam ex accusatione patitur Rei fama. Vacillat nempe et in dubio est ipsius innocentia, donec per sententiam absolutionis in tota sua integritate restituatur. Non convenit autem ad dignitates vel sacros ordines promoveri eum, qui dubiæ integritatis est. Concordat præterea jus Romanum : « Reus delatus, etiam « ante sententiam honores petere principalibus constitutionibus « prohibetur. » (Lege *Reus*, 7, ff. *de Muner. et honor.*) Et tandem confirmatur posita regula ex unanimi doctorum sententia, qui eam pro certissima habent.

Regula 2ª. — *Extenditur præmissa regula, ita ut reus pendente denuntiatione, neque ad officia, neque ad beneficia promoveri valeat : item ut non possit esse procurator alterius, nec accusator, nec testis in causa criminali.* — Quod non possit ad officia et beneficia promoveri, sequitur aperte ex citata decretali *Omnipotens ;* cum ibi dicatur talem *honorandum non esse :* honoraretur autem si ad officium vel beneficium promoveretur. Atque id insuper confirmat doctorum ita decretalem interpretantium communis sententia. Quod non possit esse accusator, nec testis, deducitur ex decretali Gregorii IX *Non debet* (56, tit.

20, libri 2 Decret.), tenoris sequentis : « Non debet quis in cri-« minibus (nisi forsan in exceptis) ad testificandum admitti, « pendente accusatione de crimine contra ipsum : cum etiam « accusati (nisi prius se probaverint innocentes) ab accusatione « ac susceptione ordinum repellantur. » Quamvis enim ibi de accusatione dumtaxat sermo sit, ob rationes supra deductas, debet et denuntiationi decretalis applicari. Et tandem reum, denuntiatione pendente, non posse procuratorem esse alterius, disposuit jus Romanum, quoad hoc in foro ecclesiastico receptum, lege *Reum*, c. *de Procuratoribus*.

Regula 3ª. — *Dantur ad duas præcedentes regulas exceptiones nonnullæ.* — Dictæ siquidem regulæ applicationem non habent in sequentibus casibus :

1. Si delictum sit leve : quæ exceptio colligitur ex supra citato capite *Omnipotens* (4, tit. 1, lib. 3 Decret.), in quo dicitur : valde grave est ut vir, de quo *tanta et talia nuntiantur*, honoretur. Illa enim verba satis indicant præfatos effectus ex peccatis levibus non sequi. Quænam autem peccata gravia sint vel levia, exponit canon *Unum* (5, distinctionis 25).

2. Si ex conjecturis appareat, aliquem ex calumnia denuntiari eum in scopum, ut ab honoribus, dignitatibus, officiisve, aut beneficiis arceatur. Ita, post Fagnanum et alios, Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 134). Ego tamen non video ejusmodi exceptionem textibus juris, aut solidis rationibus sufficienter fundari.

3. Si denuntiatio non sit legitima ex defectu formæ, ut constat ex dictis supra § 5.

4. Si denuntiatio non intentetur *criminaliter*, sed dumtaxat *civiliter;* idest non ad vindictam publicam, sed ut denuntians obtineat sibi resarciri damnum a denuntiato illatum. Vide Reiffenstuel (in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 136).

5. Si elapsus fuerit annus a tempore factæ denuntiationis, et reus causa non fuerit cur lis adhuc pendeat et non sit terminata : tunc scilicet potest denuntiatus, pendente denuntiatione, ad dignitates, ordines, officia et beneficia promoveri. Id in jus ec-

clesiasticum transiit ex analoga juris Romani lege *Reus* (7, ff. *de Muner. et honor.*), in qua sic decernitur : *Sed post annum quam reus delegatus est, petere honores non prohibetur : nisi per ipsum stetit quominus causa intra annum expediatur.*

Regula 4ª. — *Denuntiatio non impedit honoris, dignitatis aut officii administrationem seu exercitium.* — Ita doctores communiter, fundati variis juris Romani textibus, præcipue lege 1, ff. *de Postulat.*, in qua sic habetur : « Sed melius est, ut « retinere quidem dicamus jam acceptum magistratum, aspirare « autem ad novum penitus prohiberi. »

Regula 5ª. — *Præcedenti regulæ datur exceptio hæc : Superior a subditis denuntiatus, non potest pendente denuntiatione exercere jurisdictionem suam quoad negotium, circa quod versatur denuntiatio : item si denuntietur dilapidationis reus, ab administratione bonorum removetur.* — Constat prior pars ex decretali *Olim* (26, tit. 1, libri 5 Decretalium), in qua agitur de quodam Prælato a subditis suis denuntiato : annulantur nempe excommunicationes, suspensiones et alia decreta, ab illo Prælato contra denuntiatores suos, post denuntiationem prolata.

Secunda pars constat capite *Prælatorum* (27, tit. 1, libri 5 Decretalium), in quo de Frisigiensi Episcopo, a canonicis denuntiato quod bona Ecclesiæ dilapidaret, sic inter alia decernitur : « Potestate vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodolibet « alienandi bona ipsius Ecclesiæ, interim eidem penitus inter- « dicta. »

CAPUT III.

NORMA PROCEDENDI PER INQUISITIONIS VIAM.

« Hodie processu accusatorio inquisitorius multo frequentior « est, et adeo invaluit, ut qui olim erat remedium extraordina-

« rium, jam transierit in ordinarium. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 172.) Immo dici potest adeo invaluisse inquisitoriam formam, ut accusatoria proprie dicta, seu mere criminalis a foro sæculari, ita expresse statuentibus modernorum populorum legibus, exclusa omnino fuerit; in foro autem ecclesiastico in desuetudinem fere abierit. Quæ tanta antiquæ disciplinæ immutatio, quo tempore inducta sit, et quid a catholico et prudenti viro de ea sentiendum sit, speciali dissertatione infra disquirimus. Hic vero in id dumtaxat intendimus, ut ipsa per viam inquisitoriam procedendi norma, utiliori qua poterimus quoad praxim methodo describatur.

§ I.

Quid et quotuplex sit inquisitio.

1° Inquirere seu indagare, juxta grammaticalem vocis sensum, est *agere ad detegendum aliquid.* In jurisprudentia autem, non cujuslibet personæ ad aliquid detegendum actus *inquisitio* vocatur, sed *judicis* dumtaxat. Imo non quælibet ipsiusmet judicis indagatio sub inquisitionis nomine venit, sed illa dumtaxat quam facit ad detegendum utrum aliqua vel aliquæ personæ aliquod vel aliqua delicta patraverint. Hinc recte definiri potest inquisitio : *Actus judicis, ad detegendum an aliqua persona aliquod delictum patraverit.* Ex qua definitione sequitur indagationem solius criminis, seu, ut dicunt, corporis delicti, non fore proprie dictam inquisitionem, nisi ad detegendum postea delicti auctorem ordinaretur. In hac autem tradenda inquisitionis notione concordant canonistæ, licet paululum diversis eam verbis exprimant, ut videre est in eorum commentariis ad titulum 1, libri 5 Decretalium.

2° « Notandum, esse triplicem inquisitionem. Prima est *om-*
« *nino generalis*, qua in genere inquiritur, an subditi servent
« leges, an non committantur crimina, an de nullo sit fama vel

« suspicio alicujus criminis. Hac utuntur Prælati et superiores « in visitatione provinciæ et locorum subjectorum. Secunda est « *omnino specialis*, qua de certa persona et de certo crimine « quæritur; verbi gratia, an Petrus commiserit simoniam, fur- « tum, etc. Tertia est *mixta*, quando vel solum crimen est spe- « ciale, vel sola persona : ut, quis fecerit istud homicidium : an « Petrus servet statuta vel ordinationes synodales. » (Lessius, *de Jure et Justitia*, libro 2, cap. 29, n. 107.) His autem tribus inquisitionis speciebus convenit modo tradita definitio ; si quidem in unaquaque, judex agit ad detegendum, an aliqua persona alicujus delicti auctor sit.

Quælibet vero ex tribus indicatis inquirendi formis, iterum distingui potest in paternam et judicialem : *paterna* ad delinquentium emendationem instituitur ; *judicialis* autem ad publicam delicti vindictam, et in exemplum cæteris profuturam. Quæ norma in singulis ejusmodi inquirendi modis servari debeat, nunc venit expendendum. Sed cum hæc procedendi norma præcipue pendeat a fundamentali quæstione, *an contra quemquam absque præcedente infamia possit inquisitorie procedi*, ideo quæstionem hanc in antecessum sedulo excutiendam duximus.

§ II.

Fundamentalis quæstio, utrum absque prævia infamia possit in quemquam inquisitorie procedi.

Multiplex casus distinguendus est : nam, vel agitur de inquisitione generali, vel de mixta, vel de speciali : iterum, vel judex ecclesiasticus procedit ex *mero officio* (seu nullo instante), vel ad instantiam promotoris denuntiantis, vel ad instantiam denuntiatoris privati : iterum quælibet ex præcedentibus inquisitionibus, vel judicialis est, vel paterna dumtaxat. Relative ad hos omnes casus resolvenda quæstio est.

I.

Casus inquisitionis judicialis specialis et ex mero officio.

Figurari potest casus hoc modo : Titius clericus grave delictum patravit, quod sufficientibus testibus aliisve documentis in judicio probari potest. Fama tamen ejus illæsa remansit, cum in publicum res adhuc sparsa non sit, sed a paucis dumtaxat noscatur. Quæritur, an Episcopus hoc resciens, possit, nullo accusante vel denuntiante, contra Titium judicialiter per inquisitionis viam procedere. Ad quod enucleandum, sit.

Propositio I^a^. — *Est certa juris canonici regula, non posse superiorem judicialiter contra quemquam, nondum diffamatum, per viam specialis inquisitionis procedere.* — Dicimus, per viam inquisitionis *specialis*, id est si agatur de tali determinata persona, et de tali determinato ipsius delicto. An idem concludendum quoad generalem et mixtam inquisitionem, infra expenditur. Dicimus esse *regulam ;* intellige generalem ; quæ an exceptiones aliquas admittat, infra exponitur. Quo prænotato, hanc magni momenti propositionem argumentis firmemus.

Probatur 1°, *juris textibus.* — Rem omnino evincit percelebre in hac materia caput *Inquisitionis* (21, tit. 1, libri 5 Decret.), in quo Innocentius III, a nonnullis Episcopis propositas difficultates diluit, et quomodo in eis procedendum decernit. Porro una ex istis difficultatibus ab ipso Pontifice sic memoratur : « Tertiæ «dubitationis articulus continebat, utrum, cum duo vel plures « jurati affirmant, aliquem crimen aliquod eisdem videntibus « commisisse, de quo aliqua infamia non laboret, aliquam illi « pœnam infligere debeatis ? » De quo casu Innocentius III sic jus declaravit et determinavit : *Ad hæc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamosa insinuatio non præcesserit, propter dicta hujusmodi puniendum : quinimo super hoc depositiones contra eum recipi*

non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt. Ibi clare agitur de crimine, quod per idoneos testes probari in judicio potest: et nihilominus, quia reus nondum est diffamatus, decernit Pontifex eum non posse puniri; imo nec esse contra eumdem recipienda testimonia; et rationem dans, ipsammet quam sustinemus propositionem, tanquam inconcussam juris regulam profert: *cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.* Hinc ad eam vocem *solummodo* ita notat glossa: *ex hoc habes quod de occultis non est inquirendum; nec super illis juratur. Unde si dicant testes super his, non valent talia dicta, utpote non jurati.* (Glossa edita Lugduni, anno 1435, tomus in decretales Gregorii IX, folio 343.)

Idem constat ex celebri decreto *Qualiter et quando* (24, tituli 1, libri 5 Decretalium), in concilio œcumenico Lateranensi anni 1216 prolato, in quo sic statuitur: *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic et denuntiationem charitativa monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio prævenire.* Ergo si velit superior per viam inquisitionis procedere, necesse est præcessisse Rei diffamationem. Cujus legis fundamentum et ratio, sic exponitur sub ejusdem decreti initium: *Qualiter et quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum et puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus Veteris et Novi Testamenti colligitur evidenter; ex quibus postea processerunt canonicæ sanctiones: sicut olim* (1) *aperte distinximus, et nunc sacri approbatione concilii confirmamus. Legitur enim in Evangelio, quod villicus ille qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo:* Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris amplius villicare. *Et in Genesi Dominus ait:* Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint. *Ex quibus auctoritatibus manifeste probatur, quod non solum cum*

(1) Jam scilicet anno 1212, Innocentius III idem decreverat, atque iisdem fere terminis; ut videre est in capite 17, tituli 1, libri 5 Decretalium.

subditus, verumetiam cum Prælatus excedit, si per clamoremet famam ad aures superioris pervenerit (non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis; nec semel tantum, sed sæpe, quod clamor *innuit*, et diffamatio *manifestat*); *debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem diligentius perscrutari; ut (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis; non tanquam idem sit accusator et judex, sed quasi denuntiante fama, vel deferente clamore, officii sui debitum exequatur.*

Ne vero quis putet noviter a nobis excogitatam hanc citatæ decretalis interpretationem, vetustam glossæ expositionem subjiciamus : « Tunc autem debet Prælatus procedere ad in-« quirendum, cum famam et frequentem clamorem intelligit « de excessibus alicujus, seu etiam aliquorum, prout patet ex « tenore istius constitutionis ; et quod sit infamatus, non a « malevolis et inimicis ; sed a bonis et discretis... Et tunc dis-« tinguendum : quia aut procedit ex officio suo, aut aliquo « postulante inquisitionem. Si ex officio suo, tunc Prælatus « cum aliquibus de canonicis suis debet descendere ad locum ; « quia ibi potest melius inquiri... Si vero procedat judex ad « petitionem alicujus procurantis inquisitionem, sive sit Ordi-« narius sive delegatus, ad locum accedat si potest : et vocet « illum contra quem procedere debet, et tunc recipiat testes « quos ille producet qui impetravit inquisitionem. Tamen si « ille negaret infamiam præcessisse, cognoscet primo judex « utrum sit infamatus ; et postea procedet super iis quæ de-« nuntiata sunt : alias non procedat, nisi primo constet quod « infamatus sit. » (Glossa in cap. *Qualiter* 24, tit. 1, lib. 5 Decret., verb. *Ad inquirendum.*)

Idem constat ex decretali *Cum oporteat* (19, tit. 1, l. 5 Decret.) ejusdem Innocentii III. Ibi enim agitur de quodam Episcopo, quem multorum excessuum reum Sedi Apostolicæ denuntiaverant nonnulli canonici : ad hanc porro causam delegatis judicibus sic præscribit Pontifex : *Discretioni vestræ mandamus, quod nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non subito procedatis.* Dum

autem dicitur *subito*, non est intelligendum quasi post aliquod tempus procedi possit, nulla adhuc exorta infamia; sed ea vox idem ibi sonat ac præcipitanter seu inconsiderate; prout constat, non tantum ex canonistis, qui ita communiter intellexerunt, sed ex ipsa etiam rubrica huic capiti præfixa, quæ sic habet : *de veritate criminum non inquiritur, nisi prius constet de infamia.* Unde glossa supra citata ad eas voces, *nisi famam ipsius læsam esse noveritis*, sic adnotat : « Hoc ideo dicit, quia non « est procedendum ad inquisitionem contra aliquem, nisi contra « infamatum. »

Idem constat ex capite *Postquam* (1, tit. 1, libri 5, in 6), in quo agitur de reo, qui in processu inquisitorio crimina sua confessus est, et postea valere processum negat, sub eo prætextu quod de iis criminibus non fuerit infamatus. De quo Bonifacius VIII : *Postquam coram eo, qui contra te super certis criminibus inquisitor fuerat deputatus, eadem crimina fuisti confessus, frustra confessionem tuam (quominus puniaris ex ea, prout justitia suadebit) eo prætextu impugnare contendis, quod super eisdem criminibus non fueras antea diffamatus.* Ex quo textu sic argui licet : prætextus *quod infamia non præcesserit*, ideo rejicitur, quia reus in judicio crimen confessus est. Ergo extra hunc casum Rei crimen confitentis, valide impugnari potest processus ex ea sola allegatione, quod infamia non præcesserit. Ergo aperte supponit hæc decretalis prævіæ infamiæ necessitatem, ut possit contra aliquem inquisitorie procedi. Quod adeo patet, ut glossa dixerit eam deductionem esse *principalem* hujus decretalis *effectum* : « Nota effectum principalem hujus capitis : quod « judex non debet contra aliquem inquirere, nisi sit de crimine « diffamatus; et potest ille contra quem inquiritur allegare et « proponere, quod non est diffamatus. » (Folio 126, editore Fradin, Lugduni 1435.)

Idem constat ex decretali *Si is* (2, tit. 1, lib. 5, in 6), in qua sic statuit Bonifacius VIII : *Si is, cui contra te commissa fuerit simpliciter inquisitio super certis criminibus facienda, processerit (te præsente, nec reclamante, nec quicquam super hoc*

excipiente, infamiæ inquisitione omissa) *ad veritatem eorumdem criminum inquirendam ; processum hujusmodi, ex eo quod non fuit de infamia primitus inquisitum, ulterius impugnare nequibis.* Ex quo textu sic argui licet : tunc impugnari non posse processum *ob omissam prævio infamiæ inquisitionem* decernitur, quando reus præsens fuit, et videns hanc omissionem non reclamavit : ergo reus reclamare potest et processum impugnare ob omissam prævium infamiæ inquisitionem : ergo necessaria est prævia circa infamiam inquisitio : ergo de infamia prius constare debet, quam possit in quemquam inquisitorie procedi : ergo non nisi in diffamatos inquisitorie procedi potest. Notandum tamen, etsi semper judici prius constare debeat de infamia, non semper tamen eum teneri ad inquirendum de ea. Si enim *ex mero officio* procedat, et ipsi sufficienter constet de infamia, inutiliter ad eam probandam processum instrueret ; cui enim probaret, nisi sibi ? Si vero procedat ad *instantiam alterius* (ut erat casus in præsenti decretali), debet prius inquiri et judicialiter probari infamia ; quia tunc illi qui instantiam facit incumbit infamiam apud judicem probare. Sed in utroque casu verum remanet prærequiri infamiam ut in aliquem inquisitorie procedi possit. Hanc citatæ decretalis interpretationem confirmat glossa : « Papa commisit alicui « inquisitionem simpliciter faciendam super aliquo crimine ; et « fuit facta inquisitio ad requestam alterius, non autem ex of- « ficio. Certum est quod ille inquisitor debet facere duos pro- « cessus : primum super infamia, an ille sit diffamatus : et si « per inquisitionem reperiat eum non diffamatum, non proce- « det ad inquirendum de veritate criminis. Sed ponamus quod « inquisitor omisit istum ordinem : quia primo fecit inquisitio- « nem super veritate criminis, et criminosus non opposuit quod « debebat primo facere inquisitionem super infamia. Postea « inquisitione facta super veritate criminis, ipse contra quem « facta fuerat inquisitio, voluit allegare, quod primo debebat « judex inquirere super infamia, quam super veritate criminis. « An sit admittendus ad proponendum et allegandum quod

« processus non valet? Respondetur quod non : quia est sibi « imputandum quare passus est inquiri de veritate criminis, « priusquam constaret de infamia : quia cum istud fuerit intro- « ductum in favorem sui, potuit illi favori renuntiare. » (Glossa impressa Lugduni, anno 1435, fol. 126.)

Probatur 2°, *ex communi doctorum sententia.* — Refert Fagnanus (in c. 24, tit. 1, lib. 5 Decret., n. 60) quomodo Clarus (in sua *Practica criminali*, q. 6) aliquid contrarium thesi quam hic defendimus dicere visus sit : diversam nempe invaluisse praxim, ita ut ipse nullum processum inquisitorium viderit a diffamatione incipere : quam diversam tribunalium praxim idem Clarus describit. Quo prænotato sic pergit Fagnanus : « Sed contra hujusmodi practicam insurgit Rolandus (in consilio « 57, n. 26, vol. 4). Nam secundum eum, licet testimonium « Clari sit magnum, tamen est spernendum, quia *omnes doc-* « *tores*, *tam antiqui quam moderni*, concludunt et exclamant, « in inquisitione famam debere præcedere ; nec aliquis eorum « dicit de consuetudine contrarium servari, prout dicit Clarus. « Quinimo totus mundus sequitur hanc conclusionem, quod *in-* « *quisitio*, *non præcedente diffamatione facta*, *nulla et inva-* « *lida sit.* » Ostendit postea Fagnanus Clarum non præcise dixisse quod supponit Rolandus. Tum ipse describens differentias in procedendo, prout judex vel ex mero officio procedit, vel ad alterius instantiam, ita subjungit : « Secunda differentia est, « quia quando procedit ex mero officio, non tenetur recipere « probationem super fama ; satis est enim ut de ea constet sibi : « secus quando procedit ad alterius instantiam... Glossa et ca- « nonistæ nostri non dicunt diffamationem non requiri quando « judex ex officio procedit : imo dicunt etiam eo casu judi- « cem debere per se inquirere de fama ; sed tantum asserunt « satis esse, ut de hujusmodi fama constet judici, qui non te- « netur de ea fidem facere, nec probationes assumere quando « procedit ex officio suo ; sed solum quando procedit, alio inqui- « sitionem promovente ; et ita *utroque casu diffamationem re-*

« *quirunt*, *sed solum constituunt differentiam super illius* « *probatione.* » (Loco cit., n. 64.)

Idem quod Fagnanus, testatur Lessius (*de Jure et justitia*, lib. 2, c. 20, n. 121), quæstionem ipsam ex professo sic expendens : « Utrum ad inquisitionem specialem necesse sit in- « famiam præcedere? Respondeo : communis doctorum senten- « tia est, ut judex possit contra aliquem instituere inquisitionem « specialem, tendentem ad punitionem criminum, debere « præcedere aliquam infamiam auctoris. Dico *tendentem ad* « *punitionem :* quia ad malum impediendum, ut quando agitur « de beneficiorum et officiorum collatione, vel de matrimonio « contrahendo, licitum est inquirere de impedimentis vel delictis « personarum particularium, etsi nullus de illis sit rumor... De- « bent tamen tunc crimina superioribus aperiri secreto, et quam « minima fieri potest famæ læsione. »

Probatur 3°, *rationibus apud doctores in confirmationem juris positivi adduci solitis.* — « Ratio est quia judex, quando « ad punitionem criminum procedit, debet ex scientia publica « procedere : scientia autem publica est, quæ habetur per accu- « sationem, vel confessionem Rei in judicio, vel per infamiam, « aut per facti evidentiam in conspectu judicis et aliorum. « Confirmatur : quia merito quisque posset queri sibi fieri « injuriam, si in vitam ejus juridice inquireretur, cujus fama « alioquin est integra : nam per talem inquisitionem redditur « suspectus. » (Lessius, *de Jure et justitia*, l. 2, c. 29, n. 122.)

Probatur 4°, *ex jure naturali.* — Quamvis enim probatio hæc ex jure naturali deducta rigorosa non sit, utpote apud doctores controversa et minus recepta, tamen illicitum non est eam sustinere. Potest autem hoc sensu defendi : *Nisi delictum occultum vergat in damnum communitatis aut proximi, non debet judicialiter inquiri ad pœnam, etiamsi in judicio probari possit.* Nam jure naturali prohibetur ne cui injuria per famæ læsionem inferatur, nisi bonum communitatis, quod quisque tenetur etiam cum proprio detrimento procurare, id exigat. Atqui in hypothesi criminis occulti, sed nec communitati nec proximo nocivi, si fiat

inquisitio, læditur Rei fama, quin excuset prædicta boni publici ratio; ergo talis inquisitio contra jus naturale censenda est. Nec objiciatur tunc negligendam fore a superiore ipsius delinquentis salutem. Nam ad hoc bonum reo impertiendum patet via *paternæ* inquisitionis et correctionis.

Item non objiciatur per pœnam publicam efficacius quam per solam paternam correptionem saluti occultorum delinquentium provideri. Nam neque hoc bonum delinquenti occulto præstitum, neque exemplum ex vindicta publica, *ordinarie* compensat scandalum quod ex productis in publicum occultis delictis oritur. Hac nempe publicitate, præsertim quando alicujus Prælati vel clerici, pro integerrimo huc usque habiti, occultum facinus judicialiter panditur, multi debiles scandalizantur, atque in discrimen fidei aguntur, reique catholicæ hostes ansam vituperandi et nocendi arripiunt.

Nec tandem objiciatur semper adesse nocumenti publici rationem, cum indirecte saltem nocivum semper communitati sit, non coerceri delicta occulta quæ probari in judicio possunt. Nam positis circumstantiis in quibus Ecclesiæ catholicæ familia ordinarie versatur, aperta scilicet ex una parte correctionis paternæ via, aliunde vero imminente dicti scandali (si judicialiter procedatur) periculo, minus malum est, regulariter loquendo, occulta delicta, quæ directe communitatem aut proximum non lædunt, impunita relinqui.

Ego tamen eam ex jure naturali probationem non sustineo; sed ut quæstionis dumtaxat gravitas magis attenderetur delineatam volui.

Propositio II[a]. — *Præmissa generalis regula, qua nempe ad inquisitorium processum prævia infamia requiritur, aliquot admittit limitationes.* — A præfata generali regula certos quosdam excipiendos esse casus constat ex ipso etiam jure canonico, et doctorum communi sententia.

Primus casus excipiendus est, si quis crimen occultum confessus sit in judicio. Aperte id declarat supra citata decretalis *Postquam* (1, tit. 1, lib. 5, in 6).

Estque intelligendum etiamsi confessus fuerit « coram pau-« cis ; ut coram solo judice et notario. Idem dicendum etiamsi « solum incidenter illud confessus sit, ut communiter tradunt « jurisperiti. » (Lessius, *de Jure et justitia*, l. 2, c. 29, n. 124.) Ratio est, quia talis confessio inducit *notorium* juris. Notorium autem, est plusquam publica diffamatio. Unde stricte loquendo hic casus non est proprie exceptio a regula, sed potius regulæ consonat, cum posita confessione in judicio, jam existat omnium validissima infamia.

« Secundus est, quando judici per generalem inquisitionem « procedenti, patefactus est auctor : tunc enim potest contra « eum procedere, ut docet Navarrus contra Sotum : estque « communis sententia jurisperitorum (in legem 2, ff. *de Adult.*). « Neque refert quod testis forte peccaverit revelando, eo quod « nulla esset infamia : quia ex quo crimen deductum est in « publicam judicis notitiam, sive bene, sive male, ille tenetur « contra illud procedere per particularem inquisitionem, et « punire. » Ita Lessius (loco citato). Sed adverte, hanc exceptionem esse controversiæ obnoxiam ; tum quia ab omnibus non admittitur ; tum quia illam ex jure Romano, non autem canonico deducunt, tum quia supra citato capiti *Inquisitionis* (21, tituli 1, libri 5 Decretalium) contraria videtur, cum ibi expresse statuatur, non tantum per viam inquisitionis procedi non posse contra non diffamatum, sed neque contra illum depositiones recipi debere.

« Tertius est quando delictum commissum est in judicio : ut « si testis falsum deponat in judicio, si accusator calumnietur. » (Lessius, *de Jure et justitia*, l. 2, c. 29, n. 127.) Sed hic casus, sicut et duo præcedentes, in *notorium* reincidere dici potest, et sic non esse proprie dictam regulæ exceptionem.

« Quartus est, in crimine hæresis et apostasiæ : in his enim « sine accusatore, etiam sine infamia inquiri potest. Colligitur « ex capite *Excommunicamus* (*de Hæreticis*), et lege *Apostata-* « *rum* (4 codicis, *de Apostatis*). Ratio est quia hæc crimina sunt « maxime noxia reipublicæ : ab his enim semper impendet aliis

« periculum eversionis. Requiritur tamen aliqua suspicio orta « ex indiciis non levibus. »

Quintus casus est, quando inquisitio non fit ad publicam delicti vindictam, sed ad malum aliquod imminens impediendum. Et sic inquisitio, etiam nulla præcedente infamia, fieri jubetur, ne contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente, ut constat ex capite ultimo, *de Cland. despon.* Similiter ne quis vitiosus aut indignus eligatur ad prælaturam, verbi grâtia, in Episcopum, aut jam electus confirmetur, jubetur præmitti inquisitionem super vita, moribus et idoneitate promovendi, ut constat ex capite *Postquam*, et capite *Nihil*, *de Elect.* Sed casus ille non est exceptio *proprie* dicta ; cum in regula, de *judiciali* inquisitione agatur, idest ad pœnam et publicam delicti vindictam instituta ; talis autem non sit, sed potius paterna seu administrativa dici debeat, quæ fit ad malum præcavendum.

Sextus casus : « Juxta communem (doctorum sententiam) « sine præcedenti infamia fieri potest inquisitio specialis de de- « lictis in damnum tertii, et a fortiori in damnum reipublicæ... ; « dummodo aliqua saltem indicia adsint ; quia ad inquirendum « contra hæc crimina sufficiunt minora ac leviora indicia. » (Reiffenstuel, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 189.)

Propositio III[a]. — *Exposito juri canonico de prævia infamiæ necessitate, derogatum non fuit : neque ut derogatio habenda est potestas Episcopis a Tridentina Synodo concessa, ex informata conscientia procedendi.* — Certum est Episcopis concessam fuisse facultatem procedendi contra clericorum delicta, etiam occulta, omisso judiciarii processus ordine, seu *extra-judicialiter*, et (ut loquendi usus invaluit) *ex informata conscientia.* Id infra probamus, tum ex capite 1, sessionis 14 Tridentini concilii, tum ex pluribus Sacræ Congregationis Concilii responsionibus et communi doctorum sententia, tum ex bulla *Auctorem fidei*, in qua contraria opinio expresse damnatur.

Hæc tamen concessio nequaquam evertit juris canonici supra stabilitam regulam, qua ad specialem inquisitionem *judicialiter*

instituendam, prærequiritur prævia diffamatio. Nam a concilio Tridentino datur quidem Episcopo facultas contra occulta clericorum delicta procedendi, sed *extra-judicialiter*. Si vero velit Episcopus *judicialiter* procedere, remanet etiamnum jus antiquum, prævium infamiam requirens. Quod jus nedum sustulerit, expresse confirmavit Tridentina Synodus, innovando decretalem *Qualiter et quando* (tit. 1, lib. 5 Decret.) Innocentii III, qua præcipue nititur præfata juris regula : *Necnon et constitutio sub Innocentio III in concilio generali, quæ incipit* Qualiter et quando ; *quam sancta Synodus in præsenti innovat, ab omnibus observetur* (cap. 5, sess. 24). Concessio ergo Tridentini concilii tota stat in eo quod Episcopi, dum agitur de clericorum delictis, procedere valeant *extra-judicialiter ;* non autem in eo quod *judicialiter* procedentes, possint absque prævia infamia in quemquam inquirere ; exceptis tamen supra memoratis casibus, a jurisperitis excipi a regula solitis. Sed neque post Tridentinam Synodum, ulla emanavit pontificia constitutio, qua decreto Innocentiano derogatum sit. Ergo etiam hodie certa est juris regula, non posse judicialiter institui specialem et ex mero officio inquisitionem, nisi fama de delicto præcesserit.

Objicies : Sublata indirecte fuit hæc regula, cum Episcopis jam liberum sit eam declinare ; formam nempe extrajudicialem, seu ex informata conscientia, in singulis casibus assumendo. — Respondetur 1°, eos posse hanc regulam declinare quoad clericos dumtaxat, non quoad cæteros ; cum Tridentina concessio ad clericos restringatur. 2° Etiam quando de clericorum delictis agitur, utrum forma extrajudicialis *ordinarie* adhiberi possit, an vero dumtaxat tanquam extremum et *extraordinarium* remedium, infra expendimus, de judiciis ex informata conscientia tractando. 3° Vi prædictæ concessionis possunt dumtaxat Episcopi *prohibere ascensum ad ordines*, et a receptis ordinibus *suspendere ;* non autem quidquam aliud.

II.

Casus inquisitionis specialis, ad instantiam alicujus denuntiatoris judicialiter institutæ.

Expendimus sub præcedenti numero an prærequiratur infamia, ut judex possit judicialiter inquirere *ex mero officio*, id-est, nemine crimen denuntiante. Hic solvenda venit difficilior quæstio, an etiam necessaria sit prævia infamia, dum judex procedit ad instantiam alicujus personæ crimen denuntiantis.

Propositio I[a]. — *In jure canonico omnino distinguendæ sunt denuntiatio ad pœnitentiam, et denuntiatio ad pœnam; ita ut posterior intelligatur aperire viam inquisitionis, non autem viam denuntiationis.* — Ex hac tanti momenti omissa distinctione opinor contigisse, quod canonistæ permulti confuse in præsenti materia locuti sint. In quam obscuritatem ne lector impingat, ipsos præcipue juris textus, Innocentii nempe III decreta, expendemus; tum quomodo ea decreta, veteres glossatores, et subsecuti postea tractatistæ intellexerint, subjiciemus.

Probatur I. *Ex juris textibus.* — 1° Capite *Super his* (16, tit. 1, libri 5 Decretalium), in quo sic statuitur : « Super his « de quibus nos consulere voluisti, inquisitioni vestræ breviter « respondemus, quod tribus modis valet crimen opponi, de- « nuntiando, excipiendo et accusando. Quando crimen in mo- « dum denuntiationis opponitur, non est inscriptio necessa- « ria; sed cum in modum accusationis, oportet inscribi : « quoniam ad depositionem instituitur accusatio; sed ad cor- « rectionem est denuntiatio facienda. » Rubrica autem huic capiti præfixa sic habet : « Denuntiator criminis non se inscri- « bit quia ad correctionem tendit : accusator autem inscribit « quia tendit ad pœnam. » Ibi Innocentius III clare patefacit, quomodo tunc temporis intelligeretur *via denuntiationis*. Hac

scilicet via procedi existimabatur, quando denuntiator intendebat et petebat *correctionem* solummodo seu pœnitentiam Rei. Et ideo opponebatur accusationi (atque etiam inquisitioni, ut infra ostenditur), quia istæ ad *pœnam* seu vindictam publicam instituuntur. Hinc si quando denuntiator pœnam seu vindictam publicam postularet, et judex ad talis denuntiatoris instantiam inquireret, id non erat nec dicebatur *denuntiationis via*, sed *viæ inquisitionis* nomen retinebat; ita ut prævia infamia quæ ad processum inquisitorium requirebatur, necessaria censeretur, sive judex ex mero officio, sive ad instantiam denuntiatoris, pœnam (et non correctionem dumtaxat) postulantis, procederet. Ergo revera alia erat denuntiatio ad *correctionem* seu pœnitentiam, et alia denuntiatio ad *pœnam*.

2° Idem erui potest ex capite *Cum oporteat* (19, tit. 1, lib. 5 Decret.) : « Venientibus ad Apostolicam Sedem G. et H. « canonicis Vincennensibus, et multa enormia contra Vincen- « nensem Episcopum proponentibus coram Nobis..., vobis in- « quisitionem illorum duximus committendam... Discretioni « vestræ mandamus, quod, nisi super prædictis famam ipsius « læsam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non su- « bito procedatis. » Contra denuntiatum hunc Episcopum actum fuisse *ad pœnam*, et non ad correctionem paternam tantum, totus contextus satis indicat. Et tamen procedebatur per inquisitionem et ad instantiam denuntiatorum. Ergo revera denuntiatio ad *correctionem*, qua aperiebatur *via denuntiationis*, diversa erat a denuntiatione *ad pœnam*, qua aperiebatur *via inquisitionis*.

3° Idem constat ex celebri capite *Qualiter et quando* (24, tit. 1, lib. 5 Decret.), in quo sic Innocentius III : « Ad corri- « gendos itaque subditorum excessus tanto diligentius debet « Prælatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas de- « sereret incorrectas. Contra quos, ut de notoriis excessibus « taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem « videlicet, denuntiationem, et inquisitionem ipsorum ; ut ta- « men in omnibus diligens adhibeatur cautela, sicut accusatio-

« nem legitima debet præcedere inscriptio, sic et denuntiatio-
« nem charitativa monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio
« prævenire. »

Ibi apertissime *via denuntiationis* ipsi etiam viæ inquisitionis opponitur. Aliunde autem quid per *viam denuntiationis* intelligendum sit, non minus aperte clarissimus Pontifex determinat, dum dicit : ad depositionem instituitur accusatio : *sed ad correctionem est denuntiatio facienda.* (In supra citato capite *Super his.*)... *Debet denuntiationem charitativa monitio prævenire.* Ergo juxta celeberrimi legislatoris mentem, *denuntiationis via* tunc dumtaxat locum habet, quando denuntiatio est *evangelica*, id est, quando fit ad solam delinquentis correctionem ; non autem quando fit ad infligendam ipsi depositionis ab officio vel a dignitate, vel privationis beneficii pœnam ; et ideo dum hac *via denuntiationis* proceditur, præire debet charitativa monitio. Ergo e contra quoties proceditur *ad pœnam*, jam non est *via denuntiationis.* Ergo quoties judex procedit ad instantiam alicujus denuntiatoris, si is, non meram correctionem paternam, sed pœnam et publicam delicti vindictam persequatur et postulet, neque tunc est *via denuntiationis :* aliunde nec est *via accusationis*, cum nullus interveniat accusator, sed denuntiator tantum : ergo remanet, in hoc casu denuntiatoris ad *pœnam denuntiantis*, locum habere *inquisitionis viam.* Ergo proprie dicta inquisitionis via locum habet, sive judex ex mero officio procedat, sive procedat ad instantiam denuntiatoris *pœnam* delicti postulantis.

4° Idem confirmatur capite *Prælatorum* (27, tit. 1, lib. 5 Decret.). Nam ibi videmus Episcopum quemdam a canonicis de dilapidatione apud Sedem Apostolicam denuntiatum. Et statuitur, ut, peracta a judicibus delegatis inquisitione veritatis, Episcopus ille Summo Pontifici se repræsentet, *pro meritis recepturus.* Fuit profecto denuntiatio hæc *ad pœnam*, ut indicant ea verba pro *meritis recepturus.* Cum ergo, ipso testante Innocentio III, denuntiatorius processus fieri non debeat ad pœnam, sed ad correctionem dumtaxat, remanet viam apertam per de-

nuntiatorem *pœnam* postulantem, esse *viam inquisitionis*, non vero viam denuntiationis.

Probatur II. *Ex glossa.* — Quod veteres juris sacri interpretes duplicem denuntiationem, ad *correctionem* scilicet et *ad pœnam*, distinxerint, probant sequentes glossæ textus : « Forma « ista (*nempe ferendi sententiam*) triplex est... : ut si agatur *in* « *modum accusationis*, et probetur crimen, deponatur Reus : « quia hic est effectus accusationis... Cum agitur *per inquisi-* « *tionem*, alia pœna imponitur... Cum vero proceditur *per de-* « *nuntiationem*, nisi in duobus prædictis casibus (*homicidii* « *nempe et simoniæ*), ad pœnitentiam agitur peragendam : tunc « in prædictis duobus casibus etiam punitur, sicut cum agitur « per accusationem vel inquisitionem..... : tunc in prædictis « casibus, non est necessaria admonitio. Denuntiatio vero regu- « lariter fit ad pœnitentiam peragendam ; et ejus effectus sive « finis est pœnitentiæ impositio : et tunc necessaria est chari- « tativa admonitio ; alias repellitur denuntiator. Pro supradi- « ctorum faciliori notitia, nota versus sequentes :

« *Quatuor ecce modis agitur de crimine ; cum quis*
« *nuntiat, accusat, inquirit, et excipit : ante*
« *admonet, inscribit, infamat, et obligat extra.*
« *Sic cavet, et deponit, et amovet, atque repellit* (1). »

Ex iis glossæ verbis satis patet quomodo veteres juris sacri periti *viam denuntiationis* intellexerint; denuntiationem nempe cujus finis sit, non depositio Rei, aut alia pœna proprie dicta, sed correctio seu *pœnitentiæ impositio ;* qua scilicet delinquens nec officium, nec dignitatem, nec beneficium amittat, sed tantum alicui pœnitentiæ subjiciatur. Idipsum autem apertius eadem glossa patefacit hoc modo :

« Videamus qualiter et quando Prælatus procedere debeat « ad inquisitionem faciendam, et quali pœna sit puniendus « qui convincitur in modum inquisitionis. Tunc autem debet

(1) Glossa, in caput *Qualiter* 24, tit. 1, libri 5 Decret., ad verbum *Forma*.

« Prælatus procedere ad inquirendum, cum famam et frequen-
« tem clamorem intelligit de excessibus alicujus seu etiam ali-
« quorum, prout patet ex tenore hujus constitutionis; et quod
« sit infamatus, non a malevolis et inimicis, sed a bonis et dis-
« cretis. Et tunc distingue : quia aut procedit ex officio suo, aut
« aliquo postulante inquisitionem.

« *Si ex officio suo*, tunc Prælatus cum aliquibus de canonicis
« suis (1) debet descendere ad locum ; quia ibi potest melius
« inquiri ; et recipere juramenta Prælati et clericorum su-
« per statu Ecclesiæ, cum Ecclesia est infamata, vel etiam
« cum Prælatus ; et sic recipiat dicta illorum. Et ille contra
« quem fit inquisitio debet esse præsens, et omnes contra quos
« proceditur, nisi per contumaciam se absentent. Et ea quæ
« objiciuntur, et nomina testium sunt illi exponenda. Item si
« ille contra quem fit inquisitio habet judicem suspectum,
« potest illum recusare. Et contra testes excipere potest. Et
« nomina et dicta et depositiones testium sunt publicanda,
« ut ille possit se defendere. Et si testes dicant super his de
« quibus infamia non præcessit, non valent. Crimine vero sic
« probato, si Prælatus est, debet removeri ab administratione.
« Alii vero puniuntur secundum arbitrium judicis, secundum
« personæ meritum et qualitatem excessus (nisi tale crimen
« probatum fuerit quod post pœnitentiam peractam impediat
« ordinis executionem, ut homicidium et simonia : tunc proce-
« dendum est, ac si in modum accusationis directe probatum
« fuisset crimen). Si vero infamatus contumax fuerit et non
« comparet, judex nihilominus contra eum testes recipiat, lite
« non contestata, et eum puniat.

« *Si vero procedat judex ad petitionem alicujus procurantis*
« *inquisitionem*, sive sit ordinarius (judex), sive delegatus, ad
« locum accedat si potest : et vocet illum contra quem proce-

(1) Hodie absque canonicorum interventu potest Episcopus criminaliter procedere et sententiare. Jus illud canonicorum, olim certissimum, jamdudum sublatum fuisse, probatum vide in meo tractatu *de Capitulis*.

« dere debet; et tunc recipiat testes, quos ille producet qui « impetravit inquisitionem. Tunc si ille negaret infamiam præ- « cessisse, cognoscet primo judex utrum sit infamatus, et « postea procedet super iis quæ denuntiata sunt: alias non « procedat, nisi primo constet quod sit infamatus. Et si actor « probet illum esse infamatum, reus potest probare quod sit « bonæ famæ, cum potius sit privilegium bonæ famæ quam « infamiæ. Si vero crimen probetur, puniatur. Si autem non « probavit, puniri debet qui impetravit inquisitionem. Et ita « idem est quantum ad pœnam, quando proceditur ad petitio- « nem alicujus prosequentis inquisitionem, sicut quando pro- « ceditur per officium judicis, ad famam vel clamorem. Et cum « proceditur ad denuntiationem alicujus prosequentis inquisi- « tionem, non credo necessariam esse admonitionem; quia non « agitur *ad pœnitentiam*, quo casu necessaria est admonitio « secundum formam Evangelii. Sed in prædictis duobus casibus « (*nempe homicidii et simoniæ*), agitur ad pœnam, ut prædic- « tum est. Et aliter formatur petitio denuntiationis cum agitur « ad *pœnam*, et aliter cum denuntiatur *ad pœnitentiam;* quia « tunc agitur ad pœnitentiam peragendam, non ad pœnam im- « ponendam officii vel beneficii. » (Glossa, in cap. *Qualiter* 24, tit. 1, lib. 5 Decret., ad verba *Ad inquirendum.*)

Ibi profecto luce meridiana clarius distinguitur denuntiatio *ad pœnam* a denuntiatione *ad pœnitentiam;* et processus ex denuntiatione ad pœnam, non ad *viam denuntiationis*, sed expresse *ad viam inquisitionis* refertur: imo *viam inquisitionis* tam habere locum dicitur, cum judex procedit ad instantiam alicujus denuntiantis *ad pœnam*, quam cum procedit ex mero suo officio, nemine scilicet accusante aut denuntiante. Ergo revera apud veteres juris sacri interpretes, *inquisitionis via* dicebatur et intelligebatur *æque et simul* processus inquisitorius ex mero judicis officio, et processus inquisitorius ad instantiam alicujus denuntiantis, modo denuntiaret *ad pœnam*, seu publicam delicti vindictam obtinendam.

Atvero subsecuti tractatistæ notionem hanc de *via inquisi-*

tionis, et de *denuntiatione ad pœnam* (quatenus ad viam inquisitionis proprie dictam pertinente), non satis retinuerunt. Quam forte ideo neglexerunt, quia non poterat concordare cum hac conclusione ab ipsis communius admissa : *non prærequiri infamiam dum judex ex denuntiatione procedit*. In hanc autem conclusionem eos trahebat, tum quidam mox referendus Romani juris textus, tum sæcularium tribunalium jam ita obtinens praxis.

Propositio II[a]. — *Etiam in casu denuntiatoris inquisitionem ad vindictam publicam postulantis, infamia regulariter ex jure canonico prærequiritur.* — Propositio hæc, in quantum agitur de privato aliquo denuntiatore, controvertitur : in quantum autem agitur de ministro publico (de fiscali promotore, verbi gratia) ex officio denuntiationem proponente, fere communiter a canonistis rejicitur. « Potest judex, ait Reiffenstuel (in tit. 1, « lib. 5 Decr., n. 176), nulla præcedente infamia instituere « inquisitionem specialem, ad præviam denuntiationem minis- « tri seu officialis publici, ad indaganda et denuntianda cri- « mina ex officio deputati... Arguitur lege *Divus Adrianus* « (6, ff. *de Custodia reor.*), et lege *Ea quidem* (7, c. *de Accus.*) « ibi : *Ea quidem quæ per officium præsidibus denuntiantur, « citra solemnia accusationum posse perpendi incognitum non « est.* Et in hoc satis conveniunt doctores. Maxima autem inter « illos controversia est, an etiam ad instantiam seu denuntiatio- « nem privati instituere possit judex inquisitionem specialem « sine præcedenti infamia. » De statu quæstionis sic lectore prænonito ad thesis probationes deveniamus.

Probatur 1°, *ratione generali.* — Est nempe certa et ab omnibus ut talis admissa regula generalis, prærequiri infamiam quando *per viam inquisitionis* proceditur. *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic inquisitionem clamosa insinuatio prævenire* (c. 24, tit. 1, lib. 5 Decr.). Id vero intelligendum est saltem de via *inquisitionis specialis et proprie dictæ ;* atqui, ex præcedenti propositione, dum fit inquisitio ad instantiam denuntiatoris, publicam delicti vindictam prosequentis, per

viam inquisitionis proprie dictæ proceditur ; ergo etiam in casu talis denuntiatoris prærequiritur infamia.

Probatur 2°, *textibus juris particularibus.* — In capite *Cum oporteat* (19, tit. 1, lib. 5 Decr.) agitur de quodam Episcopo apud Sedem Apostolicam a canonicis denuntiato. Porro delegatis judicibus mandat Innocentius III, ne *ad inquisitionem* denuntiatorum criminum procedant, nisi noverint præcessisse infamiam : *Nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non subito procedatis.* Unde in rubrica hujus capitis positum est : *de veritate criminum non inquiritur, nisi prius constet de infamia.* Et glossa sic adnotat : *non est facienda inquisitio nisi contra infamatum.* Et tamen ibi procedebatur, non ex mero officio, sed ad denuntiatorum instantiam. Nec dicatur hanc denuntiationem forte *judicialem* non fuisse, sed dumtaxat *evangelicam :* nam id excludit contextus ; et præterea si fuisset evangelica, Pontifex præviam infamiam non requisivisset, cum *evangelice* occulta etiam crimina denuntiari possint. Decretali ergo illa rigorose probatur etiam in casu denuntiantis ad pœnam prærequiri infamiam.

Idem eruitur ex capite *Inquisitionis* (21, tit. 1, lib. 5 Decr.) : ibi enim respondens ad hoc quæsitum, *utrum cum duo vel plures jurati affirmant, aliquem crimen aliquod eisdem videntibus commisisse, de quo aliqua infamia non laboret*, aliqua illi pœna infligi debeat : sic universaliter decernit Innocentius III : *Ad hæc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamosa insinuatio non præcesserit, propter dicta hujusmodi puniendum : quin imo super hoc depositiones contra eum recipi non debere ; cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.* Ex cujus responsi generalitate sic argui licet : quamvis ibi non memoretur casus inquisitionis ad instantiam alicujus denuntiatoris factæ, si casus ille a regula hic tradita excipiendus fuisset, illum Pontifex excepisset. Nedum autem excipiat, universaliter et absolute affirmat inquisitionem fieri debere *solummodo* cum præcessit infamia.

Idem confirmatur ex capite *Qualiter et quando* (24, tit. 1, lib. 5 Decr.). Ibi enim non minus universaliter declaratur, ad inquisitorium processum prærequiri infamiam. Quod tamen si verum non esset quando ad instantiam denuntiatoris, pœnam delicti prosequentis, inquisitio instituitur, id legislator Pontifex præmonuisset.

Probatur 3°, *ex glossa*. — Jam sub præcedenti propositione glossæ verba retulimus, quæ omnino demonstrant, a veteribus juris sacri interpretibus in sensu quem defendimus intellecta fuisse Innocentiana decreta. Quid nempe hoc loquendi modo clarius ? *Si vero procedat judex ad petitionem alicujus procurantis inquisitionem..., si ille* (nempe reus) *negaret infamiam præcessisse, cognoscet primo judex utrum sit infamatus... Alias non procedat, nisi primo constet quod sit infamatus.*

Objicies. Si res adeo clara fuisset, apud subsecutos canonistas in controversiam non ivisset. Respondeo, doctores illos nimis forte attendisse ad quosdam juris Romani textus, qui contrarii videbantur, et ad tribunalium sæcularium praxim. Melius autem fuisset dicere, jus canonicum in ejusmodi materia cum sæcularibus legibus non integre concordare, quam decreta ecclesiastica ad hanc concordantiam violenter trahere.

Propositio IIIª. — *Prævia infamiæ necessitas, in præcedenti propositione asserta, videtur etiam admittenda, quando denuntiator est officialis publicus, verbi gratia, fiscalis promotor*. — Id quidem, ut prænonuimus, rejicit communior doctorum sententia. Sed *primo*, opinionem suam juris sacri textibus non fundant. Allegant dumtaxat unam aut alteram juris Justinianei dispositionem ; præcipue vero legem 7 codicis (tit. *de Accusationibus*), quæ sic habet : *Ea quidem quæ per officium præsidibus denuntiantur, citra solemnia accusationum posse perpendi incognitum non est*. Responderi autem potest, eas per officiales publicos denuntiationes restrictas fuisse ad quamdam graviorum flagitiorum speciem, quæ reipublicæ tranquillitatem in discrimen adduxisset. « Ordo inquisitionis apud Romanos (ait Gonzalez, in « tit. 1, lib. 5 Decr., n. 9) talis erat : Irenarchæ, Curiosi, seu

« Stationarii, latrones, sacrilegos et alios criminum reos in pro-
« vinciis conquirebant, de sociisque et receptatoribus interroga-
« bant interrogationesque litteris inclusas et obsignatas ad co-
« gnitionem magistratus mittebant ; reique missi cum elogio ex
« integro audiebantur, non tantum si quis accusator esset, verum
« etsi accusator non appareret. »

De his officialibus publicis, dicit sanctus Augustinus (epistola 159), *Irenarcharum, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinet.* Ea certe notio satis indicat, non quælibet crimina, præsertim occulta, ab iis publicis officialibus denuntiari potuisse, sed aliqua tantum : imo dici potest crimina cum sic denuntiabantur jam infamia vel etiam notorietate non caruisse. Et tandem si verum foret potuisse apud Romanos absque prævia infamia procedi in crimina per officialem publicum delata, inde male illatio fieret ad jus canonicum, si de contraria Ecclesiæ disciplina sufficienter constet. Contrariam autem disciplinam exhibent Innocentiana præsertim decreta, quibus prævia infamia ad inquisitionem specialem exigitur ; idque nominatim quando ad instantiam denuntiatoris proceditur. Neque ullum indicium est, excipiendas ab hac generali regula esse denuntiationes, per officialem publicum factas. Et de tali exceptione nequaquam cogitavit citata glossa, dum casum inquisitionis ad denuntiantis instantiam expendit.

Hinc potius concludendum videtur prærequiri infamiam, non tantum quando superior ex mero officio, vel ad alicujus privati denuntiatoris instantiam, procedit, sed etiam quando ad instantiam fiscalis seu promotoris curiæ suæ inquisitionem instituit. Semper tamen, salva exceptione, certorum casuum, quos supra sub numero 1, propositione 2, descripsimus.

Quod si lector, ob doctores contrariam conclusionem tenentes, expositæ doctrinæ in totum assentire reformidet, ut saltem quoad casum *occulti delicti, soli delinquenti nocivi*, eam recipiat, nonnullis adjectis rationibus tantisper urgebo. Judicialiter scilicet inquirendum non esse in delicta occulta solis delinquentibus nociva, suadere videtur, tum ratio boni publici, tum

ipsa etiam Ecclesiæ mens et praxis. In primis enim, dum instituto processu notum fit in tota aliqua regione delictum aliquod antea occultum, incutitur, numquam non lugendum, scandali vulnus; atque eo altius infixum, quod delinquens clariori integritatis fama potiebatur, eminentiorive status clericalis aut dignitatum ecclesiasticarum gradu eminebat. Nec objiciatur malum ejusmodi ex bono vindictæ publicæ compensari: si enim compensetur tantum, inutiliter adhibitus processus: sed neque verum est dari plerumque æquivalentem illam compensationem. Quod cum adducto particulari casu facilius æstimari possit, supponamus agi causam parochi, de quo a multis annis integerrima fama, imo et sanctitatis opinio invaluerit; cujus tamen aliquando secreta quædam facinora unus aut alter ita resciverit, ut sufficientia ad probandum indicia suppeditare possit. Si res evadat publica, multis certe debilibus verget in fidei et pietatis ruinam, ansamque præbebit religionis catholicæ hostibus, in sacram hierarchiam ipsamque Christi Ecclesiam debacchandi. Quem effectum vix temperabit sententiæ damnatoriæ vel maximus rigor. Si vero tunc judex evangelicam dumtaxat denuntiationem, non vero judicialem recipiat, spes erit obtinendæ perditi viri emendationis, salvo interea, quod maximi interest, a scandali ruina populo. Quod si paterna correctio non proficiat, satius est permitti secretam unius, quam multorum, perditionem.

Eam vero perpetuo fuisse Ecclesiæ mentem, multis suaderi documentis videtur. Innuit imprimis ipsa processus criminalis norma, qualem per per undecim circiter sæcula viguisse supra probavimus. Nondum scilicet in ordinariam et generalem transierat judicis ex officio inquirentis institutio; sed regula erat ut qui ab aliquo, in pœnam talionis sese inscribente, non accusabatur, condemnari non posset, nisi aliunde *notorium* foret delictum. Nec ignorabat Ecclesia per ejusmodi institutum a pœnis immunia fieri multa occulta delicta, quæ, adhibita denuntiatione et inquisitione, detegi et plecti potuissent. Quid ita? nisi quod utilius Ecclesia toto hoc sæculorum tractu æstimaverit,

occulta delicta, per accusatorem proprie dictum non delata, judicio Dei et secreti tenebris permittere? Quid quod certa doctrina sit, denegandam a sacerdote sacram communionem non esse indigne accedenti, etiamsi certo et extra confessionem ejus facinora noverit, modo ille nulla infamia laboret? Quid quod tota antiquitas pro norma judiciorum ecclesiasticorum memoret exemplum Christi Domini, Judam non ejicientis, ea de causa quod peccator occultus foret?

Si quis vero objiciat nimium probari, cum inde sequatur nec recipi olim debuisse *accusationem* contrà occulta delicta, soli delinquenti nociva, responderi potest : adeo grave fuisse onus quod sibi accusator imponere tenebatur, ut periculum non esset ne frequenter recurreret accusatio in casu delicti occulti et soli delinquenti nocivi. Unde necesse non fuit a generali accusandi facultate casum hunc lege aliqua ecclesiastica excipi.

III.

Casus inquisitionis mixtæ.

Mixta dicitur inquisitio, ut supra monuimus, quando vel de persona determinata (verbi gratia, de Titio) *generaliter quæritur* an aliqua delicta commiserit ; vel de aliquo determinato delicto (verbi gratia, de tali homicidio) *generaliter investigatur* quis illud patraverit. Unde inquisitio hujusmodi est semper, vel generalis quoad delictum et specialis quoad delinquentem, vel vice versa, quoad delictum specialis et quoad auctorem generalis. Atque inde *mixta* dicta est, quod generalis simul sit et specialis, sub præfato duplici respectu. An absque prævia infamia institui queat, hic expendendum.

Regula 1ª. — *Inquisitio generalis quoad personam, specialis autem quoad delictum, potest et debet fieri, etiam nulla præcedente contra aliquem infamia vel suspicione.* — Casus nempe est hujusmodi : patratum est aliquod homicidium, vel furtum, aliudve delictum ; sed nescitur a quo, et fama publica suspicionesve

nullum designant tanquam probabilem sceleris auctorem. Quæritur an tunc superior possit generalem inquisitionem judicialiter in reum incognitum instituere, interrogando subditos *quis delictum patraverit*, et præcipiendo, ut, si noverint, manifestent.

« Multi docent id non esse licitum... *Primo*, quia canones « vetant ne procedatur per inquisitionem, nisi de auctore sit « fama, vel certa indicia : *Nisi super prædictis famam ipsius « læsam esse noveritis, ad inquisitionem illorum non subito « procedatis* (cap. *Cum oporteat* 19, *de Accus.*). Idem habetur « capite *Inquisitionis*, 21, et capite *Qualiter et quando*, 24, « eodem titulo. *Secundo*, si liceret in genere inquirere male- « factorem, sequeretur quod ipse malefactor, si forte interroga- « tur, teneretur seipsum prodere, quod nemo concedat. » (Lessius, *de Jure et justitia*, lib. 2, c. 29, n. 113.)

Sed illa veterum quorumdam canonistarum opinio communiter derelinquitur, et contraria sententia tanquam certa et tenenda habetur.

« Probatur 1° ex praxi communi judicum, tam ecclesiasti- « corum quam sæcularium, quam durum est condemnare. » (Lessius, citato loco.) Eam rationem jam suo tempore urgebat hoc modo Innocentius IV (in cap. *Bonæ*, 1, *de Electione*, n. 5) : « Item nota quod sic servat totus mundus, quod contingente « maleficio notorio, statim inquirit judex *generaliter*, non con- « tra certam personam. Et facta inquisitione, vocat nominatos « in inquisitione de maleficio, ut se defendant. Et quod lon- « gam interpretationem recipit ex iteratione factorum, mutari « non debet. »

2° « Nisi tales inquisitiones fierent, duo gravissima mala in « republica sequerentur : nam et populus graviter offendere- « tur : videns judicem non inquirere auctorem aperti criminis, « putaretque eum maleficio favere ; et malefici spe impunitatis « invalescerent.

3° « Quia nemo potest queri sibi factam injuriam per hanc « generalem inquisitionem ; imo tota respublica illam desi-

« derat. » (Lessius, *de Jure et justitia*, lib. 2, caput 29, n. 114.)

4° Confirmatur ex jure Romano (lege 1, ff. *de Quæst.*) : *Qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare an Titius homicidium fecerit, sed generaliter, quis id fecerit ; alterum enim magis suggerentis, quam requirentis est.*

Objicies 1°. Canones ad processum inquisitorium requirunt præviam famam, vel saltem indicia. Respondeo, illos canones agere de inquisitione *speciali,* qua nempe inquiritur an talis persona determinata, verbi gratia, Titius, tale delictum patraverit ; non autem de inquisitione *generali* qua nempe tantum quæritur in genere, quis fecerit.

Objicies 2°. Etiam generalis hæc interrogatio *quis fecerit*, occasionem præbet occulta delicta revelandi ; ergo iniqua est. — Respondeo, ad prædictam interrogationem generalem non tenentur nec debent subditi revelare occultos delinquentes, sed eos dumtaxat qui fama publica perhibentur delictum de quo agitur perpetrasse. Si vero ex ignorantia quandoque contingat ut subditi, hoc modo interrogati, occultum etiam criminis auctorem manifestent, id evenit per accidens, nec propter tale incommodum debet omitti inquisitio tantopere bono publico necessaria.

« Neque judex inquisitionem faciens tenetur instruere ru-
« diores, ne auctorem detegant, si forte nulla infamia laboret ;
« id enim redderet eum suspectum corruptelæ, vel favoris in
« criminosum... Quod si occultus auctor detegatur, poterit
« contra eum procedere. » (Lessius, *de Jure et justitia*, lib. 2, c. 29, n. 115.) Quod tamen restringe ad casum inquisitionis *mixtæ*, quando nempe notorium est delictum et inquiritur dumtaxat de persona ; nam in inquisitione generali, si eam superior velit *judicialiter* instituere, debet subditos de hoc præmonere, ut supra adnotavimus ; neque tunc favoris in criminosos suspectus redditur.

Objicies 3°. Si, nulla præcedente infamia, possit judex generaliter subditos interrogare *quis fecerit,* ipse occultus delicti

reus, si forte interrogetur, tenebitur seipsum patefacere ; quod tamen admitti nequit. — Respondeo, ex eo quod possit judex hanc interrogationem facere, non sequitur teneri occultum reum sese manifestare : sensus enim interrogationis est, an cognoscat aliquem *fama publica indicatum* tanquam delicti auctorem. Ad quam proinde interrogationem ipse verus criminis auctor, potest, si occultus sit, negative respondere.

Regula 2ª. — *Inquisitio mixta, specialis quoad personam, hujus scilicet formæ*, an Titius aliqua crimina patraverit, *paterne quidem fieri potest, non autem judicialiter.*

1° « Quod paterne fieri queat, patet ex universali tam sæcu-« larium, quam ecclesiasticorum superiorum praxi et consue-« tudine, quæ est optima legum interpres. Constat enim, quod « Episcopi eorumque visitatores in diœcesis visitatione, quam « ordinarie nonnisi *paterne* faciunt, de parochis et aliis clericis « in specie inquirere et indagare soleant, quomodo se gerant, « an leges et decreta observent, an vero transgressores earum « existant. »

2° « Quod autem *judicialiter* id fieri nequeat, ratio est, quia « de delictis *in genere*, quæ in specie non exprimuntur et su-« periori ut judici proponuntur, nemo potest legitime accu-« sari, denuntiari, aut infamari, ad hoc ut superior judicialiter « inquirere et procedere valeat. » (Reiffenstuel, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 169 et 170.)

IV.

Casus inquisitionis generalis.

Cum generalis inquisitio duplici modo institui valeat, paterne scilicet et judicialiter, quoad utramque speciem solvenda est quæstio, utrum prærequiratur infamia. Unde sit,

Quæstio 1ª. — *An ad inquisitionem generalem paternam prærequiratur infamia ?* — Certum est non prærequiri, et sic unanimiter tenent doctores. Sequitur 1° ex eo quod teneantur

Ordinarii regulariter suis temporibus visitationem instituere; visitatio autem inquisitionem generalem, saltem paternam, involvat. Si enim prærequireretur de patratis alicubi delictis fama ut ibi inquisitio generalis fieri posset, non statis temporibus, sed dumtaxat in casu prædictæ famæ, superioribus visitatio facienda injungeretur. Sequitur 2° ex eo quod, etiam nulla præcedente infamia, bonum publicum exigat, ut superiores inquirant, num inter subditos malum serpat. 3° Ideo prærequireretur fama de patratis delictis, ne cui alioquin injuria fieret; sed cum generalis remanet inquisitio, de nemine in particulari inquiritur; ac proinde nulli fit injuria.

« Nec obstant textus in jure passim existentes, qui ad in-« quisitionem expresse requirunt præcedentem infamiam. Re-« spondeo enim cum communi (doctorum sententia), textus « illos non loqui de inquisitione *generali*, sed de *speciali*, vi cu-« jus inquiritur contra delinquentem in specie. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 160.)

Quæstio 2ª. — *An ad inquisitionem generalem judicialem prærequiratur infamia?* — Plerique canonistæ, non distinguendo *paternam* inter et *judicialem* inquisitionem generalem, docent universaliter in inquisitione generali necessariam non esse præviam infamiam. Ii vero qui distinguunt, etiam pro *judicialiter* instituta inquisitione generali non requirunt proprie dictam præcessisse infamiam; sed dicunt requiri tamen aliquam judicis fundatam suspicionem vel præsumptionem de commissis delictis. Ita Ameno et Passerinus, quos sequens et allegans Reiffenstuel sic habet: « Ambo tamen etiam notant, « quod, etsi vera non requiratur infamia, requiratur tamen « aliqua suspicio vel præsumptio, vel indicia aliqua, vel con-« fusa relatio, alicubi fieri delicta, aut homines ibi non bene « vivere, si inquisitionem judicialem instituere vult (Prælatus). « Ratio est, quia, cum inquisitiones generales ordinarie non-« nisi paterne fiant, sine omni causa aut motivo prudenti *judi-« cialiter* instituere non debet inquisitionem generalem. Acce-« dit, quod inquisitio *judicialis* tendat ad publicam vindictam

« et pœnam : ad hanc autem nemo condemnari possit sine « accusatore... ; ergo adesse quid debet vicem accusatoris sup- « plens, denuntiatio nempe, vel fama, vel saltem aliquid loco « famæ deserviens, præfata scilicet delictorum indicia. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 161 et 162.)

Ego vero omnino existimarem distinguendum esse inter totam diœcesim, et communitates sive cœtus particulares. Si velit Prælatus quoad totam diœcesim generalem inquisitionem *judicialiter* instituere, putarem nec prævia infamia, nec etiam ullis delictorum indiciis opus esse : nam tunc nulli fit injuria, nullius integritas in suspicionem vocatur ; quia potest talis inquisitio prudenter institui ex sola hypothesi quod forte sint in diœcesi aliquot delinquentes ; quæ hypothesis, cum sit omnibus mundi diœcesibus communis seu applicabilis, nulli individuo damnum infert. Nec objiciatur, non posse quemquam damnari absque accusatore, vel fama accusatoris vices agente : nam textus qui hoc statuunt, intelligendi sunt de judicio ad pœnam alicujus Rei determinati ; non vero de judicio quod fit ad detegendum generaliter utrum in diœcesi existant delinquentes, et ad ferendam contra totam aliquam classem delinquentium non nominatorum salutarem pœnam.

E contra, si dictæ inquisitioni subjiciatur aliqua communitas, verbi gratia, aliquis incolarum cœtus aliquodve monasterium, dum reliqua diœcesis ab onere isto immunis relinquitur, vulneratur hoc ipso illius communitatis fama ; facile suspicantibus omnibus a Prælato non adhiberi sine causa erga talem cœtum exceptionalem ejusmodi rigorem. Consequenter indirecte læditur et singulorum hujus communitatis membrorum integritas ; cum merito in suspicionem vocetur membrum quolibet communitatis infamatæ. Ergo tunc non amplius *generalis* remanet, sed *specialis* evadit inquisitio. Fit enim in personam moralem determinatam, in talem scilicet communitatem ; et simul cum nocumento personarum in individuo determinatarum, id est, singulorum illius communitatis membrorum. Quo posito, concludendum videtur, sicut ad inquisi-

tionem *specialem* regulariter prærequiritur prævia infamia proprie dicta, ut infra probamus, ita et in casu quo Prælatus in communitatem aliquam determinatam, non autem in totam diœcesim, generalem inquisitionem vult *judicialiter* instituere, necesse erit ut prius certo ipsi innotescat fama de patratis in ea communitate delictis.

V.

Quando prærequiritur infamia, qualis esse debeat, et an oporteat eam judicialiter probari.

I. *Requisita a jure infamia, intelligenda est infamia orta ab honestis, non a malevolis ; et insuper quæ ad aures superioris, non semel, sed sæpe pervenerit.* — Ita expresse decrevit Innocentius III, capite *Qualiter et quando* (24, tit. 1, lib. 5 Decret.) : *Si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis ; nec semel tantum, sed sæpe, quod clamor innuit et diffamatio manifestat.* « Ratio est quia alias, si ex qualibet fama « contra aliquem inquiri posset, nullus, quantumvis honestus « vir, unquam securus esset a *speciali* inquisitione et inde se- « quentibus præjudiciis ; cum ex una parte vix ullus esset contra « quem malevoli et improbi non male loquantur ; ex altera vero « parte *dictum unius facile sequatur multitudo*, ut dicitur « capite *Cum in juventute* (*de Purgat. canonica*). » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 191.)

II. *Requisita a jure infamia intelligenda est ea, quæ per majorem viciniæ seu communitatis partem divulgata fuit.* — « Dicta « paucorum non infamant, sive non inducunt infamiam ; unde « Prælatus propter hoc non movebitur ad inquirendum. Fama « enim debet esse per villam sive parochiam, ad hoc ut fiat « inquisitio. Sed quot appellabis paucos, ut non dicatur in- « famatus ?... Credo quod major pars viciniæ requiratur ; quia « fama loci requiritur, non fama aliquorum... » (Glossa, in

c. *Inquisitionis* 21, tit. 1, lib. 5 Decret., ad verbum *Dicta paucorum.*) « Quamvis regulariter ad probandam infamiam requi- « ratur, ut ea sit divulgata per majorem partem civitatis vel « viciniæ; quia requiritur fama loci, et non fama aliquorum « tantum...; aliquando tamen sufficit major pars illorum apud « quos quis degit, si factum sit restrictum ad certos homines, « qui verisimiliter id scire possunt ac debent : ut si Episcopus « sit infamatus de fornicatione, ad probandam infamiam sufficit, « si major pars canonicorum id sciat. » (Pirrhing, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 84.)

III. *Necesse non est infamiam probari, quando judex ex mero officio procedit.* — Non dicimus necessariam non esse præviam infamiam ; immo debet de ea judici constare, ut procedere possit ; sed dicimus necessariam non esse in eo casu judicialem infamiæ probationem. Cui enim probaretur nisi judici? Judex autem jam supponitur infamiam sufficienter notam habere, quando ex mero officio ad inquirendum procedit, cum alioquin illegitime procederet. Inutiliter ergo postea coram ipso eadem infamia probaretur. Adque id verum est etiamsi reus neget se fuisse infamatum.

Poterit tamen reus appellare, ex eo capite quod infamia non præcesserit. « Tunc (ait Fagnanus, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 64) « coram judice appellationis teneretur primus judex de infamia « facere plenam fidem. » Unde concludit Reiffenstuel (in tit. 1, l. 5 Decret., n. 193), consultius esse, ut judex, etiam dum ex mero officio ad inquisitionem procedit, probationem infamiæ præmittat ; quamvis, ut dictum est, et ut docent communiter doctores, ad id non teneatur.

IV. *Quando superior procedit ad instantiam alicujus inquisitionem procurantis, debet præmitti probatio infamiæ.* — Id post glossam tenent communiter doctores. Glossa autem sic habet (ad cap. 24, tit. 1, lib. 5 Decret., verbo *Ad inquirendum*). « Si « vero procedat judex ad petitionem alicujus procurantis inqui- « sitionem, vocet illum contra quem procedere debet, et tunc « recipiat testes... Tamen si ille negaret infamiam præcessisse,

« cognoscet primo judex utrum sit infamatus; et postea pro-
« cedet super iis quæ denuntiata sunt : alias non procedat, nisi
« primo constet quod infamatus sit. » Ratio differentiæ inter hanc et præcedentem conclusionem est, quod dum judex procedit ex mero officio, debeat ipse notam habere infamiam : cum vero intervenit denuntiator, huic incumbit præviam infamiam probare ipsi judici, ut is ad inquirendum de criminibus denuntiatis sese determinet.

A doctrina communi recessit in hoc loco Reiffenstuel (vide in tit. 1, lib. 5 Decr., n. 194), sed parum feliciter; et dum (ibid., n. 184) queritur doctores cum difficultate, obscuritate et contradictionibus scripsisse de materia denuntiationis, ipse in hac parte genuinum juris canonici tramitem, non satis recte, meo quidem judicio, delineavit.

V. *Quomodo probanda sit prævia infamia?* — Huic quæstioni, Innocentium IV citans et sequens, sic respondet Fagnanus (in tit. 1, l. 5 Decr., n. 85) :

« Testis deponere debet, eum de quo agitur, de tali crimine
« diffamatum esse; et interrogatus apud quos sit diffamatus,
« respondere tenetur apud tales; et nisi eos nominet, non vi-
« detur reddere bonam causam dicti sui. Et ratio est, quia
« aliter sciri non potest an illi sint viles et malevoli, an vero
« fide digni; de quo ante omnia judici constare debet... De-
« bet ergo dicere : apud tales et tales est suspectus, quia hæc
« ab eis audivi, et vidi eos vitare ipsius familiaritatem. Et sub-
« dit Innocentius, sufficere si dicatur a duobus se audivisse,
« quia textus noster loquitur in plurali, ibi, *providis et honestis;*
« ergo sufficiunt duo (lege *Ubi numerus*, ff. *de Testibus*). Ad-
« verte tamen quia non sufficit si testis dicat apud duos esse
« suspectum; quia ex hoc non esset probata fama : sed oportet
« eum addere in suo testimonio, quod hoc ipsum quod au-
« divit ab illis duobus, clamat major pars viciniæ.... Quidam
« tamen, ut subjicit Innocentius (in tit. 1, lib. 5 Decretalium,
« n. 4), non improbabiliter dicunt satis esse, ut testes, etiam
« nullis personis expressis, dicant : rumor et infamia est per

« viciniam. Reservatur enim alteri parti facultas probandi infa-
« miam hanc esse tantum apud viles aut malevolos, vel ab ipsis
« ortum habuisse. »

§ III.

Generalis inquisitionis norma.

An et quomodo generalis inquisitio canonice peragi valeat, patebit ex sequentium quæstionum resolutione.

Quæstio 1ª. — *An possint, aut etiam debeant ordinarii locorum Prælati de criminibus generalem aliquam inquisitionem facere.* — Abstrahimus in præsentiarum ab alia quæstione, utrum *paterne* dumtaxat, an vero etiam *judicialiter* generalis inquisitio fieri possit aut debeat; et ideo posuimus vocabulum indeterminatum *aliquam*. In hac autem generalitate considerata quæstio, affirmative a doctoribus unanimi consensu resolvitur. Dicunt scilicet et posse, et etiam suis temporibus debere ejusmodi generales inquisitiones ab Episcopis, aliisque superioribus locorum ordinariis fieri.

Ad hoc probandum afferri solet caput *Perniciosa* (1, *de Officio judicis ordinarii*), in quo sic dècernitur : *Habeant Episcopi singularum urbium in suis diœcesibus liberam potestatem adulteria et scelera inquirere, ulcisci et vindicare.* Sed textus ille rigorose non probat; quia ibi agi de inquisitione *speciali*, non vero de generali absolute sustineri posset, cum glossa, quæ ita intellexit. Citatur etiam caput *Romana* (1, *de Censibus*, in 6), ubi dicitur de Archiepiscopo visitationem peragente : *Proposito verbo Dei, quærat de vita et conversatione ministrantium in Ecclesiis.* Sed initio ejusdem capitis posita hæc verba, *Quilibet Archiepiscopus suam volens visitare provinciam*, dubium relinquunt an etiam ad id teneantur Ordinarii. Præterea dum dicitur, *Quærat de vita*, etc., non additur expresse *generaliter*, quamvis id sat aperte totus contextus indicet.

Magis ad rem facere videntur textus qui visitationem episcopa-

lem præscribunt. Nam *primo* ii textus non tantum licitam, sed et obligatoriam dictam visitationem decernunt: *Decrevimus, ut annuis vicibus ab Episcopo diœceses visitentur* (cap. 10, causæ 10, q. 1). *Episcopum singulis annis ire oportet, ut exquirat...* (cap. 11 ejusdem causæ). *Episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium generalem, aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non potuerunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se, vel per visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.* (Conc. Trid., sess. 24, cap. 3 *de Ref.*) *Secundo* iidem textus aperte innuunt generalem inquisitionem delictorum in ipso visitationis officio involvi. Sic in citatæ causæ capite 11, dicitur *et ministrantium vitam inquirant.* Et in citato decreto Tridentino: *Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere.* Ut enim hunc scopum obtineat Episcopus, debet ante omnia quærere utrum in loco visitato sint hæretici aut pravi mores, etiamsi nullam in particulari personam noscat de hæresi aliove delicto infamatam: sed hoc modo quærere, est inquirere *generaliter.*

At vero etiamsi deessent textus juris rigorose rem probantes, omnino nihilominus ex ipso Episcoporum officio et potestate, et ex ratione boni publici concludenda foret. « Bonum « commune (ait Reiffenstuel, in titulum 1, libri 5 Decretalium, « n. 156) talem inquisitionem exigit, ut scilicet ea mediante, « innotescat, an et qualia crimina vigeant, an et quinam « existant malefactores; quatenus cognito rerum statu, pro « exigentia circumstantiarum, superiores malis præcavere, « delinquentes corrigere et emendare, convenientia media « ordinare, vel ulterius ad inquisitionem specialem progredi « valeant. » Atque idem adnotat Lessius: « Talis inquisi- « tio est necessaria ad purgandam rempublicam, moresque « in cœtibus hominum reformandos. » (*De Jure et justitia*, lib. 2, cap. 29, n. 108.) Hinc omnino concludendum cum citato Reiffenstuel (cit. loco): « Inquisitio generalis proprie talis,

« non tantum potest, sed ex officio suis temporibus etiam debet « fieri : unanimis et certa (sententia). »

Quæstio 2ª. — *An inquisitio generalis possit esse, non tantum paterna, sed etiam judicialis ?* — « Quamvis inquisitiones « generales, præsertim apud regulares, imo etiam apud Episco- « pos, ordinarie nonnisi *paterne* (canonice tamen et legitime) « fiant ad emendationem, et non ad publicam vindictam (ut « bene observat Ameno, tit. 11, § 1, n. 8), tamen etiam *judi-* « *cialiter* et in publicam vindictam fieri possunt, prout cum « communi (sententia), allegati docere videntur doctores. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 159.) Inquisitionem generalem posse etiam *judicialiter* seu ad vindictam publicam institui, satis aperte innuunt supra allati juris textus. Sedpræterea idem ex ratione boni publici eruitur : supponatur, verbi gratia, oppidum, vel monasterium in quibus certa delicta grassari rumor ad aures Episcopi pervenit : nemo non videt quanti intersit, ut Episcopus possit, non tantum per inquisitionem generalem verificare utrum res ita se habeat, sed etiam, ea comperta, per interdictum, vel excommunicationem ipso facto a talibus malefactoribus incurrendam, malum coercere. Quo casu non simpliciter paterna, sed judicialis erit inquisitio generalis.

Duo tamen attendenda sunt a superioribus qui alicubi inquisitionem generalem volunt *judicialiter* instituere : 1° probabilius tunc requiri ut aliqua saltem indicia præcesserint de patratis ibi delictis, ut modo probabitur ; 2° prænonendos subditos quos interrogant, *judicialiter* et non tantum *paterne* procedi ; quia, ex infra etiam dicendis, alia est facultas et obligatio respondendi, si judicialis, et alia si paterna sit inquisitio.

Quæstio 3ª. — *An Prælatus, sive paterne, sive judicialiter generalem instituens inquisitionem, exigere possit a subditis ut sibi occulta delicta manifestent.* — Respondendum negative. « Interrogati subditi (ait Lessius, *de Jure et justitia*, lib. 2, c. 29, « n. 109), non debent patefacere criminosos occultos, qui nulla

« talis criminis infamia laborant. Est communis sententia do-
« ctorum ; et colligitur ex capite *Qualiter et quando* (24, tit. 1,
« libri 5 Decret.). Ratio est, quia id de quo nulla adhuc est
« fama, censetur occultum, dum via inquisitionis proceditur :
« atqui judicis potestas non se extendit ad elicienda occulta :
« maxima enim inde incommoda in republica sequerentur. Ita-
« que etiamsi sub juramento, vel sub pœna excommunicationis
« præcipiat ut dicas veritatem de eo quod nosti, tamen non
« teneris ; sed potes cum restrictione mentali dicere, te nescire
« quidquam : intelligendo tacite, te nescire eo modo ut tenea-
« ris patefacere. »

Quæstio 4ª. — *An superiori generalem inquisitionem paterne instituenti, possint subditi manifestare delicta occulta ?* — Respondendum affirmative ; quia manifestatio hæc non tendit ad vindictam publicam, sed ad solam delinquentis emendationem et paternam correctionem.

Quæstio 5ª. — *An superiori generalem inquisitionem judicialiter instituenti, licite possint subditi occulta delicta manifestare ?* — Respondeo : vel ista delicta in judicio probari possunt vel non :

1° « Quando crimen nullo modo probari potest, aperte con-
« tra justitiam peccas si illud aperias ; quia nullum jus habes
« illius patefaciendi. Cum enim non possit probari, non potest
« quoque puniri ; ac proinde non potest ex ejus revelatione
« aliud sequi quam infamia. »

« Excipe tamen duos casus quibus potest superiori patefieri,
« etsi omnino occultum sit. Prior est quando id putatur esse
« necessarium ad ipsius emendationem : tunc enim aperien-
« dum superiori, non ut judici, sed *ut patri*, ut sua prudentia
« et auctoritate illud emendet. Alter est dum aliquod malum
« spirituale vel temporale impendet ab aliquo, quod commode
« averti non potest nisi superioris opera. » (Lessius, *de Jure et justitia*, lib. 2, c. 29, n. 112.)

2° Quid vero si delictum occultum in judicio probari possit ?
« Videri possit alicui saltem quando crimen probari potest in

« judicio, non peccare contra justitiam eos qui illud in hujus-
« modi inquisitione patefaciunt superiori : nam eo eventu jus
« habent accusandi vel denuntiandi auctorem. Quicumque
« enim, vel testibus, vel aliis indiciis, crimen probare potest,
« non peccat contra justitiam, si illud judici denuntiet : expe-
« dit enim bono publico ut omnibus hæc potestas detur :
« generatim enim loquendo, infamia et punitio quæ privato in-
« fertur, abunde compensari videtur exemplo publico, et ti-
« more qui aliis injicitur, per quem sibi a peccando cavent.
« Idem confirmari videtur ex praxi totius orbis : ubique enim
« consueverunt tales deferri, non solum quando generalis est
« inquisitio et subditi interrogantur, sed etiam sponte a non
« rogatis, ut docet Clarus (q. 7).

« Nihilominus *communis fere* doctorum sententia est, id illi-
« citum esse, quando ad solam punitionem tenditur ; tunc enim
« debet præcedere infamia, ut colligitur ex capite *Qualiter et*
« *quando* (24, tit. 1, lib. 5 Decret.). Nec obstat praxis orbis
« contraria : nam multi hac in re peccant per ignorantiam.
« Multi etiam non tam punitionem spectant criminosi, quam
« emendationem, vel mali impeditionem et aversionem ; quo
« casu denuntiatio est licita, etiamsi non præcesserit infamia,
« ut passim doctores tradunt. » (Lessius, *de Jure et just.*, lib. 2,
c. 29, n. 110.)

Juxta hanc doctrinam, quæ vera et tenenda videtur, occulta delicta, sive in judicio probari possint, sive non, superiori generalem inquisitionem *judicialiter* instituenti licite nequeunt a subditis, etiam interrogatis, denuntiari ; sed tenentur dumtaxat manifestare delinquentes, de quibus existit fama publica.

Hinc æquum est, imo et subditi jus habere videntur, ut superior eos præmoneat *judicialis* ne sit, an *paterna* dumtaxat generalis inquisitio. Si enim paterna sit, ipsis licet occulta delicta manifestare : si vero judicialis, id iisdem regulariter illicitum est, præsertim si delicta hæc in judicio probari nequeant.

Quæstio 6ª. — *Quomodo superior ex generali inquisitione*

ad specialem transire possit ? — Multiplex casus distinguendus est.

1° Si denuntientur delinquentes de quorum delictis jam existit fama publica, potest superior contra tales *specialem* inquisitionem incipere ; quia ad specialem inquisitionem instituendam sufficit prævia infamia. Idque locum habet sive ipsi ut *patri*, sive ut *judici* prædicti delinquentes fuerint denuntiati. Tunc enim non tam vi denuntiationis, quam famæ publicæ, jam ipsi cognitæ, processum specialem instituit. Imo in hoc casu exigere potest superior, ut delinquentes ejusmodi, qui nempe infamia laborant, sibi *judicialiter* denuntientur.

2° Si, dum *paterna* est generalis inquisitio, superiori ut patri manifestentur occulti delinquentes, non potest superior in tales delinquentes nisi *paterne* procedere : excepto tamen (ut in superiori capite dictum est) casu quo tale esset occultum delictum, ut qui novit teneatur etiam judicialiter denuntiare ; verbi gratia, quando alioquin immineret grave damnum communitati, vel alicui tertiæ personæ.

3° Si, dum judicialis est generalis inquisitio, superiori manifestentur ut judici occulti delinquentes, quorum delicta in judicio probari nequeunt, peccant qui ita denuntiant, et judex nequit ad specialem inquisitionem contra tales delinquentes transire. Cum enim nequeant condemnari, ob deficientes ex hypothesi probationes, in meram eorum et inutilem infamiam et vexationem vergeret inquisitionis processus.

4° Si, dum pariter *judicialis* est generalis inquisitio, superiori manifestentur occulti delinquentes, quorum delicta in judicio probari possunt, illicite quidem agunt sic denuntiantes (juxta doctrinam sub præcedenti quæstione expositam) ; judicem tamen posse in denuntiatos ejusmodi specialis inquisitionis processum instruere, est sententia sat communis, ut dictum est supra (§ 2, propos. 2) ; sed adverte quod ibidem de hac sententia adnotavimus !

§ IV.

Inquisitionis mixtæ norma.

Jam supra (§ 2) expendimus quæstionem, an absque prævia infamia inquisitio mixta institui a superiore valeat. Diximus nempe non posse absque præcedente fama, judicialiter institui inquisitionem mixtam hujus formæ *an Titius aliqua delicta patraverit;* bene vero istius formæ, *quis tale delictum* (verbi gratia, tale homicidium) *patraverit.* Potest autem juxta posteriorem hanc formam institui mixta inquisitio, etiam si nondum ex perfectis probationibus, sed ex *indiciis tantum* constet de corpore delicti, id est, tale delictum revera ab aliquo fuisse patratum; ut tenent communiter doctores. Quibus prænotatis, duæ remanent circa inquisitionem mixtam subjiciendæ regulæ.

Regula 1ª. — *Inquisitione mixta, generali circa personam, et speciali quoad delictum, certum est subditos ad manifestandum occultum delicti auctorem regulariter non teneri.* — « Est « communis sententia doctorum, et colligitur ex canonibus supra « dictis. Ratio est quia superior non potest obligare subditos « ut revelent occultos peccatores, sed solum eos qui infamia « aliqua laborant. Multo minus occultus peccator tenetur sei« psum prodere. » Ita Lessius (*de Jure et just.,* l. 2, c. 29, n. 118); qui ibidem respondet ad quemdam textum sancti Gregorii, ex quo posset objectio desumi. Diximus autem *regulariter:* nam « si crimen adhuc esset perpetrandum vel continuandum; « vel si ex eo grave damnum alicui impenderet, quod alia ra« tione non posset commode averti, interrogatus posset et etiam « deberet auctorem patefacere, etsi omnino occultum. » (Lessius, cit. loco, n. 119.)

Regula 2ª. — *Prædicta inquisitio mixta, generalis scilicet circa personam, legitime viam aperit inquisitioni speciali.* — Quando videlicet ad hanc generalem quæstionem, *quis fecit,* in-

terrogati respondent existere contra talem personam indicia vel famam, vel etiam quando nominant occultum delicti auctorem (quod tamen regulariter facere non deberent), potest judex contra sic designatum specialem inquisitionem instituere. Ita cum communi doctorum sententia Reiffenstuel (in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 166.)

§ V.

Inquisitionis specialis, seu stricte sumptæ, norma.

An et qualis prærequiratur ad inquisitionem specialem instituendam infamia, supra (§ 2) expositum fuit. Remanent hic describenda cætera capita, quæ ad recte procedendum per specialis inquisitionis viam scitu necessaria sunt. *Specialem* autem *inquisitionem* hic intelligimus, tum eam quæ ex mero officio, tum eam quæ ad denuntiatoris alicujus instantiam a judice instituitur.

I.

An et quomodo ante omnia constare debeat de corpore delicti.

Dicitur constare *de corpore delicti*, quando constat delictum, pro quo quis in judicium adducitur, revera patratum ab aliquo fuisse.

Delictum autem est, vel *facti permanentis*, id est, vestigia post se relinquens; vel *facti transeuntis*, id est, nullum post se indicium relinquens. Homicidium et incendium sunt delicta facti permanentis; quia iis patratis remanent cadaver et usti ædificii ruinæ et cineres. Blasphemia autem, fornicatio et similia, sunt facti transeuntis; quia post patrationem, nulla quæ eam testentur vestigia supersunt. Quo prænotato sit

Assertio 1ª. — *Si delictum sit facti permanentis, debet judex ante aliam inquisitionem, per se, vel per notarium, aut delega-*

tum, informationem de corpore delicti sumere. — *Probatur* 1°. Jure Romano, quoad hoc in foro ecclesiastico recepto: *item illud sciendum est, nisi constet aliquem esse occisum* (idem dic de similibus facti permanentis delictis) *non haberi de familia quæstionem* (lege 1, ff. ad S. C. Syllan.).

Probatur 2°. Ex universali consuetudine, et consensione doctorum; de quibus vide testantem Reiffenstuel (in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 201).

« Et procedit hoc, ait Schmalzgrueber (in tit. 1, lib. 5 de-
« cret., n. 512), etiam casu quo reus ejusmodi delictum a se
« commissum fatetur; nihilominus enim damnari propterea
« nequit, antequam judex miserit in locum in quo delictum
« commissum dicitur, et ibi inquisiverit an commissum sit, et
« sic habeatur notitia de illo commisso... Quia non est in arbi-
« trio hominis de sua vita disponere, sicut in causa civili, ubi
« quoad temporalia bona, seipsum quis potest ex sua confessione
« condemnare. »

Excipitur casus quo delictum occultum fuisset; ut si cadaver in flumen fuisset projectum. Tunc pro informatione de corpore delicti sufficit depositio testium, qui dicunt se homicidium vidisse; seu, ut ait Schmalzgrueber (loco cit., n. 217), sufficit de eo constare per conjecturas.

Assertio 2ª. — *Si delictum sit facti transeuntis, sufficit habere conjecturas de commisso delicto.* — Ita communiter doctores (vide Schmalzgrueber, loco citato, n. 216), non ullo juris expresso textu, sed universalis consuetudinis vigore fundati. « Et licet
« (ait Reiffenstuel, loco citato) circa dictam differentiam de cor-
« pore delicti *permanentis* et *transeuntis* clarus textus in jure
« non habeatur, tamen quia est universalis consuetudo omnium
« tribunalium, inducit obligationem. »

« Porro quando agitatur causa de corpore delicti *transeuntis*,
« et procedit judex ad instantiam alterius, non est necesse, ut
« judex prius distinctam inquisitionem instituat de corpore de-
« licti, et postea aliam de reo; sed potest ita examinare testes et
« capere informationes, quæ unico contextu probent delictum

« esse commissum, et quidem a tali delinquente... Debet tamen « judex inquirendo ita se gerere, ut prius constet delictum esse « commissum, quam quis deliquerit. »

II.

Quomodo citandus sit reus, et ei tradenda sint capituda cum testium nomine, remissive.

Hæc singillatim expendimus infra, telam criminalis processus exponendo.

III.

Omissa aliqua necessaria formalitate, si reus præsens non reclamet, vel si crimen in judicio sit confessus, valebit processus.

Quoad casum Rei delictum confitentis, expresse declaravit Bonifacius VIII (cap. 1, tit. 1, l. 5, in 6) valere processum, quamvis omissa fuerit inquisitio de prævia fama, et traditio capitulorum. Quod autem decrevit Pontifex quoad duarum illarum formalitatum omissionem, ad omissas cæteras omnes extendunt communiter canonistæ, ut videre est apud Reiffenstuel (in tit. 1, lib. 5 Decr., n. 214).

Idem dicendum de casu præsentis et non reclamantis Rei. Bonifacius enim Octavus, valere tunc processum decernit, *infamiæ inquisitione omissa* (cap. 2 citati tituli); et de aliis formalitatum requisitarum omissionibus non loquitur; sed etiam ad istas decretalem extendendam tenent doctores. Quæ interpretatio, cum ratione fundetur et generaliter invaluerit, pro regula habenda est.

IV.

An in speciali inquisitione denuntiator possit esse testis.

Quod testis esse possit ille, qui prius reum denuntiaverat

evangelice, vel etiam dum fieret judicialiter a superiore *inquisitio generalis*, non est difficultas, et concedunt omnes.

Sed quæstio hic est de eo, qui in ipso specialis inquisitionis processu, denuntiationem fecit. Pro qua solvenda, distinguendum est publicum inter et privatum denuntiatorem.

1. Denuntiatorem publicum *seu ex officio*, prout est (verbi gratia) promotor fiscalis, posse simul in testem recipi, asserunt nonnulli canonistæ cum Reiffenstuel (in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 227). Fundantur decretali *Præterea* (7, tit. 21, lib. 2 Decret.) in qua sic habetur : *si testes publici, quos tua civitas nuncupat synodales, super causa matrimonii semel testimonium reddiderint*, etc. Quæ verba videntur innuere ejusmodi viros recipi posse in testes, quamvis *ex officio* debeant superiori delicta deferre. Sed, pace præfatorum canonistarum dixerim, illa decretalis eorum intentum non probat. Nam ibi agitur tantum de *causis matrimonialibus :* porro notum est denuntiatorem alicujus impedimenti matrimonialis pro teste simul recipi ; quia tunc non agitur præcise *ad pœnam*, sed dumtaxat ad impediendum ne matrimonia nulliter aut illicite contrahantur, et ad procurandam nulliter contractorum solutionem. Non ergo potest inde ad processum proprie criminalem, quo publica delicti vindicta intenditur, illatio fieri. Quod autem in citata decretali de causis matrimonialibus dumtaxat agatur, patet tum ex textu ipso, tum ex glossa, quæ sic casum exponit : « Cum Episcopus visitat parochiam suam, convocato « populo facit aliquos honestiores de plebe jurare, quod ipsi « diligenter inquirent, si aliqui consanguinei matrimonialiter « sint conjuncti, vel si aliqui tales conjungi velint, quod denun- « tiabunt Episcopo vel ejus misso. Testes isti dicuntur syno- « dales, de quibus legitur causa 35, quæstione 6, cap. *Episcopus* « *in synodo*. »

Nec etiam valet ratio a præfatis canonistis adjuncta, suspectum nempe non esse in ferendo testimonio eum, qui *ex officio* denuntiat. Imo *de jure* talis denuntiator suspectus est : jus enim etiam contra eum pœnam calumniatorum decrevit, si forte

deprehendatur ex malitia falso denuntiasse. Quæ pœna eludi posset, et inutiliter posita fuisset, si denuntiator, dum falso denuntiat, suummet testimonium interponere posset : nam quantumvis apertus calumniator, sese hac una voce protegeret, *ego delicti testis fui.* Id tantum ratione *officii publici* jus canonicum indulsit, ut si deficiat in probando quod denuntiavit, non *præsumatur* malitiosus calumniator, nisi probetur : quo favore caret privatus denuntiator, incumbente ipsi obligatione, si in probando deficiat, bonam suam fidem ostendendi et a præsumpta calumnia sese purgandi ; in quo si deficiat, calumniatorum pœnis subjicitur. Et vero si procurator fiscalis, ex eo quod officium publicum denuntiando exerceat, suspectus esse non debeat, nec a ferendo testimonio repelli, cur etiam judex non posset esse simul testis ? Quod tamen omnia jura repellunt. Absit ergo ut in curiis episcopalibus dicta opinio ad praxim unquam reducatur, ita quod fiscalis promotor denuntiatorem simul et testem agat.

2° Quoad denuntiatorem privatum, vel *voluntarie* denuntiat, vel *ex obligatione* charitatis aut justitiæ : si prius non posse ; si posterius posse in testem recipi, tenet laudatus Reiffenstuel (citato loco), quosdam in hunc sensum adducens doctores. Ratio autem qua hæc doctrina nititur, est denuntiatorem *ex obligatione* agentem, denuntiatori *ex officio* esse æquiparandum. Cum ergo jam rejecerimus opinionem, quæ denuntiantem *ex officio* pro teste recipit, rejecta manet hoc ipso eadem opinio ad denuntiatorem *ex obligatione* extensa.

V.

Discrimen inter modum inquirendi ex mero officio, et modum inquirendi ad instantiam alterius.

Quamvis ea discrimina jam passim attigerimus, operæ pretium visum est hic in unum collecta subjicere.

« Differunt modi isti in pluribus, ut videre est apud glos-

« sam (in c. *Qualiter* 24, tit. 1, lib. 5 Decr., verbo *Ad inqui-*
« *rendum*).

« 1. Quando ex officio suo procedit judex ad inquisitionem
« specialem, tunc recipit juramentum ab iis contra quos fa-
« cienda est inquisitio : non item quando procedit ad instantiam
« seu petitionem alterius, ne instruat adversarium : sed tunc
« ipse adversarius probare debet quæ denuntiavit.

« 2. Quando procedit ex officio, non tenetur recipere pro-
« bationem super fama ; satis enim est quod ea sibi constet ;
« sed de veritate inquirit postquam ipsi constat de infamia,
« licet inquisitus neget se infamatum ; neque tenetur ipse ju-
« dex fidem facere de infamia ; cui enim faceret, cum ipse sit
« judex? Contra est si procedat ad instantiam alterius ; tunc
« enim tenetur probationes assumere et fidem facere super
« infamia.

« 3. Si judex procedit ad petitionem vel querelam alterius,
« admittit probationes contrarias super bona fama : non item
« quando procedit ex officio.

« 4. Quando proceditur ad instantiam, fit litis contestatio
« cum eo qui petit inquisitionem (cap. *Cum dilectis*, 15, *de*
« *Purgat. canonica*). Secus est quando proceditur ex officio ;
« quia tunc non est cum quo fiat litis contestatio ; fit tamen
« quasi litis contestatio inter infamiam, quæ tenet locum accu-
« satoris, ex una, et responsionem inquisiti, ex altera parte.

« Quando proceditur ex officio, possunt recipi testes etiam
« post publicatas attestationes ; cum enim dicta testium sem-
« per sint nota judici, cessat tunc timor subornationis eorum.
« Secus est quando proceditur ad petitionem partis. » (Schmalz-
« grueber, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 180.)

VI.

Observanda in inquisitione speciali, ne processus nullitate laboret, compendiose recensentur.

Quamvis ex jam dictis facile pateat quisnam ordo et quæ-

nam formalitates ad processus valorem in inquisitione speciali requirantur, abs re tamen non erit, ad sternendam praxi faciliorem viam, eadem iterum in compendium redacta oculis subjicere.

« *Primo*, et ante omnia, sive ex mero officio, sive ad instan-« tiam partis procedat judex, debet ei constare de corpore de-« licti. » (Reiffenstuel, in tit. 1, lib. 5 Decr., n. 211.)

Secundo, si ex mero officio procedat, debet de prævia infamia informationem habere; si ad instantiam, informationem simul et judicialem probationem : exceptis certis casibus supra memoratis.

« *Tertio*, debet citare reum ; et postquam examinavit illum, « eidem proponere capitula, super quibus exigente fama aut « instantia partis, fuit inquisitus ; necnon depositiones te-« stium. »

« *Quarto*, debet reo subinde communicare etiam nomina « testium. »

« Et *quinto*, recipere, audire, ac examinare ejus exceptio-« nes ac defensiones.

« Et hæc cuncta, ordoque eorum omnino necessaria sunt. « Nam si unum prædictorum omitteretur (salvis limitationi-« bus appositis), aut ordo eorum debitus non servaretur, et « reus reclamaret, seu exciperet et protestaretur, processus « esset nullus : communis et certa (doctorum sententia) : pa-« tetque ex capite *Ad petitionem* (22, tit. 1, lib. 5 Decret.), ibi : « *Quamvis restituendus foret propter judiciarium ordinem non* « *servatum*. Unde capite *Qualiter* (17, tit. 1, l. 5 Decret.) dici-« tur : quod inquisitores, si debitum non servaverunt ordinem, « prudenter et caute se corrigere debeant, *ne inde nascantur* « *injuriæ, unde jura nascuntur*. Hinc etiam conscientiam eorum « desuper onerat, et adhortando ulterius addit Pontifex : *Non* « *pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis ut alio-* « *rum corrigatis errores... Quoniam ex his quæ inordinatè sunt* « *acta, non potest ordinabiliter agi*. Hinc Fagnanus (in c. 24, « tit. 1, lib. 5 Decr., n. 30) notat, quod si prius fieret inquisi-

« tio, et postea primum reo traderentur capitula, nihil agere- « tur, quia inverteretur ordo. Arguitur capite *Cum post pe-* « *tita*, 46, *de Electione*. » (Reiffenstuel, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 212.)

Ex dicendis infra plene patebit quomodo in antecessum fieri soleat processus *informativus*, seu pro informatione curiæ, nondum citato reo : postea citetur et interrogetur reus : tum ei tradantur capitula, necnon depositiones testium pro informatione curiæ examinatorum ; imo et eorum nomina, si reus declaret se habere dictos testes pro rite et legitime examinatis ; secus si id non declaret, quia tunc non cognoscet eorum nomina nisi ex eorum examine : fiat dein testium repetitio : et tandem quomodo reliqua processus inquisitorii tela contexatur. Quæ omnia cum fuse in sequentibus subsectionibus evolvenda sint, hic tantum præcipua quædam inquisitioni speciali propria adnotare voluimus.

CAPUT IV.

NORMA PROCEDENDI PER EXCEPTIONIS VIAM.

Cum ad *ordinarium* processum pertineat, ut reus possit *excipere*, idest, crimen aliquod seu aliquam inhabilitatem, tum judici, tum testibus, ad eos ab intento repellendos, objicere ; et ex tali objectione in judicio facta oriatur incidenter causa specialis, quæ et ipsa juxta sacrorum canonum præscriptiones dirimenda est ; debuimus hic subjicere normam expediendarum ejusmodi causarum, quibus ortum dat exceptio. Nec dicatur, ad processus *extraordinarii* tractationem potius rejiciendam fuisse hanc de exceptionibus materiam, cum Innocentius III (cap. *Qualiter*, 21, tit. 1, lib. 5 Decr.) modos procedendi *ordinarios* recensendo, memoret tantum viam notorii, viam accusationis, viam denuntiationis, et viam inquisitionis. Nam dici potest *exceptionem* in hac enumeratione contineri implicite,

utpote aliquam accusationis speciem. Prætereà laudatus Pontifex capite *Super his* (16, tit. 1, lib. 5 Decr.), expresse memorat exceptionem tanquam regularem crimina opponendi viam. Et tandem *ordinarius* dicendus est processus, in quo servantur juris de modo procedendi præscripta ; *extraordinarius* vero, in quo ejusmodi formæ supprimi permittuntur : sed eo quod alicui processui locum det exceptio, non inde sequitur processum hunc posse, suppressis ordinariis formis, expediri. Remanet ergo processum per viam exceptionis, ad ordinarios, et non ad extraordinarios processus, esse referendum.

§ I.

Quid et quotuplex sit exceptio ?

Cum fusius infra de exceptionibus tractaturi simus, hic ea dumtaxat notabimus, quæ præsentem quæstionem, modum scilicet procedendi in hujusmodi casu, respiciunt.

I. Exceptio est ratio ob quam reus postulat actorem dejici ab eo quod intendit seu persequitur. Quæ notio frequentius apud auctores sub hac formula recurrit, *actionis vel intentionis exclusio*. Exceptio autem multipliciter impedire potest actorem ab obtinendo quod vult ; nempe, verbi gratia, objiciendo judicem non posse causam dirimere, sive quod jurisdictione careat, sive quod suspectus sit et Rei inimicus ; accusatorem non esse admittendum ad proponendam accusationem ; denuntiatorem ad denuntiandum ; testes tales ad testificandum, etc.

Ipsam vero *exceptionis* vocem inde ortam nonnulli volunt, quod veluti aliquid *capiat ex* actione, idest, detrahat, removeatque et de medio tollat atque perimat.

II. Inter multiplices exceptionum species, satis ad præsentem scopum erit sequentes enumerasse :

1. Nempe dividi potest, in criminalem et civilem. Criminalis est quando objicitur aliquod delictum : civilis vero, quando objicitur aliqua inhabilitas, quæ culpabilis non est. De crimi-

nali dumtaxat nobis agendum, cum circa processum criminalem præsens tractatio versetur.

2. Criminalis autem exceptio, dupliciter fieri potest, civiliter nempe, vel criminaliter.

Civiliter fieri dicitur exceptio criminalis, quando delictum ideo objicitur, ut actor ab obtinendo quod vult dejiciatur; non vero ut ille cui a reo delictum objicitur, de eo puniatur: *criminaliter* e contra, quando reus simul persequitur publicam delicti ab ipso objecti vindictam.

3. Iterum criminalis exceptio distingui potest, in proprie dictam, et improprie dictam seu *quasi-exceptionem*. Rigorose enim loquendo exceptio dici nequit nisi ea quæ *ab aliquo reo* opponitur. Ob similitudinem autem effectuum, hoc nomine vocari etiam potest objectio criminis, ab alio etiam quam a reo facta, ad impediendum ne quis ad prælaturam, dignitatemve, aut beneficium electus, confirmationem obtineat; vel ne jam confirmatus consecretur, aut in possessionem immittatur. Et hæc est quam vocamus *quasi-exceptionem*, vel exceptionem improprie dictam.

§ II.

Norma procedendi quoad exceptionem criminalem civiliter factam.

Quæstio 1ª. — *An hoc modo excipiens teneatur sese in pœnam inscribere?* — Respondetur negative. Constat ex decretali *Super his* (16, tit. 1, lib. 5 Decr.): *Cum autem excipiendo fuerit crimen objectum, distinguendum est quare opponatur et quando: si objicitur ut ab accusatione vel testificatione aliquis repellatur, non est inscribi necesse.* Porro objectio criminis ut ab accusatione vel testificatione aliquis repellatur, est præcise exceptio criminis *civiliter* facta; ergo dum *civiliter* fit criminis objectio, inscriptio non requiritur.

Quæstio 2ª. — *Quid facere debeat judex, quando reus exceptionem criminis* civiliter *factam probare non potuit?* — Re-

spondetur : debet, per sententiam interlocutoriam, talem exceptionem, utpote injustam et frustratoriam rejicere, rejectamque declarare, et ea non obstante in processu pergere. Ita communiter doctores cum Reiffenstuel (in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 237). Et ratio patet : nam orta exceptione, debet judex de ea prius judicare, quam ad quæstionem principalem deveniat : *Cum exceptione probata* (ait Clemens III), *quæstio principalis perimatur, ante est cognoscendum de ipsa, quam ad definitionis articulum procedatur* (c. *Intelleximus* 1, tituli 10, libri 2 Decret.). Jam vero judex inanitatem exceptionis recognoscens, injuste ageret, nisi eam irritam declararet : rejecta autem tanquam inani exceptione, remanet continuandus processus eodem modo ac si proposita non fuisset.

Quæstio 3ª. — *Quando reus exceptionem criminis* civiliter *factam probare nequivit, an possit a judice aliqua pœna plecti ?* — Respondetur negative. Probatur ex decretali *Super his* (16, tit. 1, lib. 5 Decret.). Nam ibi Innocentius III distinguit inter objectionem criminis quæ fit a Reo civiliter, idest, *ut ab accusatione vel testificatione aliquis repellatur ;* et eam quæ fit ut quis, jam electus et confirmatus, jure suo acquisito ad prælaturam vel dignitatem privetur. Et in secundo casu dumtaxat decernit pœnam extraordinariam imponendam esse reo qui exceptionem probare nequivit. Unde consequens est ut in priori casu, quando nempe mere *civiliter* crimen objicitur, nulla pœna infligenda sit excipienti, et in probanda exceptione deficienti.

Quæstio 4ª. — *Quando reus, civiliter excipiens, objectum delictum probavit, an hujus delicti auctor possit a judice pœna plecti ?* — Respondetur negative ; sed debet tantum judex eum qui objectum delictum patrasse convictus fuit, ab accusando repellere, si sit accusator ; vel a testificando, si sit testis. Sequitur ex regula generali, quod judex sese accommodare debeat intentioni et fini agentis, formæque libelli ab illo propositæ ; prout capite *Qualiter* 24, *de Accus.*, et cap. *Licet* 30, *de Simonia*, præscribitur his verbis : *Ut juxta judicii formam sententia quoque dictetur.* Probatur insuper ex capite *Cum dilectus* (2,

tit. 10, lib. 2 Decret.), in quo sic decernit Innocentius III : *Si in modum exceptionis aliquod crimen testi objicitur, ut a testimonio repellatur, etsi crimen contra eum civiliter probatum fuerit, non ideo sibi pœna infligitur ordinaria, sed ejus dumtaxat testimonio non creditur : quod ea ratione contingit, quoniam in ipsum accusatio non procedit. Testes etiam, quorum testimonium reprobatur, inter infames quasi ex falso testimonio non habentur.*

Quæstio 5ª. — *An tamen, separato processu, possit judex procedere contra eum, cujus delictum probatum fuit a reo, illud civiliter objiciente?* — Respondetur affirmative. Nam quamvis in processu ipso, in quo *civiliter* dumtaxat objectum et probatum fuit delictum, non possit judex illud plectere (quia nempe denuntiatum non fuit ut plecteretur, sed tantum ut qui patravit ab accusando vel testificando repelleretur), stat nihilominus permanens penes superiorem potestas, per viam inquisitionis contra facinorosos, fama publica vel notorietate detectos, procedendi. Porro qui in judicio jam criminis fuit convictus, publica infamia imo et notorietate laborat. Poterit ergo judex, imo et debebit, absoluto priori processu, hoc modo convictum inquisitorio processu discutere, et condigna pœna plectere. De quo vide Reiffenstuel (in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 239).

§ III.

Norma procedendi quoad exceptionem criminalem, criminaliter factam.

1. Tunc procedit regula generalis, a doctoribus communiter admissa, exceptionem accusationi æquiparari, atque eosdem fere effectus sortiri. Hinc

2. Sicut in accusatione exprimi debet criminis commissi locus et tempus, ita et in ejusmodi exceptione criminaliter opposita. (Schmalzgrueber, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 248.)

3. Sicut quando cœptum est agi via accusationis et inquisitionis, non potest intervenire procurator, ita nec etiam quando

agitur hac via exceptionis criminaliter intentatæ. Schmalzgrueber, ibid.)

4. Si excipiens probet crimen, accusator vel testis contra quem crimen illud probatur, non tantum removeri debet ab accusatione vel testificatione, sed etiam puniri pœna a jure illi crimini statuta; vel si nulla talis statuta est, condemnari ad arbitrariam condignam.

5. Si e contra sic excipiens, crimen non probet, debet a judice per specialem sententiam absolvi ille, contra quem delictum objiciebatur; et quidem ita ut super eo crimine denuo accusari, etiam ab alio, non amplius possit; ut cum communi doctorum sententia adnotat Schmalzgrueber (cit. loco).

6. An vero ipse excipiens criminaliter, et in probando crimine deficiens, puniri debeat tanquam calumniator, prout si per viam accusationis ageretur? — Respondetur negative. Et hoc valde notabili discrimine differt exceptio *criminaliter* proposita, a mera accusatione. Concluditur autem hoc discrimen ex lege *Si adulterum* (38, ff. *de Adult.*), quoad hoc in foro ecclesiastico recepta, in qua dicta juris dispositio reperitur quoad criminaliter excipientem, et in probando deficientem. Ratio autem talis dispositionis est, *quod parcitur accusato qui provocatus est.* (Vide laudatum Schmalzgrueber, in tit. 1, lib. 5 Decret., n. 250.)

§ IV.

Norma quoad quasi-exceptionem.

Quasi-exceptionem supra vocavimus, eam quæ, non *a reo* proponitur, sed a qualibet alia persona, ad impediendum ne indignus ad Prælaturam dignitatemve aut beneficium promoveatur. De ea autem sic decrevit Innocentius III: *Cum opponitur ut quis a promotione officii vel beneficii excludatur, si ante confirmationem objicitur, non cogitur quisquam inscribere; quia crimen hoc modo probatum, impedit promovendum, sed*

non dejicit jam promotum. Post confirmationem vero, cum scilicet ordinandus fuerit aliquis aut etiam consecrandus (quia etiam ab obtinendo repellit et dejicit ab obtento), ad extraordinariam pœnam secundum arbitrium judicis discreti, citra vinculum inscriptionis, est excipiens distringendus, si defecerit in probando. (C. 16, tit. 1, lib. 5 Decret.) Ex qua lege, sic quæstio proposita solvenda venit : *primo, ante confirmationem* electi, excipiens non tenetur ad sese inscribendum in pœnam ; et, si deficiat in probando, non punitur. *Secundo*, quando electus ad prælaturam, dignitatem vel beneficium, *confirmationem* etiam obtinuit, ita ut ipsi non desit nisi ordinatio vel in possessionem missio, si objiciens illi delictum, in probando deficiat, puniri debet extraordinaria pœna; sed tamen etiam tunc non prærequiritur inscriptio in talionis pœnam.

CAPUT V.

DE PROCESSUS ACCUSATORII ET INQUISITORII ORIGINE, ET QUID DE UTROQUE SENTIENDUM, DISQUISITIO HISTORICO-CRITICA.

Propositio I^a^. — *Processus accusatorius solus videtur in Ecclesia regulariter obtinuisse, per decem aut undecim priora sæcula.* — Hanc maximi momenti thesim, priusquam documentis fulciamus, operæ pretium erit ejus sensum accurate determinasse, ne cui remaneat ambiguitati locus. Processum ergo *accusatorium* intelligimus illum, in quo intervenit accusator proprie dictus, id est, tum a judice, tum a Fiscali et alio quolibet Officiali publico distinctus. Dum autem dicimus eam procedendi formam per undecim priora sæcula *exclusive* perseverasse, exclusam pronuntiamus, seu nondum inductam, inquisitorii processus normam. Id tamen intelligat lector *regulariter*, seu excipiendo casum *delicti notorii :* nam quando ita notorium erat crimen ut probatione non indigeret, et (quod in notorietatem

reincidit) quando reus ipse delictum palam confitebatur, absque accusatore sententiam ferri solitam fuisse extra controversiam est. Item in *causis fidei*, quando quis, verbi gratia, tamquam hæreseos reus ad tribunal vocabatur, absque accusatore proprie dicto, seu a judice aut publico Officiali distincto, processum expedire licuisse, forsan probari potest ex antiquitatis documentis. Secluso vero hoc duplici casu, in cæteris criminibus solam adhiberi accusatoriam formam licitum fuisse, tamquam probabilius in hac thesi sustinemus. Id scilicet vehementer suadere visa sunt plura antiquitatis documenta. Probatur itaque thesis :

1° *Ex sancto Optato Milevitano.* — Macharius quidam ad compescendos Donatistas missus fuerat. Ei exprobraverunt inter alia Donatistæ, quod nonnullos homines trucidasset; atque inde contendebant eum debuisse a catholicis Episcopis excommunicari : respondet sanctus Optatus officio suo non defuisse Episcopos catholicos Macharium non excommunicando; *primo* quia etsi constaret ab eo quosdam fuisse neci traditos, non tamen constabat id injuste fuisse peractum; *secundo*, quia nondum ullus contra eum prodierat apud Episcopos accusator : « Sed hæc sileantur : dicamus et nos quod dicitis, reum « fuisse Macharium : quod si fuit, accusatore silente, a nobis « non licuit abstineri. Scriptum est enim, ante cognitam cau- « sam neminem esse damnandum. Dicite, quis eum accusavit, « et auditus non est? Dicite Macharium confessum esse cul- « pam, et nostram siluisse sententiam? Sumus enim, quales- « cumque, judices in Ecclesia; quod et ipsi non negatis; « quod nos judices esse veros debere contenditis. Non enim « possumus facere quod non fecit Deus, qui in judicio suo « personas separare dignatus est; nec eumdem voluit esse « accusatorem et judicem. Non enim potest quis in una causa, « eodem momento duas portare personas; ut in eodem judi- « cio et accusator esse possit et judex. Quod Deus nec per « omnipotentiam fecit. Ut nobis judicandi formam osten-

« dere (1), docuit reum sine accusatore non debere dam-
« nari, aut accusatorem eum esse, qui judex in ea causa futu-
« rus est... Dum a Cain frater Abel esset occisus, lectum est :
« et vocavit Deus Cain, et interrogavit eum ubi esset frater
« ejus : ille peccatum duplicans, quasi ignorantem faceret
« Deum, nescire se dixit. Et quando posset nescire aliquid
« Dominus, sub cujus oculis et vultu sunt omnia quæ gerun-
« tur? Et tamen Deus sine accusatore non judicat : et inter-
« rogat utique quod noverat. Et vos vultis ut abstineremus
« quem non vidimus aliquid mali facientem, et qui nullum ha-
« buit accusatorem. Video hoc loco quod invidia submurmu-
« ret vestra. Dicitis enim non nos latuisse quod factum est.
« Fatemur nos audivisse : sed peccatum erat damnare eum
« quem nemo est ausus arguere. Sed si dixeritis quia non nos
« latuit factum, dicite Deo quare interrogavit, qui viderat
« parricidium. Nec illud a nobis fieri oportuit quod Deus facere
« noluit, qui sententiam noluit dicere nisi reo. Redde accu-
« satorem, alioquin non posset justa esse sententia... Ideo ait :
« Ecce sanguis fratris tui clamat ad me de terra. Quare et vos
« cum minime probare possitis ab aliquo apud nos accusatum
« esse Macharium, nostrum non potestis damnare judicium. »
(Opera sancti Optati, libro 7, circa finem, pag. 112, edit. Pa-
risiis 1631.) Fateor me hoc documento valde moveri. Si enim
licitum et solitum tunc temporis fuisset per viam inquisitionis
procedere, respondere poterant Donatistæ : si accusator de-
fuit, vobis etiam concedentibus, non defuit criminis fama :
cur ergo ex officio processum non instituistis, et in reum inqui-
sivistis?

2° *Ex sancto Augustino.* — « Nos vero a communione prohi-
« bere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum,
« aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio nomina-
« tum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assu-
« mere, ut cuiquam ipse sit accusator et judex?... Quibus

(1) Forte legendum *ostenderet*.

« verbis satis ostendit (Paulus Apostolus), non temere aut quo-
« modolibet, sed per judicium (1) auferendos esse malos ab
« Ecclesiæ communione; ut si per judicium auferri non pos-
« sint (2), tolerentur potius...; quia et ad hoc nobis sunt in
« scripturis sanctis exempla proposita; velut in messe, ut palea
« sufferatur usque ad ultimum ventilabrum; vel intra illa retia,
« ubi pisces boni cum malis usque ad segregationem, quæ futura
« est in littore, id est, in fine sæculi... Noluit enim (Apostolus)
« hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam
« extraordinario usurpato judicio: sed potius ex lege Dei secun-
« dum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum
« et convictum. » (In homilia *de Pœnitentia* 50, capite 12, in-serta in decretum Gratiani, capite 18, quæstionis 1, causæ 2.) Ea verba, nondum inductum et licitum fuisse Augustini tempore inquisitorium processum, etsi forsan rigorose non probent, ve-hementer saltem innuunt.

In opusculo autem *quæstionum ex utroque testamento* (quod licet Augustino falso tributum, est tamen auctoris vetustissimi), sic habetur (quæst. 102): « Et adhuc est aliquid quod depre-
« hendit Novatianus: cur, inquit, Corpus Domini tradunt eis,
« quos noverunt peccatores? — Quasi possint ipsi accusatores
« esse, qui sunt judices. Si autem accusati fuerint et manifestati,
« potuerunt abjici. Nam quis judex accusantis sumat personam?
« Nam si ipse Dominus Judam passus est, quem sciebat furem
« esse, et ea quæ mittebantur exportare, nec eum, quia accu-
« satus non est, abjecit; hoc exemplo uti oportet, ut eum abji-
« cere non liceat, qui publice detectus non fuerit. » Hæc iterum verba satis aperte innuunt non solitos fuisse Episcopos proce-dere, etiam in eos quos deliquisse noverant, nisi accusator aliquis in judicium prodiret.

3° *Ex concilio Toletano sexto, anni* 638, *c.* 11. — « Quis-

(1) Per judicium nempe in *quo accusentur* et convincantur, ut totus contextus innuit.

(2) Eo quod, nempe nullus accedat accusator, et delictum notorium non sit.

« quis a quolibet criminatur, non antea accusatus supplicio « dedicetur, quam accusator præsentetur, atque legum et ca- « nonum sententia exquiratur. » (Concilia Harduini, tomo 3, pagina 603 ; et in decreto Gratiani, causa 3, quæstione 9, canone 9.)

4° *Variæ decretales, etsi insinceræ, a Gratiano prolatæ.* — Eæ decretales, quantumvis fictæ, non minori robore pollent ad probandam præsentem thesim, quam si authenticæ omnino forent; probant enim noni sæculi persuasionem et praxim. A quibus proinde si videamus excludi processum inquisitorium, concludendum omnino erit nondum Isidori Mercatoris, a quo eas hausit Gratianus, tempore inductum fuisse judicialem inquisitionis formam. Id autem ex earum textu plane evinci facile intelliget lector : « Nihil contra quemlibet accusatum « absque legitimo et idoneo accusatore fiat. Nam et Dominus « Noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat : sed quia « non est accusatus, ideo non est ejectus. » (Causa 2, quæst. 1, can. 4.)

« Non oportet quemquam judicari vel damnari, priusquam « legitimos habeat præsentes accusatores; locumque defen- « dendi accipiat ad abluenda crimina. » (Causa 3, quæst. 9, can. 5.)

« Habetur quoque in decretis sanctorum Patrum sancitum, « non fore canonicum quemquam sacerdotum judicare vel dam- « nare, antequam accusatores canonice examinatos præsen- « tes habeat, locumque defendendi accipiat, idest, inducias « ecclesiasticas ad abluenda crimina. » (Causa 3, quæst. 9, can. 6.)

« Qui accusare alium elegerit, præsens per se et non per « alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Neque ullus « unquam judicetur, antequam legitimos accusatores præsentes « habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. » « (Causa 3, quæst. 9, can. 8.) « Nullus unquam præsumat ac- « cusator simul esse et judex et testis : quoniam in omni judicio « quatuor personas necesse est semper adesse, idest, judices elec-

« tos, accusatores electos, defensores congruos, atque testes « legitimos. » (Causæ 4, q. 4, can. 1.)

« Accusatores vero et judices non iidem sint; sed per se accu- « satores, per se judices, per se testes, per se accusati, unusquis- « que in suo ordinabiliter ordine. Nam inscriptio primo semper « fiat, ut talionem calumniator recipiat; quia ante inscriptionem « nemo debet judicari vel damnari, cum et sæculi leges hæc « eadem retineant. » (Causæ 4, q. 4, can. 2.)

5° *Alia nonnulla documenta, ex Epitome juris veteris Antonii Augustini desumpta.* — « Relatum est ad Sedem Aposto- « licam, vos accusationem fratrum per scripta suscipere absque « legitimo accusatore, quod deinceps in omni orbe terrarum « fieri Apostolica auctoritate prohibemus... Neque ullus unquam « judicetur antequam legitimos accusatores præsentes habeat. « (Damasus, epist. 6. — Anselmus, lib. 4, c. 47. — Ivo, « parte 6, c. 348.) » Apud Antonium Augustinum, parte 3, libro 30, tit. 6, c. 3.

« Placuit ut nullus Episcopus quemquam clericorum judicare « aut damnare præsumat, nisi accusatus legitimos accusatores « præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda « crimina. (Adrianus ad Episc. Mediol., c. 20.) » Apud Anto- nium Augustinum, loco citato, tit. 13, c. 18.

6° *Ex Hincmaro, Rhemense Episcopo.* — Qui opusculum Hincmari *de Presbyteris criminosis* (tom. 2 operum, pag. 783, edit. Parisiis 1645) attente legerit, pro comperto habebit, ne- quaquam tunc temporis in usu fuisse inquisitorium processum. Dum enim ibi minutatim exponitur quomodo in ejusmodi reos clericos sit procedendum, ne verbo quidem innuitur fas esse Episcopo ex sola præeunte criminis fama inquirere, et nullo instante accusatore judicium expedire. Immo contrarium ex- presse tanquam indubitatum pronuntiatur. Nam postquam ad- notavit Hincmarus Episcopo laborandum non esse, ut inquirat de ipsomet presbyterorum concubitu cum fœminis (cum hor- rendum hoc facinus, si quando forte patretur, testibus careat et secreto obvolvatur), ita subjungit : « Tantummodo autem

« de accessu et frequentatione ac cohabitatione presbytero-
« rum contra canonicum interdictum cum fœminis, *si inde*
« *fuerint accusati*, est inquirendum. Quia, ut sanctus Ambro-
« sius dicit, judicis non est *sine accusatore* damnare; quia et
« Dominus Judam, eum fur esset, quoniam non est accusatus,
« minime abjecit. » (Citato opusculo, n. 11.) Unde juxta hujus temporis disciplinam, quamvis Episcopo notum foret aliquem presbyterum illicita fœminarum frequentatione commaculari, non tamen in eum prius judicium instituebatur, quam ab aliquo accusatore crimen esset delatum. Accusator autem juxta eumdem Hincmarum tenebatur in crimen subscribere, ut si falso accusasse deprehenderetur, pœnam calumniatorum subiret : « Ipse qui crimen intendit, præsens per se accuset,
« inscriptione præmissa. (Ibid., n. 5.) Juxta legem Valenti-
« niani et Valentis nisi inscriptione celebrata, reum quemquam
« non fieri; quia sicut convictum pœna constringit, ita et ac-
« cusatorem si non probaverit quod objecit. Et legibus consti-
« tutum est ut scriptura prolator affirmet; cujus si non ad-
« struxerit veritatem, ut falsitatis reum esse retinendum; et
« criminis quod probare nequiverunt delatores, ut perjuri ac
« falsitatis rei damnandi sunt, sicut lex Honorii et Theodosii
« decrevit. » (Ibid., n. 6.)

Cæterum quando presbyter a populo accusabatur, nec crimen probari potuerat, ad jusjurandum recurrebatur. Accusatus nempe supra quatuor Evangeliis juramento se innoxium affirmabat; prout constat, tum ex citato Hincmari opusculo, tum ex quodam Caroli Magni capitulari in quo sic decernitur : « Ideo consultu Sedis Apostolicæ et omnium nostrorum Episco-
« porum..., de purgatione criminatorum sacerdotum tanta tra-
« ctavimus, eamque cum testibus (sicut in anteriori capitulari
« nostro continetur) fieri decrevimus, quoniam nesciebamus
« eamdem causam a Beato Gregorio Papa esse diffinitam. Nam
« cum Wormatiæ generalem conventum habuissemus, allata
« est nobis a Riculfo Moguntiacensi metropolitano epistola Beati
« Gregorii Papæ, in qua inter cætera continebantur hæc : de

« presbytero vero, vel quolibet sacerdote a populo accusato, si « certi non fuerint testes, qui crimini illato approbent veritatem, « jusjurandum erit in medio, et illum testem proferat de inno- « centiæ suæ puritate, cui nuda et aperta sunt omnia. Ista vero « omnia quia vires nostras excedunt, in judicio Episcoporum « juxta canonicam sanctionem definienda relinquimus. » (Apud Mansi, tom. 13, pag. 1058.)

7° *Ex capitularibus Caroli Magni.* — In capitulari 398, libri 5 (in editione Balusii, Parisiis, 1677, tom. 1, pagina 908) sic legere est : « Judicis non est quemlibet judicare vel condem- « nare absque legitimo accusatore. Quoniam et Dominus Judam « furem esse sciebat ; sed quia non est accusatus, ideo non est « ejectus. » Et idem iisdem terminis recurrit in capitulari 381, libri sexti (apud Balusium, citato tomo, pag. 995).

8° *Ex jure Romano.* — Jurisconsultis explorata res est, in romanis legibus solum regulariter sanciri accusatorium processum. « Nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest, » aiebat Cicero (*Pro Roscio*, c. 20). Quod et expressa lege sancitum fuerat : « Si quis accusatorem non habeat, non debet honoribus « prohiberi, quemadmodum non debet is cujus accusator des- « titerit. » (Lege 6, ff. *de Muneribus.*)

Excipiebantur tamen pauca quædam atrociora crimina, verbi gratia, latrocinia publica, quæ rempublicam in discrimen agebant : ii nempe malefactores inquirebantur a certis officialibus seu inspectoribus publicis, qui Irenarchæ vocabantur : hisque licitum erat captos ejusmodi reos ad tribunal absque alio accusatore judicandos, pertrahere. De qua exceptione satis constat ex sequentibus legibus :

« Congruit bono et gravi præsidi curare ut pacata atque quieta provincia sit : quod non difficile obtinebit, si sollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat ; nam et sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere. » (Lege 13, ff. *de Officio præsidis.*)

« Ea quidem quæ per officium præsidibus denuntiantur, et citra solemnia accusationum posse perpendi incognitum non est. » (Lege 7 codicis, *de Accusat.*)

« In quacumque causa reo adhibito, sive accusator existat, sive eum publicæ sollicitudinis cura perduxerit, statim debet quæstio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur. » (Lege 1 codicis, *de Custodia carcerum.*)

« Delatores, sine fisci advocato denuntiantes, pœnis adficere. » (Lege 5 codicis, *de Delatoribus.*)

Reperiri ergo in jure Romano inquisitorii processus aliqua initia et veluti rudera, negari nequit. Unde et scite modernus Galliæ scriptor : « Il résulte bien évidemment de ces différents textes que le droit d'accusation tendait déjà à remonter des mains des citoyens dans celles de l'autorité publique... Il est difficile de ne pas y voir le germe de l'institution du ministère public, qui, après avoir été recueillie par le droit canonique au milieu des débris du bas-empire, devait envahir plus tard, mais pour la féconder, notre législation moderne. » (Faustin Hélie, *Traité de l'instruction criminelle*, liv. 1, c. 4, § 23.) At vero per modum exceptionis admissam fuisse inquisitoriam formam, et extra casus exceptos non licuisse nisi *accusatorie* procedere, clariores quique jurisperiti contra paucos sustinuerunt.

Et certe jus Romanum noscebat Festus ille, sancti Pauli judex, qui in actibus Apostolorum (cap. 25, v. 14) sic ad regem Agrippam locutus refertur : *Vir quidam est derelictus a Felice vinctus. De quo cum essem Jerosolymis, adierunt me principes sacerdotum et seniores Judæorum, postulantes adversum illum damnationem. Ad quos respondi : Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Jam vero non minus aliunde certum est, Romanum jus ecclesiastico foro normam fuisse, ubi nihil contrarium canones statuissent. De præscripta autem accusatoris proprie dicti necessitate, legi Romanæ decreta canonica nequa-

quam adversa reperiuntur ; ita ut a jure Romano ad ecclesiasticum recte illatio fiat.

Ea autem utriusque juris, in re de qua agimus, consensio, historice confirmatur apud Devoti (libro 4 Institutionum, titulo 1, § 5, nota 4) in hunc modum : « Id postremo addam, criminalia judicia in foro exteriori apud Episcopos eodem fere « ritu, quem lex Romana constituerat, expediri consuevisse... « Id ex collatione juris civilis cum ecclesiastica historia manifestum est. Jure civili accusatio constituitur libello, cujus « formula extat in lege 3, ff. *de Accusationibus*, quique actis inseritur : accusatorium libellum Eusebius Dorylæi Episcopus « adversus Eutychem presbyterum et Archimandritam propo- « nit, ut eum hæreseos accuset, eumque *relegi* vult, et *inferri* « *monumentis actorum*, sicuti patet ex concilio Constantinopolitano sancti Flaviani Patriarchæ (conciliorum, tom. 4, « col. 930 et 935 collectionis Labbæi). Quod etiam in concilio Chalcedonensi (actione 3, dicto tomo 4, col. 1267) adversus Dioscorum Theodorus præstat ; quin et alia ecclesiastica judicia per libellum instituta demonstravi libro tertio, « tit. 5, § 1, nota 4. — Jus civile accusatoris inscriptionem « et subscriptionem postulat. Inscriptione accusator ostendit « se Titium, verbi gratia, ex una vel altera lege reum deferre, « eumque se reum demonstraturum profitetur (lege 3, ff. *de* « *Accus.*, et lege 2 codicis, *de Reis*). Subscriptione declarat « suas se implevisse partes, seque obstringit reciproci pœna, « si falso ab se hominem accusatum pateat. Eusebius (citato « tomo Labbæi, col. 931, 934 et 935) paratum sese exhibet « *convincere* Eutychem *falso habere catholicum nomen;* libellum sua manu subscribit; et (col. 991 et 1010) non obscure si- « gnificat, vereri se, ne per fraudem Eutychis pœnam talionis « perferat ; quem metum Flavianus depellit. Ita in Chalcedo- « nensi concilio (tom. 4 Labbæi, col. 1267) Paschasinus, sancti « Leonis papæ Legatus, de Theodoro diacono, Dioscori accusatore, dicit hæc : *Si confidit probare ea quæ ingerit...*, *pro-* « *prio ore confiteatur*, *si non vult regularem adversus*

« *se converti sententiam.* » Utriusque juris consensionem in tota reliqua tela judiciaria erudite prosequitur citatus auctor.

9° *Ex eo quod frequentissimi in tota antiquitate fuerint processus accusatorii, cum tamen, si in usu fuisset inquisitionis forma, nullus fere in monumentis occurrere deberet.* — Validissima, imo et peremptoria mihi videtur probatio hæc. Nam si vel cursim pervolvantur historiæ ecclesiasticæ et veteres decretalium collectiones, frequentissima occurrit ejusmodi accusatoriorum processuum mentio, et de iisdem prolatæ decisiones. Desiderarentur autem et a monumentis fere omnino exularent, in hypothesi inductæ jam inquisitorii processus formæ. Grave enim est onus accusationem in judicio probare et in pœnam talionis subscribere ; quod certe onus ordinarie declinabunt homines, si facta simplici ad judicem denuntiatione, et mediorum quibus veritas detegi possit indicatione, possint criminis coercitionem æquivalenter obtinere (1). Quam raro hodie contingit ut quis tanquam accusator stare in judicio velit! Numquid omnes non anteponunt judici curam relinquere veritatem investigandi et probatum delictum puniendi? Porro quod hodie evenit, patente faciliore inquisitorii processus via idem omnino contigisset antiquitus, si forma eadem inquisitoria in usu fuisset ; ita etiam ut nulla forsan reperiretur processuum accusatoriorum historica mentio. Ea quippe est utriusque formæ natura, ut inducto tanquam ordinario inquisitorio processu, alter a foro sponte exulet. Cum ergo accusatorio processu tota strepat antiquitas, indicium indubitatum est, nondum inventam tunc temporis inquisitionis formam. Ad thesis conclusionem deveniamus.

(1) « Peut-on supposer qu'il y eût dans la république un grand nombre de per-
« sonnes assez dévouées à l'intérêt public, pour assumer l'énorme fardeau d'une
« accusation, pour se charger d'une longue et pénible instruction, et pour s'expo-
« ser volontairement aux suites onéreuses d'une grave responsabilité? » Ita Faustin Hélie (*Traité d'instruction crim.*, liv. 1, c. 3, § 20), carpens Romanum jus, quod solum regulariter admiserit accusatorium processum.

Videtur nempe citatis documentis evinci, per 10 saltem priora sæcula solum in foro ecclesiastico *accusatorium processum* regulariter obtinuisse: consuetudinem vero procedendi per *viam inquisitionis*, sive ex mero officio, sive ad alicujus denuntiationem, nondum inductam fuisse. Dicimus autem *regulariter*, ob sequentes exceptiones.

Primo, excipiendum a generali hac regula casum *notorii*, extra controversiam est; et satis ex Patrum dogmate et consensu Pontificum illustrat et probat Gratianus. (Can. 15 et seq., quæst. 1, causæ 2.)

Secundo, probabile etiam videtur, accusatorii processus formam non semper stricte observatam fuisse, sed ad inquisitorium processum declinatum quandoque fuisse, tum in conciliis, tum in causis fidei, tum in visitanda diœcesi. Quod cum nimis longum esset penitus enucleare, adnotabimus dumtaxat, id aliquatenus fateri coactum fuisse ipsummet protestantem Bohemerum, quantumvis ad ostendendam inquisitoriæ formæ novitatem et ab Innocentio III introductionem desudarit.

« In causa hæreseos seu fidei, inquit, quæ publica videba-
« tur, non adeo sollicite accusatorem desiderari, probabiliter
« ex duobus collegerunt: 1° quod hæreticæ doctrinæ, publice
« traditæ vel editæ, *notorium crimen* continerent, in quo sine
« accusatore procedi deberet; 2° quod causæ fidei, tanquam
« *majores et arduæ*, conciliis reservatæ essent; in his vero, ex
« praxi communi, non alii ut plurimum judices dari solerent
« quam accusatores, et qui adversam partem constituerent,
« prout in antecedentibus declaratum est (1). Hæresi autem

(1) Superioribus nempe paginis, stulte Bohemerus exprobraverat, quod Episcopi in conciliis judices eorum sederint, quorum adversarii notorii antea fuerant; ac vehementer insectatus erat in hæc verba Clerici (*Biblioth. univers.*, tom. 10, pag. 468) : « Arius anathemate percussus fuerat ab Athanasii decessore Alexandro,
« aliisque Episcopis, qui antequam concilium evocaretur, ei palam adversati fue-
« rant. Idem factitatum in omnibus Episcoporum cœtibus, qui ab illo ævo sunt
« coacti. Nam singulari jure præ laicis gaudent ecclesiastici, quo simul adversa-
« rii et legitimi judices esse possunt. »

« semel per *decretum concilii* declarata, incumbebat Episcopis « purgare provinciam orbemque christianum ab his, qui illa « ipsa infecti erant. Quocirca si Episcopi, si delegati papales « in diœcesibus provinciisque conciliorum exemplum seque- « bantur, nihil insoliti audebant... Sicuti vero hoc valde *irre-* « *gulare* erat, ita extra eum casum in criminibus vindicandis « accusatore opus erat ; adeo ut etiam in *visitationibus episco-* « *palibus* eadem rerum facies fuerit, utut forma earum antiqua « proxime ad *inquisitorium quemdam processum* inclinare vi- « deatur... Testes synodales, loco accusatorum fuisse videntur. » (Bohemerus, *Jus ecclesiasticum protestantium*, lib. 5, tit. 1, § 13.)

Propositio IIª. — *Innocentium III primum fuisse qui inquisitoriam formam induxerit, non videtur rigorose probatum.* — Non ignoramus eam generaliter invaluisse opinionem, quæ Innocentio III tribuit inquisitorii processus, inter ordinarias et canonicas procedendi formas, introductionem. Id Thomasius et Bohemerus, protestantes ambo, gnaviter propugnant, et clarissimo Pontifici crimini vertunt : id permulti iidemque clarissimi, e catholicis etiam, scriptores, admittunt ; atque inde præfatum Pontificem, utpote de re catholica optime meritum, et perfectioris hodiernorum populorum legislationis parentem, summis laudibus extollunt. Et quidem, si de ea re plene constet, absit ut tanti viri, et ut vocari solet, *Papæ legislatoris* gloriæ quidquam detrahere nitamur. Id dumtaxat adnotandum duximus, omnino validas non videri rationes, a dictis auctoribus adduci solitas, ut factum, de quo indagatio est, demonstrent. Nam,

1° De processu inquisitorio locutum Innocentium III reperimus, non tanquam de nova et ab ipso sancita institutione, sed potius tanquam de obtinente jam et nota omnibus forma : « Ad « corrigendos subditorum excessus, inquit, tanto diligentius «debet Prælatus assurgere, quanto damnabilius eorum offen- « sas desereret incorrectas. Contra quos (ut de notoriis tacea- « tur), *etsi tribus modis possit procedi, per accusationem*

« *videlicet, denuntiationem, et inquisitionem ipsorum*, ut ta-« men, etc. » (Cap. *Qualiter et quando* 24, tit. 1, libri 5 Decret.) Et pariter dum in aliis decretalibus de inquisitoria forma pluries loquitur, ne syllaba quidem sese hujus institutionis auctorem pronuntiat.

2° Sed neque ex inductionibus (quæ solæ a prædictis auctoribus afferuntur) res evincitur. Quod ut pateat quæcumque post Benedictum Thomasium (*de Origine processus inquisitorii*) congerere potuit Bohemerus, excutiamus :

Primum argumentum : in capite 16 (tituli 1, libri 5 Decret.) ipsemet Innocentius varios crimen oppugnandi modos recensens, inquisitionem tacet ; et memorat tantum *denuntiationem*, *exceptionem* et *accusationem*. — Respondetur, ibi ab Innocentio enumerari, non modos quibus *judex procedere*, sed quibus quælibet alia persona crimen *alteri opponere* potest ; quod valde diversum est.

Secundum argumentum : « In capite 17 (citati tituli) variis « argumentis hunc processum (inquisitorium) defendit, quod « non necesse fuisset, si praxis ejus usitata et antiqua fuisset. » — Respondetur modum quo Innocentius III inquisitoriam formam ibi defendit, seu potius commemorat, multo magis innuere, jam usu eam obtinuisse. « Qualiter et quando, inquit, « debeat Prælatus ad inquirendum et puniendum subditorum « excessus, ex auctoritatibus Novi et Veteris Testamenti colli-« gitur evidenter, *ex quibus super hoc processerunt postea cano-« nicæ sanctiones*. Legitur enim in Evangelio... » Ergo ipso Innocentio teste, jam *processerunt super hoc canonicæ sanctiones*. Non dicit, *ex quibus ego nuper eduxi legem meam*, qua novam inquisitionis formam sancivi ; sed, ex quibus processerunt *postea* canonicæ sanctiones. Quæ vox *postea* canonicas illas sanctiones profecto denotat ipsi Innocentio anteriores.

Tertium argumentum : « Quia *irregularis* (inquisitorius pro-« cessus), variis dubitationibus obnoxius fuit, in quibus resol-« vendis admodum sudavit capite 21 (citati tituli). » (Bohemerus, ad tit. 1 Decr., § 86.)— Respondetur : Cum inquisitionis

via in jure Romano determinata non reperiatur, mirum non est multas adhuc ortas fuisse Innocentii III tempore dubitationes, etiam si jam ab aliquanto tempore in usu foret. Unde ejusmodi dubitationes, etsi non adeo antiquam innuant processus inquisitorii formam, non tamen probant ab ipso Innocentio III inductam.

Quartum argumentum : quod capite 17 (citati tituli) de processu inquisitorio dixerat, confirmata voluit Innocentius III in concilio generali anni 1216 ; quod indicat compescendas fuisse contra rei novitatem oblocutiones. — Respondetur : etiamsi nullæ oriantur oblocutiones, potest aliquis Pontifex decretalem aliquam, in concilio generali, ad solemniorem ipsius publicationem et evulgationem, confirmatam velle ; unde ex ejusmodi facto nihil probatur.

Argumentum quintum : in capite unico *Ut ecclesiastica beneficia sine dim. conf.*, debuit Innocentius III suam inquisitorii processus institutionem contra Mediolanensis Archiepiscopi objectiones iterum defendere. — Respondetur : si quis citatam decretalem legerit, videbit ibi agi de valde intricata lite ; quam acutissimus Pontifex solita prudentia dirimit ; non autem ad scopum a Bohemero suppositum eam decretalem dirigi.

Non alias ego rationes reperire potui, quibus demonstretur Innocentius III inquisitoriæ formæ inductor et parens. Cum ergo eæ plena vi ad probandum pollere non videantur, in hancce potius conclusionem, salvo doctiorum judicio, lubens iverim :

1. Inquisitionis via, etiam ab antiquo, adhibita fuisse videtur ; tum in causis fidei, tum etiam forte in visitationibus episcopalibus, tum demum quando clamor publicus de patrato delicto tantus erat, ut rem notoriam aut quasi notoriam efficeret.

2. Ab uno circiter ante Innocentium III sæculo, frequentior paulatim evaserat eadem procedendi forma, et ad omne generaliter delictum extensa fuerat, modo notabilis de crimine præcessisset diffamatio, quæ accusatoris quodammodo vices ageret.

3. Innocentio tamen III ipsiusque responsis et decisionibus tribuendum, quod inquisitorius processus suam plene determinatam formam induerit, atque inter ordinarios procedendi modos locum definitive sumpserit. Cujus immutationis beneficium, ad omnium tandem modernorum populorum sæculares leges et tribunalia, summo cum rei publicæ emolumento, dimanavit.

Remanet ut propria utriusque formæ, accusatoriæ scilicet et inquisitoriæ, utilitas atque intrinseca bonitas ad invicem conferantur, et quid de unaquaque sentiendum sit expendatur.

Propositio IIIª. — *Accusatoria forma in se spectata, et quatenus inquisitorium processum excludens, nonnullis laborabat defectibus.* — Acatholici scriptores multi, cum supra citatis Thomasio et Bohemero, Ecclesiæ crimini verterunt, quod puram accusatorii processus institutionem, antiquitus exclusive obtinentem, non servaverit ; eique adnexam et a fortiori substitutam inquisitoriæ formæ novitatem exprobrant. Iis nempe viris summa reddendæ justitiæ perfectio visa est, si in nullum reum absque instante accusatore procedi possit : summa disciplinæ antiquæ corruptela, quod judici liceat, ex sola de patrato delicto fama et indiciis, inquirere, et (accusatoris vices agente ministerio publico, id est, fiscali seu promotore), convictum reum debita pœna coercere.

Atvero hæcce opinatio, quæ odium in ecclesiam catholicam nimis aperte sapit, jamdudum communi jurisperitorum voce explosa est. Toti sunt recentiores in ostendendis antiqui systematis accusatorii vitiis, in extollenda inquisitoriæ formæ perfectione. De quo sic inter alios, modernus Galliæ scriptor : « Nulle poursuite ne pouvait être exercée sans un accusateur : « l'action publique, attribut de la souveraineté nationale, « reposait entre les mains des citoyens : aucune peine ne pou- « vait être appliquée par jugements publics, si elle n'avait été « légalement requise par le plaignant. Il est évident dès lors « qu'un grand nombre de crimes, dont aucun intérêt parti-

« culier ne sollicitait la poursuite, devaient demeurer im-
« punis... Mais qu'il fallait de zèle et de désintéressement à
« ces accusateurs, lorsqu'ils n'avaient pas à la répression du
« crime un intérêt personnel! Peut-on supposer qu'il y eût
« dans la république un grand nombre de personnes assez
« dévouées à l'intérêt public, assez insouciantes de leur propre
« intérêt, pour assumer l'énorme fardeau d'une accusation,
« pour se charger d'une longue et pénible instruction, et
« pour s'exposer volontairement aux suites onéreuses d'une
« grave responsabilité, sans autre but que l'amour du bien?
« Ensuite l'accusateur cumulait une triple fonction : il dé-
« nonçait le crime, il était chargé d'instruire la procédure,
« enfin il soutenait l'accusation devant les juges : il était à la
« fois plaignant, juge d'instruction et ministère public. Cette
« réunion d'attributions, que toutes les lois ont séparées,
« avait de graves inconvénients... Un autre résultat du même
« système était de n'amener à la barre des tribunaux que des
« parties animées l'une contre l'autre, et qui se livraient à
« une lutte ardente... N'est-il pas évident qu'une telle orga-
« nisation judiciaire ne réunissait pas toutes les conditions
« d'une bonne justice! » (*Traité de l'instruction criminelle* par Faustin Hélie, livre 1, chap. 3, n. 108, selon l'édit. de Bruxelles 1845.)

Possunt autem vitia, quæ exclusivæ accusatoriæ formæ exprobrantur, ad duplex hoc caput reduci : 1° plurima relinquit impunita crimina ; 2° odia nutrit inter accusati et accusantis familias.

Primo. Quod sola patente accusationis via impunita remaneant delicta plurima, est veluti spontaneus et necessarius illius formæ judicialis effectus. Nam si per accusationem procedatur, cogendus est accusator ut onus probandi suscipiat, et pœnam calumniatoris, si falso et malitiose accusasse deprehendatur, subeat : alioquin pullulabunt calumniatores, nec in tuto erit bonorum vita et fama. Atque ita revera decretum a jure Romano, et ab ipsa Ecclesia servatum reperimus. Aliunde

autem, imposito accusatoribus tam gravi onere, pauci reperientur qui ex zelo boni publici illud sibi assumere velint. Hinc multa delicta, quæ facile in judicio probari possent, nullo accedente accusatore, impunita remanebunt. Quo certe consectario vitiosum quid in hoc reddendæ justitiæ systemate argui, negari non potest.

At vero vitium illud non forte adeo noxium est quam moderni quidam æstimarunt. Nam utrum omnia omnino facinora inquiri, probari et puniri expediat; an vero satius sit, quæ paucis nota sunt, in tenebris relinquere, si nullus accusator ea probaturus deferat, in quæstionem vocari aliquatenus posset. Quodlibet enim scelus publice discussum, commotio est, et scandali atque pravi exempli virus late diffundit; nec pestiferum ejusmodi effectum satis corrigit et compensat severa justitiæ vindicta. Præterea dum singulis societatis membris cura committitur ut delictorum coercitionem accusando persequantur; alioquin autem sibi imputare debeant damna ex impunitis malefactoribus oboritura; eis, hac ipsa institutione publica, boni communis zelus inditur; atque sic in generale quoddam ministerium publicum omnes deputantur. Tunc vero necessarii non sunt tot armati custodes et milites, quo onere fatiscentes hodiernos populos quandoque videmus. Quod adnotamus, non quidem ut dictum accusationis systema reducendum suadeamus, vel etiam intrinsecum ejus vitium omnino negemus; sed dumtaxat ut intelligatur iis in conditionibus versari potuisse nonnullos antiquitatis populos, quæ ejusmodi judiciariæ formæ inconvenientia multum temperarent, et multis utilitatibus compensarent. Atque id quoad antiquam accusatorie procedendi Ecclesiæ praxim præsertim attendendum infra videbimus.

Secundo. Alterum item inconveniens de odiis nempe quæ accusatoria forma inter privatos foventur, multo etiam minus reputabitur, si modo adnotata perpendantur.

Hinc, ut justa lance dictum antiquitatis systema ponderemus, dicendum videtur, esse quidem systema illud inquisitoria

forma minus perfectum ; immo et in seipso consideratum nonnullos defectus recondere : atvero absolute, et positis quibuslibet societatum circumstantiis, barbarum illud et injustum, nec non sapienti legislatore indignum, prudens nemo dixerit.

Propositio IV^a^. — *Accusatoria forma, prout in Ecclesia obtinuit, bona fuit ; imo prioribus sæculis magis decuit eam adhiberi.* — Etsi aliquatenus vitiosa quoad sæculare forum æstimanda foret accusatorii processus institutio, qualem nempe eam Romanorum jus determinatam exhibet, ejusdem tamen in antiquis Ecclesiæ judiciis usus nequaquam noxius aut vitiosus reputari deberet. Nam

1° Memorata illius formæ vitia, antiquitus in foro ecclesiastico, aut plane evanescebant, aut æquivalentibus utilitatibus compensabantur. Id imprimis adnotandum duximus de altero ex supra dictis defectibus, quod nempe accusatoriæ formæ institutio, exclusa inquisitoria, quamplurima delicta impunita relinquat. Delicta enim quæ ecclesiasticæ coercitioni subjacent, vel ita nota sunt ut scandalum moveant, vel in paucorum dumtaxat notitiam devenere : et iterum, vel ejus naturæ sunt ut periculum subversionis animarum secum trahant (quale est, verbi gratia, hæreseos facinus), vel delinquenti soli noxia sunt, cæteris inde periculum non incurrentibus : quale esset, verbi gratia, peccatum clerici, cujus externa agendi ratio in ædificationem vergeret, quamvis de aliquo delicto occulte ab ipso patrato aliqui certiores forent. Si delictum, utpote a paucis cognitum, scandalum non moveat, nec de iis sit e quibus animarum subversio sequi solet, expedit illud dissimulari, et judiciario processu non coerceri : inquirendo enim in ejusmodi delictum, judex scandalum, quod non existit, excitaret ; nec malum ex eo scandalo ortum publica vindicta integre compensaret. Hinc postquam etiam in ordinariam transiit inquisitoria forma, non licuit eam adhibere nisi in crimina de quorum *fama* plene prius constaret. Nec dicatur tunc negligi saltem ipsius delinquentis spiritualem salutem et emendationem. Non desunt enim Ecclesiæ alia (quibus caret sæcu-

laris potestas) media ad huncce obtinendum effectum : secretæ nempe hortationes et monitiones, perpetuus prædicationis influxus, ad excitandos conscientiæ stimulos et reducendos errantes aptissimus. Quæ si effectu careant, permissive se habet ecclesiastica potestas, ut malum majus devitet. Atque ea fuit semper Ecclesiæ mens et praxis, ut ejusmodi delicta, paucis nota et cæteris non periculosa, non tanquam *delicta*, sed tanquam *peccata* haberentur ; nec proinde ad forum externum traherentur. Id palam faciunt sequentes decretales, quas inter multa alia ejusmodi documenta seligimus : « Ex tenore tuarum « litterarum accepimus, quod N. clericus adeo deliquit, quod « si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab ordine « quem suscepit, et amplius non posset ad superiores ordines « promoveri. Verum quoniam peccatum ipsum fore occultum « dixisti, mandamus quatenus pœnitentiam ei condignam « imponas, et suadeas ut parte pœnitentiæ peracta, ordine sus- « cepto utatur, quo contentus existens, ad superiores amplius « non ascendat. Verumtamen quia peccatum occultum est, si « promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere. » (Alexander III, cap. 4, tit. 2, lib. 1 Decretalium.) « Quæsitum « est de sacerdotibus vel aliis clericis qui per reatum adulterii, « perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientiæ « rectæ perdiderunt... Respondemus quod si probata, vel « alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homici- « dii) post pœnitentiam in jam susceptis vel suscipiendis ordi- « nibus impediri : qui si non pœnituerint, monendi sunt, et « sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimo- « nium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non mi- « nistrent. » (Gregorius IX, cap. 17, *de Temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum.*)

« Si sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicujus « criminis, vel si confessus fuerit et emendare noluerit ; nisi « judiciario ordine quis probare possit, non debet eum arguere « nominatim, sed indeterminate. Sicut dixit Christus : *Unus ves- « trum me traditurus est.* Sed si ille cui damnum illatum est

« petierit justitiam, potest excommunicare auctorem damni, « licet etiam ei confessus sit ; sed tamen non nominatim potest « eum removere a communione, licet sciat eum esse reum : « quia non ut judex scit, sed ut Deus : sed debet eum ad- « monere ne se ingerat. Quia nec Christus Judam a com- « munione removit » (cap. 2, tituli 31, libri 1 Decret.). Ergo quod delicta paucis nota, et in aliorum perniciem non vergentia, accusatoribus aliquando careant, qui eorum judiciariam coercitionem persequantur, et sic vindictæ publicæ nonnunquam subtrahantur, defectus et vitium in Ecclesiæ disciplina non est.

Si vero delicta comitetur diffamatio et scandalum, vel subvertendarum animarum periculum, tunc quidem expedit ut a potestate ecclesiastica judicialiter coerceantur ; et in damnum ingens vergeret, si unica patente accusationis via, nullus in hoc casu accusator esse vellet. At vero in antiquis Ecclesiæ sæculis pertimescendum non erat ejusmodi ex deficientibus accusatoribus damnum. Pro eo enim quo fideles afficiebantur tutandæ integritatis fidei, et arcendorum scandalorum zelo, ab assumendo, ubi opus erat, accusationis onere non refugiebant ; cum præsertim is qui probationes subministrare poterat, sese ad id ex conscientia teneri intelligeret. Adde ecclesiasticis judicibus semper licuisse, inquisitoria forma *in notoriis* procedere : notorium autem a notabili diffamatione et scandalo sæpe non differre. Item in causis fidei probabiliter adhibita semper fuit inquisitoria forma, ut supra adnotavimus ; ac proinde, ubi de hæresi vel schismate ageretur, absque accusatore procedi poterat.

In iis ergo conditionibus antiqua Ecclesia versabatur, ut delicta, quæ judicialiter coerceri expediebat, nequaquam impunita remanerent, ex eo quod sola regulariter obtineret accusatoria forma.

Item quoad odia, quæ accusantem inter et accusatum, eorumque familias, enasci solent, multum a sæculari discrepabat ecclesiasticum forum. Qui enim apud Episcopum accu-

sabatur, vel omnino a fide catholica defecerat, vel non : si prius, de ipsius odio curandum non erat : si posterius, apprime intelligebat accusatores ex conscientiæ debito sibi tantum onus assumpsisse ; atque idem de accusati amicis et cognatis dicendum. Perpetuo præterea accusantis et accusati aùribus insonabat præceptum evangelicum, quo odia, inter ipsos etiam litigantes, districte prohibentur. Qua lege evangelica cum omnes fideles a teneris informarentur, hoc remedio non parum ab odii lue, in ipsis etiam litibus, præmuniebantur. Ut adeo, etsi apud infideles summum enasceretur ex accusatoria forma odiorum inconveniens, noxio illo effectu ecclesiastica judicia fere immunia forent ; ita ut, si quid illius mali nonnunquam occurreret, et superesset in ipsa fidei catholicæ interna vi remedium, et utilitatibus ex dicta accusationis forma orientibus compensaretur.

Ergo accusatoriæ formæ disciplina, prout antiquitus in Ecclesia obtinuit, non injusta et barbara, sed bona et utilis fuisse censenda est.

2° Immo et magis decuit ipsam, potius quam inquisitoriam adhiberi. Ea enim forma, non tantum apud Romanos, sed et apud cæteros omnes antiquitatis populos invaluerat. Quod documentis probarunt auctores plurimi, inter quos nuper Faustin Hélie, in suo libro cui titulus, *Traité de l'instruction criminelle*. Evangelica ergo prædicatio cunctas gentes repererat ea forma imbibitas. Quas proinde ad fidem postea conversas, nonnisi difficile ad novam inquisitorii processus institutionem traxisset. Putassent enim multi perfectam deseri justitiæ reddendæ normam : a quo præjudicio etsi fidelium mens eximi potuisset, infideles tamen ex adverso positi novitatem crimini vertissent. Cum ergo exclusiva illa accusatorii processus forma, in se mala non esset, vel saltem ab intrinsecis defectibus facile posset in foro ecclesiastico expurgari, pro eo Spiritus Sancti ductu, quo semper in sua generali disciplina Ecclesia dirigitur, prudenter maluit communem hanc omnium hujus temporis populorum institutionem retineri, potius quam novam, etsi in

se perfectiorem, inducere. Præparatis vero paulatim per multa sæcula ad immutationem animis, ad perfectiorem gressus tandem factus est.

Propositio V^a^. — *Inquisitorii processus forma perfectior est : unde ipsius in ecclesiasticam disciplinam introductio immerito carpitur.* — Ut pateat hujus thesis veritas, expendemus primo in quo præstet, tum in quo peccare fingi possit processus inquisitorii systema.

1. In quo inquisitorium systema præstet accusatorio.

Primo. Privatos liberat ab onere gravissimo standi in judicio, delictumque probandi, et sese exponendi calumniatorum pœnæ, si forte in probando deficiant, et pars adversa falsam et malitiosam accusationem persuadeat. Inducta siquidem inquisitoria forma, satis est judici declarari delictum et media quibus de eo constare possit : quo facto, judex per se ex officio veritatem inquirit, et sic malefactorum coercitio obtinetur, quin accusatore proprie dicto opus sit. Porro systema quo privati a gravissimo liberantur onere, quin justitia minus exacte reddatur, hac ex parte perfectius in se est et anteponendum.

Secundo. Inquisitorio systemate attinguntur multa delicta, quæ accusatorium impunita relinqueret. Si enim sola pateat accusationis via, sæpe continget ut ii homines qui delictum noverunt et validas de eo probationes exhibere possent, silere malint, potius quam judicialis accusationis onus subire : sicque impunitum delictum remanebit. Contra, si pateat inquisitionis via, iidem homines judicem libenter adibunt, totamque rem manifestabunt : immo judex ipse absque ullo delatore, ex solis indiciis et publica fama, inquiret, veritateque comperta et probata, in delinquentem animadvertet. Porro et ex hac parte patet multum altero præstare inquisitorium processum.

Tertio. Inquisitoria forma tollitur odiorum fomes, quæ accusantem inter et accusatum eorumque familias oriri solent. Tunc enim singuli Rei, non cum singulis accusatoribus causam habent, sed omnes cum ipsa potestate publica, ad coercendos malefactores deputata.

Quarto. Nec dicatur præfatos accusatoriæ formæ defectus, sufficientem in antiqua Ecclesiæ disciplina reperiri temperatos et elisos, prout nos ipsi in superiori thesi ostendimus: nam hic intrinsecam utriusque systematis bonitatem conferimus: negari autem nequit dictos defectus ex accusatoria forma, si sola perpendatur naturæ humanæ proclivitas, sponte fluere; esseque proinde ipsi intrinsecos. Quod vero Ecclesiæ media non defuerint eos defectus elidendi, id in laudem Ecclesiæ est, non autem systematis in seipso considerati.

Jam ad defectus qui inquisitorio processui vicissim objici possent gradum faciamus.

2. In quo peccare fingi possit inquisitorium systema.

Prima objectio: Semel inducta inquisitionis forma, potest judex ex minima suspicione, ex minimo rumore, ex minima cujuscumque personæ delatione sive denuntiatione, in aliquem inquirere: semel autem incepta inquisitione, vulnus inquisiti famæ infligitur, quod plena etiam absolutionis sententia nequaquam integre sanat, remanente in virum nunquam plene delenda suspicione, vel ex eo solo quod inquirendus fuerit. Interea innocenti multiplex inflicta tortura: torquetur nempe ipsius processus ambagibus: torquetur pavore de causæ exitu, ne forte ipsius inimici artibus et fraude prævaleant: torquetur detentione; et detentionis appendicibus, carceris squalore et solitudine. Has et alias istiusmodi declamationes, qui volet emphatico mendaciorum robore descriptas perlegere, adeat Filangieri (*Scienza della legislazione*, tom. 3, pag. 37, edit. Neap. 1791); qui auctor, meo quidem judicio, non minus eminet damnati a Sacra Congregatione Indicis operis sui inanitate, quam impietatis et jamdudum antiquati Volterianismi fœtore putidissimo. — Respondetur: Hæc omnia, si de inquisitorio prout in Ecclesia viget processu agatur, falsa esse. Nam judici ecclesiastico non licet in quemquam inquirere ex suspicione aut levi rumore, vel etiam denuntiatione; sed omnino necesse est inquisitum infamatum fuisse, idest, sparsam in publicum fuisse de patrato a tali persona delicto famam. Id

jam expresse sanxerat Innocentius III : « Sicut accusationem, « inquit, legitima debet præcedere inscriptio, sic et denun- « tiationem charitativa monitio, et inquisitionem *clamosa insi-* « *nuatio* prævenire. » (C. *Qualiter et quando* 24, tit. 1, libri 5 Decret.). Et iterum : « Si per clamorem et famam excessus « ejus ad aures superioris pervenit (nisi quidem quod a male- « volis et maledicis, sed a providis et honestis) ; nec semel « tantum, sed sæpe, quod *clamor* innuit et diffamatio manife- « stat ; debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem diligentius « perscrutari ; ut, si rei poposcerit qualitas, canonica distri- « ctio culpam feriat delinquentis : non tanquam sit idem actor « et judex, sed quasi deferente fama et clamore nuntiante, « officii sui debitum exequatur » (capite 17 ejusdem tituli). Hinc debet ante omnia de prædicta sparsa fama constare ; et antequam id constet per viros *honestos* et *providos*, non potest judex in quemquam inquirere, illumve citare, aut interrogare, ullave molestia afficere. Atque ita tenent canonistæ communiter. Quod si in crimine hæreseos et apud *hæreticæ pravitatis inquisitorium tribunal*, ex levioribus indiciis inquirere liceat, id fit *per exceptionem*, huic particulari tribunali propriam. Quæ exceptio ex ipsa dicti delicti natura inducta est ; spargens enim hæresim nisi statim cohibeatur, serius, experientia teste, remedium adhiberetur. Unde sicut in crimine læsæ-majestatis sæculares sanctiones, ita et in crimine hæreseos, utpote quo tota res catholica in discrimen adducitur, sanctiones canonicæ, statuerunt non expectandam publicam famam, sed ex datis primis indiciis veritatem inquiri debere. Seclusa autem exceptione hac, inquisitorius processus reum non infamat, sed e contra infamatum necessario præsupponit ; ita ut etiam, si innocens sit, ipsius innocentiæ intersit, ut veritas judicialiter pandatur, et sic integritati famæ, quæ ante processum læsa fuerat, per processum plene restituatur. Unde inquisitoria forma non minus tendit et valet ad protegendam innocentium famam, quam ad coercenda pravorum facinora. Hæc nos ad vindicandum a præfatis mendaciis inquisitorium, prout eccle-

siastico jure sancitur, processum. Sed et si agatur de inquisitoria forma, qualem passim induxerunt sæculares modernorum populorum leges, injustæ pariter ostendi facile possunt præfati Filangierii et similium declamationes; quod tamen juris sæcularis peritis disserendum relinquimus.

Secunda objectio: Si judex reo favere velit, negligenter inquiret. Dum autem instat accusator, certior est justitiæ exitus. — Respondetur, in jure canonico, sublatam non esse accusationis viam: unde si quis zelo justitiæ ductus, et metuens ne segniter via inquisitionis agatur, velit accusationis onus sustinere, tenebitur judex hac via procedere. In sæcularibus autem legibus a quibus omnino exulat proprie dictæ accusationis via, fuit variis modis huic inconvenienti provisum.

Cæteris quæ menti occurrere possent objectionibus facilior responsio est, quam ut iis immoremur. Unde ad conclusionem deveniendo, dici omnino debet multipliciter accusatorio præstare et perfectiorem esse inquisitorium processum, modo canonice peragatur. Ut adeo pertracta jamdudum ab ecclesiastico ad sæculare forum, apud modernos omnes populos, inquisitoriæ formæ institutio, in ingentissimum eis beneficium accesserit. Cujus cum ipsis auctor, fatentibus omnibus, Ecclesia catholica extiterit, et vel hinc æquum foret, ut communem illam matrem, tot de causis alias debito pietatis obsequio prosequerentur.

SUBSECTIO II.

TELA PROCESSUS CRIMINALIS ORDINARII AB INCHOATIONE CAUSÆ USQUE AD CONTESTATAM LITEM EXCLUSIVE.

Disseruimus in superiori subsectione de variis criminaliter procedendi formis. Quæ quidem notio præcipua erat, et ne-

cessario præmittenda. Non tamen sufficit ut judex ecclesiasticus recte expediendi processus criminalis normam plene calleat. In causæ siquidem criminalis evolutione, occurrunt quamplurima, quæ suam quæque regulam ex jure habent; ita quod, nisi legitimus in iis servetur modus, facile subrepent nullitatis vitia. Hinc in præsenti et sequentibus subsectionibus tota lustranda venit processus series, seu (ut dicunt pragmatici) judiciaria *tela*, et de singulis quæ in ea ordienda et persequenda enascuntur, exponenda canonica procedendi ratio.

CAPUT I.

QUANAM OPERATIONE INCHOANDUS SIT CRIMINALIS PROCESSUS.

Cum, ut dictum est, multiplex sit criminaliter procedendi ordinaria via, prout hac vel illa procedetur, erit hoc vel illo actu incipiendum : nempe,

I. Si procedatur *accusationis via*, ante omnia debet accusator libellum accusationis judici porrigere : et hic est primus, ut ita dicam, passus in processu criminali accusatorio. Porrigi autem potest judici accusatorius libellus, non tantum quando is pro tribunali sedet, verum etiam privatim; modo tamen ipsi exhibeantur tanquam judici et ad publicam delicti vindictam. Nullibi enim a jure communi cavetur, ut non possit nisi pro tribunali sedenti porrigi.

Igitur, audito accusatore et inspecto ipsius libello, debet judex duo expendere : primo, utrum accusator sit legitimus; secundo, an libellus sit in forma legitima conscriptus. Qua utraque stante legitimitate, omnino tenetur judex ecclesiasticus, utpote ad reddendam justitiam publice constitutus, accusationem recipere, et ad ulteriora procedere. Id facere si recuset, poterit contra ipsum, utpote prævaricatorem et denegatæ justitiæ reum, coram ipsius superiore actio intentari,

tum ab ipso accusatore, tum etiam a promotore fiscali superioris curiæ ecclesiasticæ.

Si vero judex reperiat accusatorem esse de numero eorum quos lex ecclesiastica ab accusando repellit, vel libellum non esse quoad substantialia debite conscriptum, accusationem debet rejicere. Jam autem supra diximus, dum proceditur accusationis via, debere accusatorem onus probandi sibi assumere, et in pœnam calumniatorum, si forte de calumnia convincatur, subscribere. Cætera quæ ad rectam libelli scriptionem pertinent habes sub sequenti capite.

II. Si procedatur *denuntiationis via*, exordium pariter habet causa ex oblatione libelli. Denuntiator nempe (sive privatus ille sit, sive publicus et ex officio agens, idest, promotor fiscalis) denuntiatorium libellum, vel propria manu scriptum, vel ipso dictante per manus notarii seu cancellarii, subscriptum tamen ab ipso, judici exhibet.

Et debet denuntiator (utpote qui onus probandi non assumit) media judici indicare, quibus is veritatem denuntiati delicti detegere queat; ac proinde libello idoneorum testium vel documentorum, e quibus probatio erui queat, indiculum annectere; qui indiculus *directorium probationis* vocari solet. Accusator autem non tenetur ejusmodi *probationis directorium* libello suo apponere. Ex eo quod enim probandi onus sibi assumat, penes ipsum remanet, post litem contestatam, et non antea, testes producere et delictum probare. Si vero in probando deficiat et calumniæ convincatur, pœnam calumniatorum subibit. Dum e contra denuntiator, indicatis judici probationum mediis, totum officium suum quodammodo explevit.

Judex ergo, inspecto denuntiationis libello, expendere debet, non tantum an denuntiator sit legitimus, et libellus in forma legitima quoad substantiam conscriptus, sed insuper an porrecta probationum media gravia sint, vel frivola. Si enim deficiat denuntiatoris, aut formæ in libello adhibitæ, legitimitas, vel si levia sint criminis indicia, denuntiationem rejicere debet. Sin vero secus, redit quæstio supra discussa (sectione 3,

subsectione 1, cap. 3, § 2, n. 2), utrum ad procedendum contra reum sufficiat denuntiatio, an vero requiratur simul prævia de crimine fama.

III. Si procedatur per *meram inquisitionis viam*, id est, absque ullo accusatore aut denuntiatore, tunc omnino necesse est præcessisse publicam de crimine famam. Debebit ergo judex ante omnia processum instituere de ipsa fama publica; in hunc scilicet finem, ut ipsi judicialiter constet, utrum revera existat fama hæc necne. Prima proinde operatio erit testes, de hoc ipso interrogandos, citare et examinare. Cum autem de facto ipso famæ publicæ constiterit, tunc tantum decretum emittet de ulterius contra diffamatum procedendo. Unde in hac procedendi via, non incipitur per ullam libelli porrectionem.

IV. Quando per *viam exceptionis* proceditur (verbi gratia, quando quis crimen objicit contra promovendum ad aliquam dignitatem, ut promotio impediatur; vel contra testem, ut a testificando removeatur), tunc debet ipse excipiens libellum accusatorium de hoc crimine judici exhibere. Cum scilicet hæc procedendi via in accusatoriam reincidat, eodem modo processus introducitur.

Ex dictis, patet libelli porrectionem esse primam operationem quando proceditur sive per viam accusationis, sive per viam denuntiationis, sive per viam exceptionis; non vero si procederetur per inquisitionem *ex mero judicis officio*. Sed in praxi hoc ultimo modo fere nunquam proceditur, quia deficiente denuntiatore privato, promotor fiscalis supplere solet, et tunc ipse, fisci nomine, libellum denuntiatorium componit et judici exhibet. Ita ut, praxim respiciendo, generaliter dici possit per libelli accusatorii vel denuntiatorii oblationem introduci criminalem quemlibet processum.

Hinc operæ pretium, quid jus canonicum de ejusmodi libellis statuerit, apprime dignoscere.

CAPUT II.

DE LIBELLO.

Dicemus 1° quid sit libellus et quotuplex ; 2° an necessario adhibendus sit ; 3° qualis esse debeat ; 4° an et quatenus, postquam judici fuit porrectus, mutari vel corrigi valeat.

§ I.

Quid sit libellus et quotuplex.

« Libellus judicialis, de quo hic agitur, est scriptura brevis « (rejectis nempe superfluis), clara, sine æquivocatione vel ge- « neralitate, continens rem quæ in judicio petitur, et causam pe- « tendi, ac nomen actoris, quod in calce libelli scribendum est ; « nomen judicis quod exterius libello inscribitur, et nomen Rei « qui convenitur. » (Baumgartner, ad titulum 3, libri 2 Decret., conclusione 1.) Brevius solet ea libelli descriptio his versibus exprimi :

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, et a quo,
Recte compositus quisque libellus habet.

« Duplex illius divisio : 1° in *simplicem* seu *summarium*, et « in *articulatum* seu *positionarium*. Ille est qui summatim, et « continua quadam orationis serie, actoris intentionem pertexit. « Iste in quo merita causæ per articulos proponuntur. 2° In *ci-* « *vilem* et *criminalem*. Civilis, qui etiam *conventionalis* dicitur, « est qui pro objecto habet causam civilem : criminalis qui « etiam *querimonialis* appellatur, qui pro objecto habet causam « criminalem. » (Schmalzgrueber, in titulum 3, libri 2 Decretalium, § 1, n. 1.)

§ II.

An necessario adhibendus sit libellus.

Propositio I^a^. — *In judicio ordinario, tam criminali quam civili, ad processus valorem libellus omnino requiritur.* — Id tanquam certum unanimiter tradunt canonistæ. « Ad valorem « processus (ait Baumgartner, in tit. 3, libri 2 Decret., con- « clus. 2) per se et regulariter requiritur libellus; et quidem « ita ut non possit remitti ex consensu partium et judicis; « quia requiritur de jure communi absolute, et quidem prin- « cipaliter ad bonum commune, ut servetur certus ordo in ju- « diciis. » Consonat Schmalzgrueber, expresse distinguendo inter judicium *ordinarium* seu plenarium, et judicium *summarium:* « Respondeo, inquit, offerri debere libellum cum judi- « cium est plenarium et ordinarium : et ibi oblatio libelli est « de substantia; ita quidem ut absque ea judicium non sub- « sistat, neque etiam a partibus remitti possit. Ratio est, quia « solemnitates actuum, quæ ob publicam utilitatem introductæ « sunt, partium conventione tolli aut remitti non possunt, ut « docent doctores. » (In tit. 3, libri 2 Decret., § 1, n. 11.)

Ad hanc autem necessitatem probandam adducunt canonistæ, caput 1, tituli 3, libri 2 Decretalium, in quo sic habetur: *Ex concilio apud Sanctum Medardum habito* (*anno* 854): *Ignarus* (1) *Episcopus dixit: Habetis libellum reclamationis, vel postulationis? Illi responderunt se præ manibus nullum habere libellum. Ignarus Episcopus dixit: Oportet vos secundum ecclesiasticam auctoritatem reclamationem vestram libelli serie declarare, eamque vestris manibus roboratam Synodo porrigere, ut tunc vobis canonice valeat responderi. Et tunc ipsi fratres libellum conscribentes porrexerunt.* Habet autem

(1) Legendum Hincmarus, ut videre est in actis hujus Concilii apud Mansi tom. 14, col. 983; et non tantum asseruit Hincmarus libelli necessitatem, sed etiam sat fuse probavit, prout in iisdem actis continetur. Agebatur autem de causa criminali.

citatum caput sibi præfixam hanc rubricam : *Actor tenetur in scriptis libellum porrigere... Judex non debet admittere actorem ad litigandum, nisi prius libellum in scriptis offerat.*

Probari etiam posset libelli necessitas ex jure Justinianeo ; nam quoad hoc in foro ecclesiastico vigere censendum est.

Propositio IIª. — *In judicio extraordinario necessarius non est libellus.* — Quando judex procedit ex notorio, vel summarie, vel ex informata conscientia, dicitur *extraordinarie*, idest, absque ordinaria judiciorum forma procedere. Porro in his casibus non requiritur libelli oblatio. « In summario ju- « dicio (ait Schmalzgrueber, citato loco), et brevioribus ac « levioribus causis, etiam de jure communi non est necesse « libellum scripto tradi ; sed sufficit actoris petitionem coram « judice nudis verbis proponi, eamque actis continuo inseri, « ut re postea exigente, ejus copia haberi possit. » Invicte autem id probatur ex Clementina *Sæpe* (2, *de Verborum significatione*). Ibi enim Clemens V ad tollendas dubitationes, definit quomodo intelligendæ sint locutiones illæ, procedere *simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii ;* atque inter alia hujus extraordinariæ formæ proprium asserit, *ut judex necessario libellum non exigat.* Et paulo post addit : *Verum quia petitionis formam pronuntiatio sequi debet, pro parte Agentis* (*et Rei si quid petere velit*), *est in ipso litis exordio petitio facienda, sive scriptis, sive verbo.*

Consonat Justinianeum jus, quoad hoc in foro ecclesiastico receptum (authentica *Nisi breves*, c. *de Sent. ex brevicul. recit.*).

§ III.

Qualis esse debeat libellus.

Quæ soleant in libello exprimi concinne exhibet supra relatus versus : *Quis, quid, coram quo, quo jure petatur et a quo :*

nempe quis petat, quid petatur, coram quo judice, ex quo titulo juris, et a qua persona.

« Libellus (ait Schmalzgrueber, in tit. 3, l. 2 Decr., § 1, n. 1) « communiter tribus partibus construitur : narratione facti, « medio concludendi, et ipsa conclusione. »

Quæstio 1ª. — *Qualis esse debeat libellus quoad narrationem facti?* — « Respondeo ita construendum, ut 1° exprimatur in « eo nomen judicis coram quo agenda est causa, ut sciatur an « sit competens vel non. Non tamen necesse est ut judicis no- « men proprium ponatur, sed sufficit et solet judex compel- « lari ab officio et jurisdictione. 2° Inserendum libello est no- « men proprium actoris, ut judex sciat quis agat, et reus a quo « conveniatur. 3° Designandum est nomen Rei, ut intelligat se, « non alium, actione impeti. 4° Subnectenda ipsa narratio, ubi « recensebitur factum cum necessariis circumstantiis. Et in « civili quidem libello exhibendum, quid, quale, et quantum « debeatur. 5° In criminali libello, præter dicta apponi debet « delicti locus, annus, mensis; adeo ut his omissis libellus « ipso jure sit nullus, etiam parte non opponente (ex lege « *Libellorum* 3, ff. *de Accusationibus*, et doctores communiter). « Dies commissi criminis tutius omittitur ob difficultatem pro- « bandi : excipe nisi accusatus petat sibi diem et horam no- « minari; tunc enim verius est accusatorem ad hoc cogi « posse... : Maranta tamen et alii negativam sustinent, dixi « in *criminali libello ;* nam in civili ordinarie non requiritur « designatio temporis et loci : excipe libellum injuriarum... ; « quia hujusmodi famosæ actiones criminalibus comparantur. » (Schmalzgrueber, loco citato.)

Quæstio 2ª. — *An necesse sit exprimi in libello nomen actionis, qua actor agere intendit?* — Antequam ad quæsitum respondeamus, præmittendum est quid *actionum* vocabulo apud jurisperitos intelligendum veniat. « Actio in genere (ait Schmier, « libro 1, tractatu 2, capite 5, sectione 4, § 5) est jus perse- « quendi in judicio quod sibi debetur. Dividitur in civilem et « prætoriam. *Civilis* est, quæ juri civili in specie (puta legibus,

« senatusconsultis, Prudentium responsis, constitutionibus Prin-
« cipum) suam nativitatem adscribit. *Prætoria* est, quæ præter
« intentionem juris civilis, ex benignitate prætoris, in orbem
« litterarium est invecta.

« Utraque subdividitur in realem et personalem. *Realis* dicitur,
« quæ oritur ex jure in re, quo nempe res ipsa nobis imme-
« diate subordinatur in ordine ad aliquam dispositionem circa
« illam exercendam. Subsecatur in universalem et particu-
« larem. *Universalis* est quæ oritur ex jure quodam universali,
« complectente nimirum jura activa et passiva; et hæc est, vel
« *petitio hæreditatis* directa, aut fidei commissionaria; vel *que-*
« *rela inofficiosi testamenti. Particularis*, vel descendit ex jure
« rerum incorporalium vel corporalium. Prior continet actio-
« nem *hypothecariam*, qua rem pignori nexam persequimur :
« actionem *confessariam*, qua servitutem rei nostræ asserimus :
« actionem *negatoriam*, qua negamus alteri servitutem in re
« nostra competere. Posterior oritur vel ex dominio pleno, vel
« minus pleno : ex hoc (nempe *minus pleno*) provenit actio
« *emphyteuticaria*, vel utilis rei vindicatio, qua rem, cujus utile
« dominium habemus, a quocumque possessore repetimus. Illud
« (*dominium plenum*) quandoque est *fictum* tantum, quandoque
« verum est. Si fictum tantum, triplicem producit actionem :
« *publicianam* nempe, qua res, bona fide et justo titulo accepta,
« repetitur ab eo qui jure infirmiore eamdem possidet : *rescisso-*
« *riam*, qua is, cujus res ab altero vere usu capta est, justis de
« causis intendit adversarium non usucepisse, cum tamen usu-
« ceperit : *Paulianam*, qua creditores, in quorum fraudem de-
« bitor res suas alienavit, adversus possessores experiuntur.
« Si dominium sit *verum*, operatur *rei vindicationem*, qua rem
« nostram corporalem ab ejus possessore repetimus.

« Actio *personalis* dispertitur trifariam ; puta, in actionem
« rei persecutoriam, pœnalem et mixtam. Actio *rei persecutoria*
« dicitur, qua persequimur id quod ex patrimonio nobis abest.
« *Actio pœnalis* nuncupatur, qua pœnam a lege constitutam per-
« sequimur. Actio *mixta* vocatur, qua partim id quod nobis

« abest, partim pœnam persequimur ; unde hæc actio nomen-
« claturam ex objecto nanciscitur : dantur quippe et aliæ actio-
« nes mixtæ ex *subjecto*, nempe, *finium regundorum, communi*
« *dividundo, familiæ herciscundæ.* »

Certum est olim apud Romanos debuisse actorem, expresso actionis nomine, declarare qua actione vellet in judicio agere; an, verbi gratia, Simpliciana, vel Pauliana, etc. Id vero quomodo apud dictum populum fuerit introductum, sat erudite reperies expositum apud Gonzalez (in cap. 6, tituli 1, libri 2 Decret., n. 4 et seq.).

Sensus ergo propositæ quæstionis nunc solvendæ, est : utrum in jure canonico debeat juxta memoratas nomenclaturas in libello exprimi nomen actionis?

Respondeo 1° « juxta aliquos edi nomen actionis in libello de-
« bet.» (Schmalzgrueber, in titulum 3, libri 2 Decret., § 1, n. 6.) Quosnam textus juris allegare soleant hujus opinionis patroni, ibidem addit citatus auctor.

Respondeo 2°. « Melius negatur opus esse in libello nomen ac-
« tionis exprimi. Ita receptissima apud doctores et in praxi sen-
« tentia. Clarus est textus juris canonici (caput *Dilecti* 6, *de Ju-*
« *diciis*), ubi Alexander III : *Provideatis attentius, ne ita subti-*
« *liter, sicut a multis fieri solet, cujusmodi actio intentetur*
« *inquiratis; sed simpliciter et pure factum ipsum et rei verita-*
« *tem, secundum formam canonum, et sanctorum patrum in-*
« *stituta, investigare curetis.* » Ita citato loco Schmalzgrueber, qui postea textus in contrarium allegatos confutat.

Et revera omnino concludendum est, non requiri apud curias ecclesiasticas, neque in libello civili, neque præsertim in criminali, ullam actionis denominationem ; quia dispositionem illam Justinianei juris, saltem a multo tempore non esse in foro ecclesiastico receptam, aperte demonstrat, tum citata decretalis Alexandri III, tum præcipue universalis ecclesiarum praxis.

Et merito quidem ejusmodi subtilis et difficilis denominationis necessitas a simplicitate judiciorum ecclesiasticorum rejecta est.

Multi enim, qui apud ecclesiasticum judicem, vel jus suum, vel publicam delictorum vindictam persequuntur, non possent, ob ignoratam hancce romanæ jurisprudentiæ partem, ejusmodi formalitati satisfacere. Unde reddendæ justitiæ nedum juvamini, obstaculo potius esset dicta necessitas, atque ad intricandas dumtaxat lites in foro ecclesiastico valeret.

Quæstio 3ª. — *An necesse sit conclusionem libello apponere?* — Concludere in libello, nihil aliud est quam judici determinate exprimere, quid petatur ab eo contra reum pronuntiari. Unde libellus civilis concludit petendo a judice, verbi gratia, ut reus condemnetur ad solvendam talem summam : criminalis vero petendo ut reus ad talem pœnam condemnetur. Quo prænotato, ad quæstionem

Respondeo 1°. In libello criminali necesse non est conclusionem apponere; quia lex ipsa concludit quid pœnæ cuilibet delictorum speciei sit infligendum; atque officium judicis est hoc scire; nec decet id ipsi ab accusatore vel denuntiatore suggeri. Aliunde inutiliter in libello peteretur pœna major vel minor ea, quam de jure meretur delictum; quia ad talem petitionem judex non debet attendere, sed delictum pro merito et juxta legis præscripta coercere. Satis ergo est ut in libello criminali clare exponatur species delicti, absque ulla pœnæ infligendæ indicatione aut determinatione. Et ita doctores communiter. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decret., § 1, n. 4.)

Respondeo 2°. In libello civili, omnino necessaria est conclusio. Nam penes actorem est exigere dumtaxat partem ejus quod sibi debetur, et reliquum debitori remittere. Hinc si cui, verbi gratia, debeantur centum nummi, et ipsi placeat exigere dumtaxat quinquaginta, judex condemnando reum ad centum nummorum solutionem, injuste pronuntiaret : læderet nempe jus seu facultatem quam habet actor dimidiam debiti partem, si velit, remittendi. Non potest ergo judex in favorem actoris plus decernere quam ipse petit. Ergo debet juxta petitionem actoris (si tamen justa reperiatur) pronuntiare : atque

hinc orta celebris jurisperitorum, in materia civili, regula, *debere sententiam libello esse conformem.* Ergo necesse est ut actor in libello determinet quid petat, seu exigere a reo intendat. Ergo in libello civili conclusio necessaria est.

Nota. « Conclusioni in libello civili plerumque adjici solet « clausula, ut vocant, *salutaris ;* quæ his vel similibus verbis « concipitur : *Super his omnibus peto mihi jus et justitiam ad- « ministrari omni meliori modo et forma, qua de jure, statuto « vel consuetudine fieri potest.* Hujus is est effectus, quod per « illam actor censeatur omne jus suum in judicium deduxisse, « etsi de omnibus et singulis non fecerit mentionem expressam. « Unde si actor simpliciter petierit sibi rem restitui, nihil di- « cendo de fructibus et expensis, clausulam vero hujusmodi « salutarem addiderit, tenebitur judex reum conventum etiam « ad horum restitutionem condemnare ; quod, secundum mul- « tos, obligatus non fuisset facere, si clausula salutaris adjecta « non fuisset. » (Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decret., § 1, n. 4.)

Quæstio 4ª. — *An in libello exprimi necessario debeat medium seu causa concludendi ?* — Medium seu causa concludendi est id in quo sese fundat actor, ad concludendum, talem esse a judice contra reum ferendam sententiam. Quo prænotato,

Respondeo 1°. In libello criminali necesse non est medium conclusionis exprimere : nam necesse non est concludendi medium apponere, ubi necesse non est quidquam concludere : atqui, ex dictis in superiori quæstione, necesse non est libello criminali ullam annectere conclusionem ; ergo nec necesse in eo causam conclusionis indicare.

Respondeo 2° In libello civili, necesse est exprimi concludendi medium. Nam si actor asserat tantum, verbi gratia, talem summam a reo sibi deberi, et non exprimat ob quam causam seu ex quo titulo id prætendat, non poterit reus conventus scire utrum sibi expediat cedere et statim solvere, an vero litigare. Porro justitia et bonum publicum exigit, ut hoc scire

possit quicumque in materia civili in jus vocatur. Ergo actor in libello exprimere debet in libello, non tantum quid petat, sed insuper ob quam causam id petat. Unde libellus civilis in quo non exprimeretur causa concludendi, a judice rejiciendus esset.

Causa vero concludendi duplex distingui solet : remota et proxima. « In *actione personali*, causa petendi *proxima* est obli- « gatio (rei erga actorem) : *remota* contractus vel quasi-con- « tractus, delictum vel quasi-delictum, ex quo obligatio illa nata « est. In *actione reali*, causa petendi proxima est dominium vel « quasi-dominium, aut aliud jus in re : *remota* vero est ille « titulus vel modus, per quem dominium vel simile jus in re « translatum est (ad actorem). » (Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decret., § 1, n. 3.)

Quæstio 5ª. — *Quænam sint præcipua vitia in libello devitanda?* — Quinque assignari solent, nempe : contradictio, obscuritas, incertitudo, generalitas, et alternativa locutio. An et quibus in casibus vitia hæc libelli nullitatem inducant, vide discussum apud Schmalzgrueber (citato loco, n. 6 et seq.).

§ IV.

An libellus semel porrectus et a judice receptus mutari vel emendari possit.

« *Mutari* libellus dicitur cum aliquid in eo mutatur quod « pertinet ad ejus substantiam ; ut, si actor in libello actionis « realis dixit, se dominum esse rei petitæ, postea vero videns se « difficulter dominium probare posse, mutans libellum dicat, « sibi *dominium vel quasi* competere ; ubi mutatur actio et causa « petendi.

« *Emendari* vero dicitur, quando vitium aliquod vel obscuri- « tas tollitur, vel aliquid additur aut detrahitur, salva manente « ipsius libelli substantia ; ita ut nec res petita, nec causa petendi « mutetur : his notatis,

I. « Satis convenit inter doctores libellum oblatum judici « *emendari* posse usque ad sententiam, refusis tamen expensis, « reo per ineptum libellum causatis...

II. « De *mutatione* libelli satis convenit inter doctores eam « ante contestationem litis actori permissam esse ; ita tamen ut « eo casu reo concedantur novæ induciæ ad deliberandum et « instruendum se pro lite futura ; et si ob talem variationem ma- « jores facere expensas debuit, ei hæc compensentur...

III. « An etiam post contestatam jam litem mutare libellum « liceat, controversum est inter doctores... » (Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decret., § 1, n. 13.)

Nota. Advertet lector nos in præsenti capite tractasse simul de libello criminali et civili ; ne scilicet infra, dum agetur de norma processus civilis ecclesiastici, multa inutiliter repetere cogeremur.

CAPUT III.

DE VISITATIONE CORPORIS DELICTI.

Criminalis processus telam persequendo, post delatum ad judicem delictum (sive per libellum accusatorium, sive per libellum denuntiatorium, sive per famam publicam), ante cætera omnia, occurrit facienda *corporis delicti visitatio*. Hoc autem nomine vocatur juridicum examen de materialibus vestigiis, quæ ex patrato delicto remanserunt, et ex quibus constare potest delictum revera ab aliquo fuisse patratum. In qua explananda materia solent doctores distinctionem præmittere delictorum *facti permanentis*, id est, quæ vestigia post se relinquunt, et delictorum *facti transeuntis*, quæ vestigia ejusmodi secum non trahunt. Homicidium, verbi gratia, et incendium domus, sunt delicta facti permanentis, quia remanet cadaver, et ustarum ædium ruinæ. E contra injuriæ, et sermo hæreticalis, sunt facti transeuntis ; quia ex verbis semel prolatis

nullum materiale vestigium remanet. Quibus prænotatis, dicimus :

I. De jure communi tenetur judex ecclesiasticus quoad delicta facti permanentis visitationem corporis delicti per se, vel per deputatos idoneos facere. — Nam id præscribitur ex Justinianeo jure (lege *Cum aliter;* nec non lege *Necessario* 5, ff. de S. C. Silano) : aliunde in hoc sacris canonibus non adversatur Justinianea dispositio : ergo quoad hoc censeri debet in foro ecclesiastico vigere. Quod insuper demonstrat universalis tribunalium ecclesiasticorum praxis, nec non canonistarum consensus. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 212.) Et sapienter utriusque fori judicibus hæc norma injuncta est : si enim, verbi gratia, Titius, qui dicitur a Caio occisus, per visitationem corporis delicti reperiatur in domo sua vivens et sanus, stulte judex contra accusatum Caium ultra procederet.

II. « Procedit hoc etiam casu quo reus ejusmodi delictum a se « commissum fatetur : nihilominus enim condemnari nequit « antequam judex miserit in locum... ; quia non est in arbitrio « hominis de sua vita disponere, sicut in causa civili, ubi quoad « temporalia bona seipsum quis potest ex sua confessione con- « demnare. » (Schmalzgrueber, loco citato.)

III. Si vero delictum vestigia non reliquerit, vel ea vestigia inspicere possibile non sit, non requiritur, ut patet, corporis delicti visitatio.

IV. Formam exequendæ ejusmodi visitationis, et alia de hoc ad praxim scitu necessaria, habes in formulario (infra, sectione 6).

CAPUT IV.

DE INFORMATIONE SUMMARIA, IN PROCESSU CRIMINALI INSTITUENDA, ANTEQUAM DITETUR ET CONSTITUATUR REUS.

Informatio summaria est ille processus prævius, qui fit per

examen testium (et etiam instrumentorum si habeantur), nondum citato nec constituto reo; atque in hunc dumtaxat finem, ut discernat judex, num legitime possit reum citare, et per citationem coram tribunali suo constitutum examinare. Dicitur etiam processus informativus, seu processus pro informatione curiæ, sive etiam instructio præparatoria.

Est autem ecclesiastico judici apprime noscendum, quandonam possit, et quandonam teneatur ejusmodi summariam informationem præmittere. Item sedulo distinguat duplicem summariæ informationis speciem : alia enim est quæ fit ad dignoscendum utrum constet de fama publica ; et alia quæ fit ad dignoscendum an existat contra reum saltem semi-plena probatio. Alteram vocabimus informationem de fama ; alteram vero informationem de semi-plena probatione.

§ I.

De informatione summaria, quando proceditur per acusationis viam.

In hoc casu judex non tenetur ullam informationem summariam præmittere; imo neque potest nisi consentiat accusator. Sequitur ex certa et unanimiter in jure canonico recepta doctrina, non teneri accusatorem ad producendos testes aliasve probationes, nisi post contestatam litem. Si ergo nolit accusator testes, antea nominare, non poterit judex prævio processu eos examinare. Nec mirum, cum accusatori, ex ipso porrecti libelli facto, pœna calumniatorum immineat, si ex malitia falso accusasse deprehendatur.

§ II.

De informatione summaria, quando proceditur ex mero officio per inquisitionis viam.

1. Tunc non tenetur judex informationem juridicam de fama præmittere. Nam verum quidem est non licere judici in hoc

casu procedere nisi prius constet de fama publica reum accusante ; sed satis est ut id constet judici ipsi. Unde postquam ipse judex quocumque modo de hac fama certior factus est, opus non est ut eamdem notitiam juridice acquirat. Atque id passim tradunt doctores unanimiter.

2. In praxi tamen expedit præmitti semper dictam de fama informationem juridicam. Nam si eam judex omiserit, poterit reus ad judicem superiorem appellare; objiciendo nempe se absque prævia infamia, ac proinde injuste et nulliter fuisse inquisitum. Imo postulare poterit ut judex inferior, pro hac prætensa injustitia, pœnis a jure statutis subjiciatur. Tunc vero is tenebitur probationes de prævia infamia, quas extrajudicialiter habuit, superiori judici exhibere. Unde ad præcavendam eam difficultatem, consultius est, quoties per viam meræ inquisitionis proceditur, ut semper juridica de fama informatio præmittatur : id est ut examinentur testes circa hoc factum, an revera is de quo judicando agitur, a fama publica designetur tanquam talis delicti reus.

3. Quando judex informationem juridicam sumpsit de fama publica, non tenetur alteram de semi-probatione instituere. Nam ipsummet factum famæ publicæ, reum designantis tanquam delicti auctorem, est de jure semi-plena probatio. Ergo potest judex ad Rei citationem procedere, statim ac de fama publica juridice constitit.

4. In praxi tamen expedit, ut antequam ad citandum reum deveniatur, fiat informativus processus de ipsius delicti veritate ; ne inutiliter vexationem subeat reus, si forte innocens, non obstante contraria fama, reperiatur. Et quidem ita expedit fieri processum illum informativum, ut plenæ quantum fieri possit probationes habeantur. Inde enim multo facilius expedietur proprie dictus processus, citato reo incipiendus.

§ III.

De informatione summaria, quando per viam denuntiationis procedilur.

Sustinuimus supra (subsectione 1, cap. 3, § 2) *regulariter* non sufficere merum libellum denuntiatorium, ut possit judex contra denuntiatum procedere; sed requiri etiam tunc præviam de delicto famam. Cum tamen generalis illa regula non sit omnino extra controversiam posita, et nonnullas præterea exceptiones admittat, hic supponimus versari judicem ecclesiasticum in eo casu, quo ipsi licet procedere *ex sola denuntiatione*, seu nulla contra reum præcedente infamia. Et quæstio est, utrum in tali casu possit judex reum statim citare; an vero teneatur antea informationem summariam instituere, et semiplenam saltem probationem juridice obtinere? Respondeo, *teneri tunc judicem ecclesiasticum ad præmittendum informativum processum*. Non enim ipsi licet quemquam citare et reum constituere (1), nisi habuerit contra eum saltem semi-plenam probationem aut gravia indicia. Ratio est quia ex hoc ipso quod quis criminaliter citetur, et reus constituatur, fit suspectus apud populum, et grave damnum patitur, necnon tædio et mœrore afficitur. Ipsa autem lex naturalis prohibet, ne cuiquam tantum gravamen absque *causa sufficienti* inferatur : et causa illa sufficiens nequaquam adest, quando contra reum ne semi-plena quidem habetur probatio, nec gravia indicia. Unde revera ante habitam semi-probationem saltem, aut gravia indicia, non licet judici reum citare et constituere. Jam vero libellus denuntiatorius per se solum judici non suppeditat præfatam semi-probationem aut gravia indicia. Quamvis enim

(1) Dicitur judex *reum constituere*, quando cogit eum stare coram tribunali suo et examen subire. Hinc canonistæ vocant *primum, secundum*, etc., *constitutum*, primum, secundum, etc., interrogatorium Rei, sic coram tribunali stantis, seu constituti.

media probandi in ipso descripta ejusmodi sint, quæ videantur ad detegendam veritatem posse ducere, non tamen hanc veritatem aperiunt. Ex eo quod, verbi gratia, in libello dicatur : *Probari poterit delictum testibus N. et N., necnon instrumentis N. et N.*, probatio hæc ante examen dictorum testium et instrumentorum non habetur; sed habetur dumtaxat mera affirmatio de possibilitate veritatem dicto modo obtinendi. Ergo judex, antequam reum citet, sibi juridice comparare debet præfatam semi-plenam probationem aut gravia indicia : ergo debet processum informativum præmittere.

Nota 1. Nihil dicimus de casu quo per *viam exceptionis* proceditur, quia recidit in casum accusationis ejusque normam sequitur; siquidem excipiens criminaliter verum accusatorem agit.

Nota 2. Ex dictis sequitur plerumque in praxi dari locum informativo processui : et quidem utriusque speciei; nempe *primo*, informationi de infamia publica; *secundo*, informationi ad habendas sufficientes probationes indiciave, ex quibus ad citationem rei deveniri possit.

§ IV.

De testium citatione et juramento, deque examine eorumdem, nec non scripturarum, in processu informativo (remissive).

1. Ab ipso processus informativi exordio facienda occurrit testium citatio : circa quam multa evenire possunt, in quibus omnibus tenenda est ab ecclesiastico judice canonica norma. Eam autem reperies in *Formulario* (collectione 2, c. 13 et seq.) fuse descriptam. Ibi nempe indicatur quibus modis fieri possit testium citatio; quomodo citatio hæc sit exequenda; quomodo judex sibi comparare debeat depositionem testis extra diœcesim existentis; quid faciendum in casu contumaciæ testis, et in casu ejusdem a contumacia revertentis.

2. Item quomodo faciendum sit examen testium et instrumentorum in processu informativo, habes in *Formulario*.

3. An autem et quomodo testibus antequam examinentur deferendum sit juramentum de dicenda veritate, necnon cætera quæ de testibus et instrumentis noscenda sunt; tradimus infra, ubi de *Probationibus*.

CAPUT V.

DE CITATIONE REI.

Ne in persequenda processus criminalis tela quidquam alicujus momenti omittamus, hic adnotandum venit, contingere posse, ut reus antequam citetur, resciat formari contra se informativum processum. Tunc autem potest judicem adire et *compositionem* petere : quæ si ipsi concedatur, processui finis imponitur. De hac autem *compositione pecuniaria* in causis criminalibus, quid sentiendum sit, et quomodo peragatur, satis dicimus in *Formulario* (collect. 2, cap. 18). Unde hic, ea prætermissa, ad rei constitutionem et citationem gradum facimus.

Igitur absoluto informativo processu, idest, juridico testium et instrumentorum examine, judex expendere debet an ex eo emergat saltem semi-plena contra Reum probatio. Et si quidem perpensis omnibus semi-plenam probationem non reperiat, facit decretum de non ulterius procedendo, et sic causæ finis imponitur. Si vero existimet haberi plenam aut saltem semi-plenam probationem, facere debet decretum de constituendo reo, et consequenter jubere ut reus citetur.

Cum autem de ejusmodi citatione plura noscenda sint, de his in præsenti capite venit disserendum.

Quæstio 1ª. — *Quid sit citatio?* — « Citatio est actus legi-« timus, quo quis mandato judicis vocatur in judicium juris « experiundi causa... Et sumitur ex lege *In jus* (1, *ff. de In jus*

« *vocand.*), ubi Paulus : *In jus vocare, est juris experiundi causa* « *vocare.* » (Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decret., § 2, n. 16.)

Quæstio 2ª. — *Quotuplex distinguatur citatio?* — « Dividi- « tur triplici maxime modo. 1° Enim alia est *citatio juris*, « alia *hominis*. Prior est, quando jus vel lex statuit certum « terminum intra quem debet quis judicio se sistere : poste- « rior, cum quis judicis mandato in jus vocatur. Utraque sub- « dividitur in *generalem* et *specialem*. Per illam vocatur in jus « quicumque sua interesse putaverit : per specialem vero certa « persona.

« 2° Alia est *verbalis*, alia *realis*. Verbalis dicitur quando « judex apparitorem, nuntium, vel pedellum ad reum mittit, « eique oretenus vel in scriptis significari facit, ut ad certum « diem appareat in judicio. Realis est, qua personæ propter « delictum, æs alienum, aut aliam justam causam, apprehen- « duntur et arrestantur.

« *Verbalis* citatio iterum duplex est, *privata* nempe et *pu-* « *blica*. Privata est, quando quis privatim ad faciem, vel, si « ipsius copia haberi nequeat, ad domum citatur. Publica est, « quæ publice per proclama seu vocem præconis, vel per tu- « bam aut campanam, vel per edictum in publicis locis affixum « fieri solet. Si per edictum fiat, *edictalis dicitur*.

« Denique alia citatio est *simplex*, alia *peremptoria*. *Simplex* « est, quæ absque præcisa comparitionis intimatione et ulte- « rioris termini denegatione concipitur; qualis est si judex « simpliciter alicui mandet ut tali vel tali die in judicio compa- « reat. *Peremptoria* est, quæ ita concipitur ut præcisam compa- « rendi necessitatem imponat, omni ulteriori termino seu ci- « tatione denegata : et talis est illa quæ, vel tribus distinctis « citationibus simplicibus fit, vel in qua tres distincti termini « ad certa temporis intervalla sunt assignati, vel in qua unicus « terminus (tantumdem temporis quantum aliæ tres simplices « continens) præfixus est, addita voce *peremptorie*, aut clau- « sula alia æquivalente. *Peremptoriæ* nomen accepit, quia

« simplices citationes perimit, et citati tergiversationem ita « excludit, ut in jus vocatum, si præfinita die non comparuerit, « contumacem constituat, etiamsi nulla alia citatio simplex « præcesserit. » (Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decretal., § 2, n. 16.)

Adhibenda non est citatio *edictalis*, quando potest verbalis fieri. Et ideo antequam decernatur, expedit ut judex summariam informationem instituat, ex qua constet de morali impossibilitate adeundi personam ipsam vel domum rei. (Vide Schmalzgrueber, citato loco.)

Quæstio 3ª. — *Quid requiratur in citatione peremptoria, quoad numerum citationum et quoad terminum citato assignandum?* — 1. Quoad numerum faciendarum citationum, sic dispositum reperitur in Justinianeo jure : « Ad peremptorium « edictum hoc ordine venitur, ut primo quis petat post absentiam « adversarii edictum primum : mox alterum : per intervallum « non minus decem dierum : et tertium. Quibus propositis, « tunc *peremptorium* impetret. Quod inde hoc nomen sumpsit, « quod perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pate- « retur adversarium tergiversari. » (Lex 68, 69 et 70, tituli *de Judiciis* 1, libri 5 Pandectarum.) « Nonnunquam autem hoc « edictum (*nempe peremptorium*) post tot numero edicta quæ « præcesserint datur : nonnunquam post unum vel alterum : « nonnunquam statim ; quod appellatur unum pro omnibus » (citato loco Pandectarum, lege 72). « Consentaneum juri fuit... « adversario tuo ternis litteris, vel uno pro omnibus perem- « ptorio edicto, ut præsentiam sui faceret commonefacto, si « in eadem contumacia perseveraverit, præsentis allegationes « audire. » (Lex 8, tituli 43, libri 7 Codicis.) Nihil contrarium decernunt sacri canones, sed de hac re silent, unde modo expositum Justinianeum jus censendum est etiam in foro eccle-siastico vigere. Ex citatis autem textibus, patet adhiberi posse trinam citationem, et posse etiam adhiberi unicam, modo exprimatur eam esse peremptoriam, seu *unam pro omnibus*.

2. Quoad temporis intervallum citato concedendum, ex iisdem textibus solent canonistæ inferre, esse concedendos, vel decem dies post unamquamque citationem, quando tres citationes adhibentur, vel triginta dies quando adhibetur unica tanquam peremptoria.

« Ut ergo (ait Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decret., § 2, « n. 19) unica talis citatio peremptoriæ citationis jura obti- « neat, duo requiruntur : *primo*, ut adjiciatur expresse partes « citari *peremptorie*, vel apponatur comminatio, si citati non « comparuerint, judicem nihilominus ad cognitionem proces- « surum et pronuntiaturum. *Secundo*, ut contineat legitimum « tempus, seu tantum quantum requiritur ad tres simplices « successivas. Adeoque antiquitus concedi debebant 30 dies ; « nam totidem concedebantur per tres simplices citationes, « utpote quarum qualibet concedebantur 10. »

5. Certum tamen est dictum terminum citato assignandum, variare posse, pro variis curiarum ecclesiasticarum consuetudinibus. Nam præfatum temporis intervallum non est a jure naturali, sed a positivo dumtaxat determinatum : unde et dari potest legitima in contrarium consuetudo. Id tamen semper, ex jure ipso naturali, necessarium erit, ut *conveniens tempus*, habita ratione circumstantiarum, concedatur.

Quæstio 4ª. — *An citatio rei sit semper necessaria ?* — « Ita necessaria est quoad absentem, ut nullatenus omitti (per « se loquendo) possit ; et, si omittatur, omnis alius actus judicia- « lis ipso jure irritus et nullus est. Advertitque Conig, ne qui- « dem Summum Pontificem ex plenitudine potestatis eam posse « omittere, et dare sententiam partibus non citatis. Ratio est, « quia cum ad defensionem spectet, juris est naturalis : et in iis « quæ sunt juris naturalis, etiam summi principes jure privato- « rum censentur. »

« Dixi 1° per *se loquendo*... Nam plures casus excipiendi « sunt... ; et præcipue *primo*, si delictum rei usque adeo no- « torium foret, ut eidem, nequidem ad extenuandam culpam

« aut pœnam, exceptio vel defensio superesset... *Secundo*, si « reus aliunde cognosceret contra se intentandam litem, ac « respondendo judicium susciperet... »

« Dixi 2° *quoad absentem ;* quia non ita liquidum est, casu « quo reus in judicio fortuito aut alias jam præsens foret, « citationem requiri... » (Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decret., § 2, n. 15.)

Quæstio 5ª. — *Quænam necessario debeant in citatione exprimi?* — Tradunt doctores communiter exprimenda esse, 1° nomen citati ; 2° nomen ejus ad cujus instantiam fit citatio ; 3° causam citationis : multi tamen auctores existimant sufficere in criminalibus causis, si generales dumtaxat termini adhibeantur ; verbi gratia, si judex dicat, *compareas responsurus super quadam causa criminali ;* 4° locum judicii ; 5° competentem terminum ; 6° certum diem : non tamen requiritur ut exprimatur hora ; sed si designetur, observanda est. Pro quibus omnibus requisitis vide inter alios Schmalzgrueber, citato paragrapho.

Quæstio 6ª. — *Quomodo citandus qui extra citantis territorium moratur?* — Respondeo citationem extra territorium citantis tripliciter fieri posse : 1° per nuntium a citante missum, qui citando litem futuram insinuet : hæc citatio valet, cum non sit actus jurisdictionis in territorio alieno, sed mera executio. 2° Per litteras *remissoriales*, quæ et *subsidiales* vocantur. Scribit nempe judex qui citat, ad judicem loci in quo moratur citandus ; et requirit ut is posterior judex citationem ipse per ministros suos exequatur. 3° Per edictum affixum in locis finitimis. Non tamen videtur hunc tertium modum adhiberi posse, nisi deficientibus duobus prioribus.

« Si judex loci, in quo reus citandus degit, per litteras *subsi-* « *diales* requisitus, renuat citationem insinuare reo in territorio « suo degenti, confugiendum ad magistratum superiorem : qui « adigere talem potest, ut requisitioni deferat. » (Schmalzgrueber, in tit. 3, libri 2 Decret., § 2, n. 23.)

Nota. Quamvis, ut diximus, possit in alieno territorio citatio

intimari, quia intimatio hæc non est actus jurisdictionis, aliter tamen dicendum est de ipso edicto citationis. Talis enim actus, utpote jurisdictionalis, in alieno territorio exeri nequit.

Quæstio 7ª. — *An judex simul cum citatione teneatur reo libellum accusatorium aut denuntiatorium transmittere?* — Negant communius doctores, et sustinent non aliud requiri quam ut causa in genere citationi inseratur. « Sed, ut bene advertit « Engel, stylus cujuscumque curiæ attendendus est : qui nisi « contrarium dictet, provide omnino et circumspecte faciet « judex, si una cum citatione libellum transmittat. Nam hæc « transmissio erit litis acceleratio... Curabit tamen judex ut « originale, vel saltem copiam libelli penes se retineat, ad ca- « vendas fraudes. » (Schmalzgrueber, loco citato, n. 24.)

Quæstio 8ª. — *Quomodo facienda sit executio seu intimatio citationis?* — 1° Posset fieri per judicem ipsum, vel quemlibet ab ipso ad id deputatum : sed ordinarie fit per aliquem curiæ nuntium seu cursorem. 2° Potest fieri quovis tempore ; modo de die : nam nox in ejusmodi actibus merito suspecta habetur, ut tenent communiter doctores. 3° Si fiat per nuntium curiæ, citatus tenetur ei (utpote personæ publicæ) credere : si vero fiat per alium ad hoc specialiter deputatum, is tenetur simul cum litteris citationis, etiam commissionis sibi factæ litteras exhibere. 4° Si judex citans sit dumtaxat delegatus, debet citationi inseri tenor ipsi factæ delegationis ; quia nempe judex delegatus tenetur sese legitimare, idest, delegationem suam probare ; et alioquin citatus non tenetur credere ipsius jurisdictioni. 5° Nisi quid obstet, citationis intimatio facienda est in faciem, id est, ipsimet personæ citandi. 6° Si reum inquisitum nuntius non repererit, potest, vel procuratori ipsius (si quem reliquerit) ; vel ad unum e domesticis (adultiori tamen, non infanti) ; vel si nemo adsit, vicinis denuntiationem exponere, relicto ibidem commissionis suæ exemplo, ut ad reum citatio perveniat (capite *Causam* 3, *de Dolo*) ; vel si neque hoc modo fieri possit, aut expediat, potest citatio affigi ad domum in qua citandus habitare consuevit. 7° Quando citandus

plures habet ædes, executio fiet ad eas in quibus majore parte anni egit : si æquali tempore moratus sit in omnibus, ibi citandus erit, ubi citationis tempore degit. 8° Si domum certam non habeat, nec sciri possit ubi sit, citari potest per edictum vel per præconem. 9° Executione facta, incumbit nuntio facere relationem, quæ in acta referri debet, ut appareat de legitime facta executione. Et hæc relatio pars substantialis est ; nec sine ea aut citatio, aut sententia, aut totus processus in contumaciam valet. Vide Schmalzgrueber (in titul. 3, libri 2 Decretalium, § 2, n. 25), a quo hæc fere ad verbum desumpsimus (1).

Quæstio 9ª. — *Quinam sint citationis effectus?* — 1° Astringit citatum ad comparendum, nisi justa exceptione se tueatur ; alias redditur contumax : constat capite *Ex litteris* (2, *de Dolo*), et lege *Ex quacumque* (2, ff. *Si quis in jus vocatus non ierit*). 2° Inducit litis pendentiam, ad eum finem ut lite pendente innovari nil possit. 3° Prorogat jurisdictionem judicis ; adeo ut, etsi quis, postquam citatus est, esse cœperit alieni fori, in ea tamen causa debeat comparere coram judice qui eum citavit. 4° Perpetuat judicis delegati jurisdictionem ; ita ut morte delegantis non expiret. Et dictos quidem effectus citatio producit, tum in criminalibus, tum in civilibus causis. At vero in civilibus habet insuper effectus sequentes : 1° facit rem (quæ ab actore controvertitur actione reali) litigiosam ; ita ut dum litis pendet, alienari per emptionem aliumve contractum (quibusdam exceptis) nequeat. 2° Constituit citatum legitimum contradictorem ; adeo ut, quamvis ex aliqua causa repelli posset, citans tamen sibi præjudicet, et illum non possit dein amplius repellere. 3° Tollit potestatem actori eligendi inter plures judices, si forte super eadem causa potuissent diversi judices

(1) Videtur hodie in Gallia fieri posse citationem per epistolam *oneratam* (chargée), ut vocant. Cum enim publici ejusmodi epistolarum latores teneantur eas non tantum consignare iis ad quos diriguntur, sed et de facta consignatione scriptum testimonium reportare, satis inde constare videtur de citationis executione.

judicare. 4° Interrumpit præscriptionem, saltem odiosam, (idest, quæ tantum ob negligentiam domini inducitur), scilicet 30 vel 40 annorum. Quæ omnia vide firmata apud Schmalzgrueber, citato paragrapho.

Quæstio 10ª. — *Quotuplici modo convalidari possit citatio, quæ ex aliquo defectu nulla fuerat?* — Sanatur citationis nullitas, 1° per comparitionem citati; modo tamen nullitas ortum non haberet ex defectu jurisdictionis in citante. 2° Quando citatus procuratorem mittit. 3° Per principis rescriptum (Schmalzgrueber, in tit. 3, l. 2 Decret., § 2, n. 30).

CAPUT VI.

DE CONTUMACIA.

Processus criminalis telam prosequendo, post traditam de citatione normam, in quæstionem de contumacia inducimur. Nam citatus reus, si intra peremptorium terminum comparere negligat, contumax efficitur; unde exponendum, quid tunc juris oriatur, et quomodo sit procedendum. Quamvis autem contumacia in reliquo etiam processus tractu pluries accidere possit, et non tantum ex parte rei, sed et testium, atque ipsiusmet actoris, opportuniori tamen sede, tota de contumacibus disceptatio hic collocatur.

Quæstio 1ª. — *Quid sit contumacia?* — « Respondeo : con« tumacia (a contemnendo dicta, quod judicem videatur con« temnere qui vocatus non obtemperat) dupliciter potest accipi : « 1° *generice;* et tunc designat quamcumque inobedientiam, « in vel extra judicium commissam; 2° *specifice;* et in ea « acceptione denotat solam inobedientiam in non comparendo « admissam : quæ acceptio hujus præcipue loci est.

« Definitur sic accepta, quod sit : *inobedientia a legitime vo« cato erga judicem, in iis quæ ad judicem pertinent, commissa.* « Ita quoad sensum omnes. » (Schmalzgrueber, in titulum 14,

libri 2 Decretalium, n. 38.) Colligitur autem traditæ notionis legitimitas ex capite *Causam* 3, et ex capite *Cum dilecti* 6, (tituli 14, libri 2 Decretalium); necnon ex lege *Contumacia* (53, ff. *de Re judicata*), prout hos juris textus legenti aperte patebit.

Quæstio 2ª. — *Quotuplex distinguatur contumacia?* — Dividitur communiter in *veram* et *præsumptam*. Contumacia *vera* dicitur, cum quis peremptorie citatus, et citationis notitiam habens, comparere renuit, nullo ipsum excusante impedimento. Dicitur autem *præsumpta* seu ficta, quando dubium est, an ad citatum et non comparentem citationis notitia pervenerit : quod dubium contingere potest, quando citatus fuit, non personaliter seu in faciem, sed dumtaxat ad domum, vel per edictum ad valvas affixum. Stante ergo ejusmodi dubio, qui citatus non comparet, nec procuratorem ad excusandam moram mittit, *præsumptam* contrahere contumaciam dicitur.

Nonnulli quidem auctores subtiliorem contumaciæ divisionem tradunt, nempe : *in notoriam*, *veram*, *præsumptam et interpretativam*. Sed in praxi necesse non est ad eam attendere ; quia, quoad juris applicationem, quam vocant *notoriam* in *veram* recidit ; et quam dicunt *interpretativam*, *præsumpta* complectitur.

Maximi autem refert distinguere, an quis sit *vere*, an vero *præsumptive* contumax. « Nam vere contumax (ait Schmalz-« grueber, in tit. 14, libri 2 Decret., n. 39) non auditur am-« plius, aut restituitur contra ea quæ interim acta sunt, ipso « contumaciter absente : auditur autem, et contra sententiam « etiam restituitur præsumptive contumax, si venerit, suamque « absentiam excusaverit » (capite *Cum Bertholdus* 18, *de Sententia et re judicata*).

Quæstio 3ª. — *Quibus modis quis constituatur contumax?* « 1° Contumacia committitur quando reus tribus edictis, aut « uno (vice trium) peremptorie citatus, et nulla justa causa « impeditus, non comparet. 2° Quando reus malitiose se ab-« sentat, aut procurat per se vel per alium, ne citatio ad ipsum

« pervenire possit. 3° Quando comparuit quidem, sed postea « sine licentia judicis recedit, non confecto negotio, nec rever- « titur. 4° Quando actor veniens ad judicium, actionem seu « libellum non edit, aut edita actione et lite contestata, eamdem « non prosequitur; nam primo casu reus absolvitur a cita- « tione, secundo ab observatione judicii. 5° Quando reus « non respondet libello actoris, aut positionibus seu articulis « illius ; vel si obscure respondeat, non categorice : ob quam « contumaciam articuli et positiones actoris habentur pro « confessatis ; quia jus ex hac tergiversatione præsumit tacitam « quamdam confessionem. 6° Quando litigantes non parent « mandato judicis, jubentis, verbi gratia, ut præstetur juramen- « tum calumniæ, ut exhibeantur instrumenta et alia ad cau- « sam deservientia. 7° Denique quando parere recusant execu- « tioni sententiæ. » (Schmalzgrueber, in tit. 14, libri 2 Decret., n. 40.)

Quæstio 4ª.— *Quæ causæ excusent a contumacia?* — « 1° Ex- « cusat adversa valetudo (lege *Contumacia* 53, ff. *de Re judi-* « *cata*). 2° Majoris causæ occupatio (lege citata). 3° Absentia « Reipublicæ causa (lege *Contra pupillum* 54, ff. *de Re judic.*). « 4° Ætas pupillaris vel minorennis (lege eadem). 5° Citatio ad « tribunal superius (lege citata). 6° Puerperium vel graviditas « mulieris (lege *Non exigimus* 2, ff. *Si quis caution. in ju-* « *dic. sist.*). 7° Tempestas aut vis fluminis (lege cit.). 8° Pro- « hibitio vel retentio proprii magistratus (lege cit.). 9° Rusticitas « (lege *Ex quacumque* 2, ff. *Si quis in jus vocat.*). 10° Incom- « petentia notoria judicis citantis. 11° Tempus feriatum, ad « quod fit citatio. 12° Locus non tutus, ad quem fit. 13° Bellorum « motus, captivitas, carentia advocati. 14° Universim a contu- « macia excusat quævis causa, quæ excusat ne citatus compa- « rere debeat. »

« Et hoc adeo verum est, ut si contra ejusmodi, quem justa « remanendi causa defendit, judex sententiam pronuntiet, si « quidem illi de ejusmodi impedimento constet, sententia sit « ipso jure nulla : sin vero impedimentum hoc ignoraverit ju-

« dex, per in-integrum-restitutionem rescindatur; vel alias « causa in pristinum statum reponatur. (Lege finali, ff. *de In-« integrum-restitutione;*.— lege *Ea quæ* 7, c. *Quomodo et « quando jud.;* — lege *Quia absente* 4, c. *de Procurat.;* — lege « *Si propter officium* 1, c. *Quibus ex causis Major.*) An vero « hujusmodi impedimentum, quod objicitur ad excusandam ab-« sentiam, revera subsit, cognoscere et decernere ad judicem « pertinet. » (Schmalzgrueber, in tit. 14, libri 2 Decret., n. 42.)

Quæstio 5ª. — *Quomodo procedendum sit contra actorem contumacem?* — Id definitum reperitur in jure canonico duabus decretalibus. Prior, quæ est Alexandri III (cap. *Causam* 3, tituli 14, libri 2 Decretalium), hanc præ se fert rubricam : *Actore contumace, testes recipi et sententia ferri debent, etiam lite non contestata, reo instante.* In decretali autem ipsa, sic disponitur circa actorem (qui in causa de qua ibi agebatur vocatur *adversarius*) : *Cæterum, si adversarius suus legitime citatus, ad præsentiam vestram accedere, vel judicio vestro parere contempserit, aut etiam se absentaverit, procuratorem ejus, si quem reliquerit, convocetis : qui sive venerit sive non, aut si procuratorem non dimisit, denuntiationibus ad domum ejus missis, receptis testibus alterius partis, juxta dictam formam ad proferendam sententiam procedatis.* Alteri decretali, quæ efformat caput 1, tituli 6, libri 2, in *sexto*, sic pro rubrica præfigitur : *Actor contumax condemnatur in expensis ; nec citatur ulterius ad suam petitionem reus, nisi caveat de veniendo et comparendo.* In ipsa vero decretali, sic decernit Innocentius IV : *Actor qui ad terminum venire, ad quem citari adversarium fecerat, non curavit, venienti reo in expensis (propter hoc factis legitime) condemnetur. Ad citationem aliam minime admittendus, nisi sufficienter caverit, quod in termino fideliter debeat comparere.*

Ex iis autem textibus sic determinandus venit canonicus contra actorem contumacem procedendi modus : 1° supponitur actorem libellum judici porrexisse ; alioquin enim, cum res sit adhuc integra, comparere non tenetur, et ipsi applicatur generalis regula, *nemo ad agendum in judicio compelli potest.*

2° Si, postquam libellum obtulit, non comparet eo die quo reum citari fecit, ipse est a judice citandus. 3° Si neque compareat in primo et secundo termino ei assignato, duo agenda sunt : *primo*, damnandus est ad solvendas reo expensas : *secundo*, si postea in tertio termino sese sistat, et petat iterum citari reum, non est audiendus, nisi det cautionem, quod in termino statuto parebit. 4° Quod si neque in termino peremptorio compareat, et nesciatur ubi sit, tunc procurator ejus, si quem reliquerit, citari debet (modo causa per procuratorem agi possit) : qui procurator si compareat, cum eo litem suam prosequetur reus. Si neque is in judicium veniat, aut actor nullum procuratorem reliquit, adhuc tribus vicibus per trina dierum decem intervalla dictus actor citandus est. Tandem si neque tunc ante elapsum terminum peremptorium compareat, judex audire debet testes et probationes rei, et juxta probata sententiam definitivam pronuntiare. Curabit tamen ut per se, vel per aliquem ad id ex officio deputatum, ea non negligantur quæ forent in favorem actoris absentis, ut sic veritas melius ipsi innotescat.

Notetur autem has juris sacri dispositiones in nonnullis a jure Justinianeo recedere. Quod discrimen in quo stet, vide apud Schmalzgrueber (in tit. 14, libri 2 Decret., n. 48).

Quæstio 6ª. — *Quomodo procedendum sit contra reum contumacem, in causa criminali?* — (Remissive ad *formularium*, collect. 2, cap. 23.) Circa contumaciam rei in causis civilibus fori ecclesiastici, multa sunt observanda; quæ hic omittuntur, cum in præsentiarum de criminali processu præcipue agamus; licet nonnulla identidem et de civili processu memoremus, ob materiarum connexionem, et ne postea, de hoc posteriori processu agendo, quædam inutiliter repetere cogamur.

Quæstio 7ª. — *Quomodo procedendum sit contra contumaces testes?* — (Remissive ad *formularium*, collect. 2, cap. 16.)

CAPUT VII.

DE EXCEPTIONIBUS.

Juxta contextum, quem sequimur, judiciariæ telæ, dicendum nunc venit de exceptionibus. Nam citato reo, et in judicium venienti, statim a jure hocce defensionis medium conceditur. Et quamvis in reliquo etiam processus decursu proponendis novis exceptionibus locus esse possit, præcipue tamen statim ab initio ante contestatam litem exerendæ sunt.

Quæstio 1ª. — *Quid sint exceptiones et quo jure institutæ?* — 1° « Nomen exceptionis derivatur a verbo *excipere;* nam qui « exceptionem opponit, quasi aliquid *capit* vel tollit *ex* actione « proposita. » (Schmalzgrueber, in tit. 25, lib. 2 Decr., initio.)

2° In stricto sensu juris, exceptio definiri potest: « *Actionis* « *exclusio, qua reus actionem contra se institutam vel retardat* « *vel penitus elidit*. Colligitur ex lege *Exceptio* (2, ff. *de Excep-* « *tionibus*); et concordant quoad sensum doctores. » (Schmalzgrueber, loco cit., n. 1.)

3° Cuinam autem juri exceptionum introductio tribuenda sit, an scilicet juri naturali, an vero potius juri positivo, non concordant auctores. Alii quippe juri naturali exceptionum originem adscribunt; eo quod, ut aiunt, exceptio defensio sit, et sese defendendi facultas jure naturæ reo competat. Illam alii ad jus positivum referunt; tum quia exceptio est exclusio actionis, et actiones fuerunt a jure positivo inductæ; tum quia exceptiones tolli possunt lege aut rescripto principis (ut constat capite *Ex parte* 13, *de Officio delegati;* — lege *Si quis* 3, ff. *Quod quisque juris...*; — et lege *Exemplo* 36, c. *de Decur.*), quod fieri non posset si forent juris naturalis. Alii denique variis modis distinguunt. Inter quos distinguendi modos is anteponendus videtur, cui assentiunt Gonzalez, Konig, Schmier et Schmalzgrueber, nempe: eas exceptiones esse juri naturali accensendas, nec consequenter posse per legislatorem tolli, quæ

ad justam defensionem sunt necessariæ : cæteras ad jus positivum pertinere (Vide laudatum Schmalzgrueber, citato loco, n. 7 et 8.)

Quæstio 2ª. — *Quotuplex distinguatur exceptio?* — I. Juris Justinianei periti multipliciter exceptionem dividere solent, nempe : 1° in *nominatam*, cui nomen aliquod a jure inditum est ; et *innominatam*, quæ certo nomine in jure designata non reperitur ; 2° in *civiles*, quæ legibus constitutionibusve principum inductæ ; et *prætorias*, quæ a prætore ob naturalem æquitatem concessæ ; 3° in *reales*, quæ rei seu causæ adhærent ; *personales*, quæ personæ intuitu fuerunt statutæ, et *mixtas*, quæ ex utroque motivo simul ; 4° in *dilatorias* et *peremptorias*.

II. In foro autem ecclesiastico, ultimæ divisioni quæ præcipua et celeberrima est, præcipue attenditur.

III. *Peremptoriæ* exceptiones vocantur, quæ jus actoris perimunt et semper ei obstant. Hæ triplicis generis sunt. Nam 1° earum quædam ostendunt actionem nunquam fuisse ortam ; ut si quis excipiat non donatum, non contractum, non legatum fuisse, quod alter donatum, legatum, etc., dicit. 2° Aliæ contendunt actionem, quæ competebat, fuisse extinctam ; ut sunt exceptiones rei judicatæ, transactionis, jurisjurandi, compromissi, solutionis, pacti de non petendo, præscriptionis, et similes, quæ dicuntur *litis finitæ*. 3° Aliæ opponunt, actionem seu jus agendi competere quidem adversario ; sed illud elidi ac perimi posse, ac proinde esse inefficax ; cujusmodi sunt exceptiones doli, metus, erroris, etc.

IV. Exceptiones *dilatoriæ* dicuntur illæ quæ actionem non omnino perimunt seu tollunt, sed tantum differunt ad tempus. Atque istæ etiam sunt diversi generis : 1° aliquæ respiciunt *personam judicis*, quibus nempe contenditur eum esse suspectum vel juris imperitum, vel incompetentem, vel reum fuisse jam ab alio judice præventum, etc. 2° Aliæ respiciunt *personam actoris* vel ipsius procuratoris, verbi gratia, quod sit excommunicatus, quod licet minor sine curatore in judicium veniat, quod procuratori mandatum desit, etc. 3° Aliæ respiciunt

personam rei; verbi gratia, quod fuerit ab actore spoliatus, et propterea petat se prius in integrum restitui, quam respondere cogatur. 4° Aliquæ respiciunt *locum et tempus judicii;* quod videlicet locus non sit tutus, quod tempus sit feriatum, terminus nimis angustus, etc. 5° Aliquæ respiciunt *causam ipsam;* verbi gratia, quod libellus sit ineptus vel obscurus, quod plus petatur, quod solutionis dies nondum advenerit. 6° Post contestatam litem potest etiam reus excipere *contra testes* a parte adversa productos.

Quæstio 3ª. — *Quomodo ex jure exceptionis sequatur jus replicationis?* — Replicatio est exceptionis elisio, qua nempe actor reum excipientem repellit. Dicitur autem hoc nomine, ex eo quod jus a reo per exceptionem coram judice veluti *evolutum,* ab actore *plicetur* seu revolvatur, atque inefficax reddatur. Æquum autem erat, ut sicut reo conceduntur exceptiones, ita et actori replicationes tribuerentur. Quod jus exceptionum et replicationum, etiam in foro ecclesiastico vigere extra controversiam est.

Quod si reus *replicationi* ab actore productæ respondeat eamque repellat, fieri *duplicatio* dicitur : sit vicissim *duplicationi* respondeat actor, fit *triplicatio;* et sic deinceps, *quadruplicatio, quintuplicatio, etc.* Ne autem in ejusmodi reciprocis oppositionibus ultra modum procederetur, statuit Justinianeum jus (authentica *Jubemus,* c. *de Judiciis*), ut penes judicem esset iis terminum imponere. Quæ dispositio, cum sacris canonibus non contrarietur, censenda est et in foro ecclesiastico vigere. Ex stylo insuper seu consuetudine uniuscujusque curiæ ecclesiasticæ prohiberi solet, ne *triplicatio,* vel ad summum *quadruplicatio* excedatur.

Quæstio 4ª. — *Quando opponi debeant exceptiones dilatoriæ?* — Respondeo regulariter esse proponendas initio, seu ante litis contestationem. Atque id tenent communiter canonistæ, et deducunt ex capite *Inter monasterium* (20, *de Sententia et re judic.*), nec non ex lege ultima tituli *de Exceptionibus* in Justinianeo codice. Ratio est quia ea opponendo post contes-

tatam litem sibi reus contradiceret. Nam contestando litem, verbi gratia, consentit in judicem tanquam competentem et non suspectum; absurde ergo postea prætenderet eumdem judicem sibi esse merito suspectum, vel jurisdictione carere.

Dantur tamen ad prædictam generalem regulam exceptiones. Nam

1° « Quinque casus a doctoribus excipiuntur, in quibus « exceptiones dilatoriæ opponi post litis contestationem possunt: « et primi quidem tres authoritate capitis *Pastoralis* (4, *de Ex-* « *ceptionibus*): duo reliqui sic suadente æquitate.

« *Primo* quidem, si reus prius protestatus sit quód salvas « sibi velit esse alias exceptiones: hæ tamen nominatim et in « species exprimendæ sunt, et quidem in scriptis, nec sufficit « in genere dicere *salvis aliis exceptionibus;* quia alias non « satis provisum esset abbreviandis litibus.

« *Secundo*, si primum post litem contestatam exceptio de novo « exorta fuerit; vel ex facto adversarii, ut exceptio spolii; vel « respectu judicis, qualis est exceptio recusationis; vel aliunde: « quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio.

« *Tertio,* si exceptio quidem competebat ante contestationem « litis, sed post eam primum innotuit quod competeret. Hanc « enim reus adhuc potest opponere, si juramento testetur, quod « malitiose non excipiat, videlicet litis protrahendæ gratia, sed « postea primum notitiam ejus acceperit. Ratio est quia impos- « sibilium nulla est obligatio; erat autem impossibile excep- « tionem opponere, antequam illa innotesceret.

« *Quarto*, si ignorata quidem non fuit exceptio ante contesta- « tionem litis, sed tum probari non poterat, cum tamen postea « probandi facultas fuerit acquisita; quia paria sunt non com- « petere exceptionem, et eam probari non posse.

« *Quinto*, si exceptio antea omissa, statim et *in continenti* « post litem contestatam opponatur; quia quæ *in continenti* « fiunt, inesse censentur. » (Schmalzgrueber, in tit. 25, lib. 2 Decret., n. 21.)

2° Præter expositos quinque casus, a regula generali su-

pra stabilita recedunt etiam nonnullæ exceptionum species, nempe :

« *Primo*, exceptiones dilatoriæ quæ processum *retro nullum* « *reddunt :* qualis est exceptio falsi procuratoris (lege *Licet*, « 24, c. *de Procur.*) : exceptio falsi tutoris : exceptio incom- « petentis judicis, si talis ille sit, in quem pars litigans con- « sentire non possit.... Proceditque hoc, ut hujusmodi exceptio « opponi possit etiam post sententiam ; nam cum sit exceptio « nullitatis, omni tempore opponi potest.

« *Secundo*, exceptiones quæ *gravamen successivum habent*, « uti est exceptio loci non tuti, termini angusti, feriarum, etc.

« *Tertio*, exceptio excommunicationis majoris : nam hæc in « quacumque parte judicii dilatorie opponi potest (capite « *Exceptionem*, 12, *de Exceptionibus*, — et capite *Pia*, ejus- « dem tituli, in 6).

« *Quarto*, opponi lite contestata, imo in ipsa executione po- « test exceptio competentiæ.

« *Quinto*, post contestatam litem excipi potest de ineptitu- « dine libelli....

« *Sexto*, sunt et aliæ exceptiones dilatoriæ, *ipsam causam* « *respicientes*, quæ poterunt post litem contestatam objici et « probari ; cum non videatur reus in ullo sibi præjudicare ante « litem non proponendo ; cum ea *quæ causam concernunt*, « nonnisi constituto judicio sint proponenda et tractanda. » (Schmalzgrueber, loco cit., n. 22.)

Quæstio 5ª. — *Quandonam proponi debeant exceptiones peremptoriæ ?* — Respondeo regulariter eas post contestatam litem esse opponendas. Ita communiter doctores eruunt ex lege *Siquidem* (9, c. *de Exceptionibus*), et ex lege *Peremptorias* (2, c. *Sentent. rescind. non poss.*). Ratio est quia hujusmodi exceptiones *proprie* sunt exclusio actionis : excludi autem et perimi actio non potest, antequam proposita sit in judicio, quod constituitur per litis contestationem.

Dantur tamen a generali illa regula recedentes aliquæ exceptionum peremptoriarum species, nempe :

« *Primo*, exceptiones improprie dictæ, videlicet solutionis « factæ, præscriptionis, etc. ; quia frustra litem contestaretur « reus si actor actionem de jure nullam habet.

« *Secundo*, exceptiones quarum veritas notoria est, ita ut « actorem calumniari evidenter constet : imo per has si oppo- « nantur, impeditur contestatio litis. Ratio est ne reus laboribus « et expensis frustra fatigetur.

« *Tertio*, exceptiones peremptoriæ quæ ex speciali privilegio « litis ingressum impediunt, uti sunt exceptio rei judicatæ, « transactionis, jurisjurandi, quæ *litis finitæ* dicuntur (capite « *Exceptionis* 1, *de Lite contest.* in 6). Ratio est, quia lis semel « aliquo horum modorum finita, amplius inchoari non debet. » (Schmalzgrueber, cit. loco, n. 23.)

Imo etiam post sententiam nonnullæ peremptoriæ exceptiones proponi possunt, nempe :

« *Primo*, exceptio nullitatis sententiæ ex quacumque causa. « Ratio est quia de nullitate sententiæ semper cognoscere judex « potest, et de novo sententiam ferre, cum ferendo nullam, « nondum functus officio suo sit.

« *Secundo*, exceptiones quæ sententiam rescindunt, ut exce- « ptio restitutionis in integrum.

« *Tertio*, exceptiones quæ sententiam quidem non impu- « gnant ut præcedentes, executionem tamen impediunt vel mo- « derantur ; ut sunt exceptio senatus consulti Macedoniani, non « numeratæ pecuniæ, et id genus aliæ. » (Schmalzgrueber, cit. loco, n. 24.)

Manet tamen regula generalis, peremptorias exceptiones esse post contestationem litis, et *ante* sententiam opponendas.

Quæstio 6ª. — *An judex possit præscribere terminum intra quem debeant proponi exceptiones dilatoriæ ?* — Affirmative respondendum vide probatum apud Schmalzgrueber (in tit. 25, libri 2 Decret., n. 25.) Ibidem autem probat idem auctor, elapso hoc termino *regulariter* non esse amplius audiendum reum, ejusmodi exceptiones proponere volentem ; dari tamen casus ab hac generali regula recedentes ; opponi nempe posse, etiam

post elapsum terminum a judice præscriptum : *primo*, exceptionem procuratoriam ; *secundo*, exceptionem recusationis judicis, si de novo emergat aut innotescat ; *tertio*, exceptionem excommunicationis, etiamsi judex expresse et nominatim ad hanc exceptionem proponendam terminum fixerit.

Quæstio 7ª. — *An etiam deducendis exceptionibus peremptoriis possit judex terminum præfigere ?* — Negat Glossa (in caput 4, *de Exceptionibus*, verbo *Dilatoriæ*) ; tum ex eo quod sit regula generalis posse exceptiones peremptorias opponi usque ad sententiam ; tum ne alioquin gravamen reo inferatur, si nequeat post præfixum a judice terminum dictas exceptiones opponere ; eas præsertim quæ post elapsum præfatum terminum orirentur, aut tunc primum innotescerent.

Nihilominus plures canonistæ (cum Layman, Pirrhing, Schmalzgrueber....) ita distinguendum existimant : vel judex præfixit dictum terminum cum cognitione causæ, vel causa nondum cognita : si prius non poterit reus elapso hoc termino peremptorias exceptiones proponere : secus autem in posteriori casu.

In praxi tamen consultius videtur, ut judex ecclesiasticus proponendis exceptionibus peremptoriis nullum præfigat terminum ; ne scilicet dum lites amputare hoc medio satagit, novæ liti ex hoc ipso orituræ januam aperiat. (Vide Schmalzgrueber, in titulum 25, libri 2 Decretalium, n. 27.)

Quæstio 8ª. — *Quomodo exceptiones proponi debeant ?* — 1° Non sufficit illas certo existere, et esse ex actis notorias ; sed debent a reo de facto allegari et opponi. Si enim reus illas non opponat, regulariter non debet judex ad eas attendere. Ita tenent doctores communiter. « Ratio est, ait Schmalzgrueber (in tit. 25, « lib. 2 Decret., n. 28), quia tacens in judicio consentire « videtur, et qui in eodem non opponit jus sibi competens, « illud censetur remittere. » Ab hac tamen generali regula recedere debet judex in duobus casibus. *Primo*, quando actor est excommunicatus non toleratus ; tunc enim, etsi reus exceptionem excommunicationis non opponat, debet judex

actorem ex officio repellere ; tum quia judex curare debet ut peccata evitentur (capite *Novit* 13, *de Judic.*), tum quia ipsius officii est disquirere an actor habilis necne sit, ne judicium suum frustratorium fiat ; excommunicati autem vitandi ad agendum in judicio sunt de jure inhabiles. *Secundo*, idem dicendum de omnibus exceptionibus quæ ipso jure actionem perimunt ; ut sunt exceptiones solutionis, præscriptionis, etc., quamvis enim actor eas non opponat, si sint ex actis notoriæ, debet judex ad eas in judicando attendere.

2° De jure communi eas posse proponi *etiam viva voce* (modo tamen ad acta redigantur), et *plures simul*, vide probatum apud Schmalzgrueber (in tit. 25, libri 2 Decretalium, n. 29 et 30).

3° Proponi etiam possunt exceptiones *contrariæ*, modo sub forma alternativa : verbi gratia, hoc modo : *oppono vel judicem nullam habere jurisdictionem ; vel si quam habeat, ei me non subjacere.* (Schmalzgrueber, loco cit., n. 31.)

Quæstio 9ª. — *An reus exceptiones quas opponit debeat probare, et quando probatio hæc fieri debeat ?* — Necesse omnino est ut reus exceptionem a se oppositam plene probet, alioquin effectum non habebit. Constat ex lege *In exceptionibus* (19, ff. *de Probat.*), et ex lege *Agere*, nec non lege sequenti (1 et 2, ff. *de Exceptionibus*). Quæ dispositio Justinianei juris, utpote nihil contrarians sacris canonibus, censenda est et in foro ecclesiastico vigere. Atque idem præterea ex ipso jure naturali sequitur, ut satis per se patet.

2° « Dilatoriæ exceptiones *probari* debent, regulariter loquendo, ante contestationem litis, sicut etiam ante illam *opponi* debent. Hinc ad judicis officium pertinet, ut probationes super his accipiat, et tum demum ad examen principalis negotii accedat, quando per sententiam interlocutoriam super dictis exceptionibus pronuntiavit (c. *Exhibita* 19, *de Judic.*). Quod ita verum est, ut si judex contra fecerit, recte appelletur, et in irritum revocetur quidquid post appellationem in causa attentatum fuerit. Ordo enim juris

« exigit, ut de harum exceptionum veritate constet et pronun-
« tietur, antequam judex ad ulteriora procedat.

« Neque obstat lex *In exceptionibus* (19, ff. *de Probat.*), ibi:
« *exceptionem dilatoriam opponi quidem initio, probari vero*
« *postquam actor monstraverit quod asseverat, oportet* : nam
« dicendum textum hunc esse mendosum, et pro *dilatoriam* le-
« gendum *peremptoriam*, ut proinde non differat a lege *Præ-*
« *scriptionem* (8, c. *de Exceptionibus*). Ratio est, quia si non
« est necesse exceptiones dilatorias probari ante contestationem
« litis, ineptissime dicerentur *dilatoriæ;* neque enim differrent
« judicium, sed solum sententiam. Vel si quis refugiat hanc ju-
« ris correctionem, dicere cum aliis potest ibi sermonem esse
« de exceptionibus dilatoriis *quæ sunt intentionis et facti*,
« nempe quæ ad merita causæ pertinent; unde etiam post con-
« testationem litis admittuntur. » (Schmalzgrueber, in tit. 25,
libri 2 Decret., n. 32.)

Quæstio 10ª. — *Quid requiratur ut opponi possit exceptio rei judicatæ?* — « Respondeo : ut utiliter opponi possit, tria de-
« bent concurrere : 1° ut eadem res petatur; 2° ut eadem
« petendi causa seu eadem ratio subsit; 3° ut eadem conditio
« personarum concurrat. » (Schmalzgrueber, in tit. 25, lib. 2
Decret., n. 47.)

Quæstio 11ª. — *Quomodo facienda sit exceptio excommunicationis?* — « Respondeo : duobus modis opponi potest, perem-
« ptorie et dilatorie. *Prioris* exemplum est, quando opponitur
« ad effectum annullandi electionem vel collationem beneficii
« factam excommunicato : *posterioris,* quando opponitur actori
« quod in judicio stare non possit, quia majori excommuni-
« catione ligatus est. »

Porro circa modum exceptionem hanc opponendi, et effectum illius persequendi, sequentia notanda sunt : 1° qui opponere eam vult, debet ipsius excommunicationis speciem, et nomen excommunicatoris exprimere, eamque intra octo dies probare; alias judex procedet in causa, et excipientem in expensas condemnabit, ut habetur capite *Pia* (1, *de Exceptioni-*

bus, in 6). Quod ita statutum est, ut fraudibus iretur obviam, et vitarentur dilationes. 2° Etsi prima vice exceptionem suam non probaverit, potest secundo eamdem opponere ; quam si probet adversus actorem, hic excluditur ab agendo (capite citato). Ratio est, quia esse potest, ut post octo dies illos, nova probationis copia reo præsentetur... 3° Ultra duas vices hæc exceptio opponi non potest, præterquam si excommunicatio nova emerserit, vel de antiqua probatio prompta et evidens supervenerit (capite *Pia* citato). 4° Si post rem judicatam exceptio excommunicationis opponatur, etsi sententia prius lata maneat valida, illius tamen executio impedietur. Capite *Pia* citato. (Schmalzgrueber, in tit. 25, libri 2 Decret., n. 50.)

Quæstio 12ª. — *An testis, contra quem exceptio criminis probata fuit, puniri de illo a judice possit?* — Non omnino in hoc concordare auctores vide apud Schmalzgrueber (in tit. 25, libri 2 Decret., n. 52). Videtur ita distinguendum : si excipiens petat tantummodo testem a ferendo testimonio repelli, non debet judex ullam pœnam contra testem pronuntiare, sed dumtaxat eum repellere ; quia regula est generalis, debere sententiam proferri de eo solo quod petitur : poterit tamen, imo et debebit, ne scelus remaneat impunitum, postea in separato judicio, per viam inquisitionis, contra talem testem procedere, et ex judiciliater alias probatis plectere. Si vero excipiens simul postulet testem debita pœna coerceri, debebit judex sententialiter eum repellere simul et punire.

Quæstio 13ª. — *Quid agendum sit, quando opponuntur contra judicem ecclesiasticum exceptiones dilatoriæ?* — Exceptiones dilatoriæ contra judicem, quæ et *declinandi fori* dicuntur, ad duplicem speciem referri possunt : vel enim excipiens contendit jurisdictionem judici non competere, aut jurisdictionem illam esse ex aliquo defectu (verbi gratia, ex imperitia) impeditam ; vel fatendo jurisdictionem, opponit tantum quod judex sit sibi suspectus. *Si prius*, ad judicem pertinet, audita exceptione, de ejus valore pronuntiare ; quia, ut alibi ostendimus, ad judicem pertinet pronuntiare quæ sit jurisdictio sua. Unde si, exce-

ptione ejusmodi proposita, judex, per interlocutoriam sententiam, eam inanem pronuntiet, et decernat ulterius esse procedendum, reo excipienti non aliud patet remedium quam appellatio. Et quidem appellare semper poterit a sententia definitiva : a dicta vero interlocutoria appellare nequit (ita statuente Tridentina synodo), nisi vim definitivæ habeat, aut gravamen inferat per definitivam non reparabile; quia nempe, extra hos casus, appellationes ab interlocutoriis concilium Tridentinum abolevit. *Si posterius,* id est, si excipiens opponat judicem esse sibi merito suspectum, jam nequit hoc ipso judex ulterius procedere ; sed debet judicium de tali exceptione committi arbitris, prout in sequenti capite, pro rei gravitate, fusius evolvitur.

CAPUT VIII.

DE RECUSATIONE JUDICIS, TANQUAM SUSPECTI, ET DIRIMENDA PER ARBITROS RECUSATIONIS CAUSA.

Quæstio 1ª. — *Quid sit recusatio, et an in foro ecclesiastico fieri possit?* — Recusatio est judicis declinatio, ex eo quod suspecta sit ipsius in reddenda justitia integritas. Certum autem est, sicut in jure Justinianeo, ita et in foro ecclesiastico, posse judicem, alias legitimum, ex dicta suspicione recusari. Constat ex decretali *Secundo requiris* (41, tit. 28, lib. 2 Decr.), et decretali *Cum speciali* (61, ejusdem tit.), mox referendis. Imo id etiam ex jure naturali deduci potest, prout in dicta decretali *Secundo* innuitur his verbis : *Ipsa namque ratio dictat, quod uspecti et inimici judices esse non debent.* Si tamen agatur de supremo judice, clarum est recusari illum non posse; tum quia sejus majestas omnem suspicionem ab eo removere censetur ; tum quia nullus tunc adest superior in terris, qui hujus, non-obstante suspicione opposita, procedentis, sententiam reformare valeat. Sed præter supremum, omnes alii judices eccle-

siastici, etiam Episcopi, atque etiam judex primæ, secundæ, tertiæ, etc., appellationis, ex causa suspicionis recusari possunt.

Quæstio 2ª. — *In casu quo judex ecclesiasticus recusetur tanquam suspectus, quomodo eligi debeant arbitri, qui causam recusationis, dirimant?* — Quænam sit, in casu recusationis, canonica tenenda norma, apprime callere debent judices ecclesiastici, facile alioquin in irritos atque injustos actus lapsuri. Ut autem ea sacræ disciplinæ pars, et clarius pateat, et accuratius firmetur, transcribemus primo leges ecclesiasticas, quibus determinata reperitur atque sancita : tum easdem leges expendendo et applicando, totam in eo negotio præscriptam agendi rationem deducemus.

I. *Præmittitur textus decretalium, quæ tenendam in casu recusationis normam præscribunt.* — In decretali 41, tituli 28, libri 2 Decretalium, sancivit Cœlestinus III hoc modo : « Postulas « edoceri, cum aliquis judicem tanquam suspectum recusat, « an causam suspicionis debeat allegare, et eam, nisi manifesta « sit, coram eodem judice probare teneatur. Utrum etiam « judex possit in eodem judicio et negotio procedere, si ille « qui suspicionem objicit, causam ejus aut non velit, vel non « possit in jure probare. — Consultationi tuæ respondemus « quod, cum aliquis judicem proponit se habere suspectum, « suspicionis causam coram eodem allegare tenetur : sed « partes, ut in aliquos non valde remotos conveniant, per « eumdem judicem debent cogi : coram quibus, si causa sus- « picionis infra terminum competentem probata non fuerit, « tunc demum auctoritate sua judex utetur. Quod si coram « ipsis causa suspicionis probata fuerit, causæ cognitioni super- « sedere tenebitur recusatus. Ipsa namque ratio dictat, quod « suspecti et inimici judices esse non debent. » Illi autem decretali præfigitur rubrica hæc : « Causa suspicionis propo- « nenda est coram judice qui recusatur, et probanda coram « arbitris. »

Magis determinate Innocentius III (in decretali 61, tituli 28, libri 2 Decretalium) rem definit his verbis : « Statuimus, ut si

« allegaverit se judicem habere suspectum, coram eodem cau-
« sam justæ suspicionis assignet; et ipse cum adversario, vel (si
« forte adversarium non habeat) cum judice, arbitros commu-
« niter eligat : aut si communiter convenire non possint, absque
« malitia ipse unum, et ille alium eligat, qui de suspicionis
« causa cognoscant : et, si nequiverint in unam concordare
« sententiam, advocent tertium; ut quod duo ex ipsis decre-
« verint, robur obtineat firmitatis : sciantque se ad id fidèliter
« exequendum, ex injuncto a Nobis in virtute obedientiæ, sub
« obtestatione divini judicii, districto præcepto teneri. Causa
« vero suspicionis legitima coram ipsis intra competentem
« terminum non probata, sua jurisdictione judex utatur. At
« ipsa probata legitime, de recusatoris assensu personæ idoneæ
« committat negotium recusatus, vel ad superiorem transmitta-
« tur, ut in eo ipso procedat secundum quod fuerit proceden-
« dum. »

Præit autem huic decretali rubrica ejusmodi : « Volens judi-
« cem recusare, debet coram eodem suspicionis causam proba-
« bilem proponere, et eam coram arbitris communiter eligendis
« probare : qua non probata, sua jurisdictione judex utitur in
« principali : ea vero probata, remittit negotium ad superiorem,
« vel causam committit de recusatoris assensu. »

II. *Ex præmissis ecclesiasticis legibus, quid juris communis emergat determinatur.* — 1° Tenetur recusans coram ipsomet recusato judice causam suspicionis exponere.

2° Debent postea eligi arbitri, qui de causa recusationis cognoscant et judicent.

3° Si adsit aliquis actor, debet electio arbitrorum ab actore et reo communi consensu fieri, si concordare in hoc possint : secus, debet reus unum arbitrum eligere, et adversarius alterum.

4° Si judex procedat ex officio, ita ut non sit adversarius qui in judicio contra reum agat, debet prædicto modo arbitrorum electio fieri a reo et a judice recusato.

5° Si duo arbitri sic electi concordare in ferenda sententia

nequeant, debent ipsi sibi adjungere tertium; et quod duo ex istis tribus pronuntiabunt, firmum erit.

6° Si ab arbitris suspicionis causa pronuntietur non legitima, judex recusatus, posthabita recusatione, in judicio procedet.

7° Si vero arbitri allegatam suspicionis causam pronuntient legitimam, jam nequit judex recusatus recusantem judicare; sed debet, vel ad tribunal superius causam remittere, vel eam alicui, de consensu recusantis, delegare. Quæ omnia aperte constant ex ipsismet allatis juris textibus.

Quæstio 3ª. — *Quomodo arbitri officium suum explere possint aut debeant?* — 1° Eorum potestas versatur dumtaxat circa causam suspicionis; de qua postquam pronuntiaverint, officio suo functi sunt. Unde ad ipsos nullatenus pertinet quidquam de causa principali decernere. 2° « Omnia quæ spectant ad arti-« culum suspicionis possunt arbitri peragere; veluti citare « testes, et compellere ad testificandum; eos, si delinquant, « punire; examinare; exceptiones contra personas, aut dicta « ipsarum admittere... » (Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 141.) 3° Omnibus perpensis, pronuntiare debent utrum suspicionis causa, a reo allegata, legitima sit necne. Duplex autem ab ipsis expendenda est legitimitas : juris nempe, et facti. *Legitimitas juris* tunc adest, quando causa allegata (sive falso allegetur, sive non) est de earum numero, quæ ex jure expresso, vel ex prudentum æstimatione, merito judicem suspectum reddunt : talis est, verbi gratia, consanguinitas judicis cum adversario rei. Si e contra allegaretur suspectus judex, ex eo quod, verbi gratia, sit balbus vel gibbosus, non adesset legitimitas juris; quia tales defectus, etsi revera existere in judice probentur, eum nequaquam merito suspectum reddunt. Adest insuper *legitimitas facti*, quando causa quæ, si existeret, merito judicem suspectum redderet, probatur *de facto* existere.

Est autem legitimitas juris prius ab arbitris exploranda; quia inepte inquireretur an causa allegata existat *de facto*, si

causa illa, etiamsi revera existat, suspectum judicem reddere nequeat. Hinc in formula sententiæ ab arbitris pronuntiandæ, de utraque causæ legitimitate, juris nempe et facti, solet mentio fieri, et de utraque expresse decerni. 4° Adhiberi debet ab arbitris, ad acta authentice conficienda, notarius seu cancellarius; sed vocare ad id officii possunt ipsummet actuarium episcopalis curiæ. 5° Pronuntiata sententia, debent arbitri acta omnia ad judicem recusatum transmittere; quibus acceptis, is prout supra dictum fuit, sese geret.

Quæstio 4ª. — *Quænam sint recusandi judicis legitimæ causæ?* — « Hoc certo definiri nequit, sed arbitris plerumque ad id elec-« tis examinandum relinquitur... Justa interim et indubitata « reputatur (causa) illa, quam canon vel lex pro tali habent. « Tales autem variæ recensentur : et possunt reduci ad tria « capita :

« 1° Quando judex recusatus est recusatoris inimicus : quod « præsumi potest; *primo*, si litem seu judicialem controversiam « habeat cum judice... *Secundo* si judex illi minatus sit quod, « occasione oblata, ei velit nocumentum inferre. *Tertio*, si si-« gnum benevolentiæ ipsi deneget, quod aliis ejusdem conditio-« nis et status hominibus exhibere solet.

« 2° Quando judex recusatus habet specialem affectionem « aut relationem ad adversarium recusantis. Colligitur hæc, « *primo*, si judex sit alterius partis consanguineus vel affinis « (capite *Accedens* 4, *Ut lite non cont.*). *Secundo*, si dominus « (capite *Causam* 17, *de Officio deleg.*). *Tertio*, si socius vel « collega (capite *Cum R.* 35, ejusdem tituli). *Quarto*, si fami-« liaris, magna scilicet, non modica familiaritate (capite *Insi-« nuante* 25, ejusdem tit.). *Quinto*, si patronus vel cliens (lege « *Lex* 5, ff. *de Jurejur.*).

« 3° Quando judex recusatus habet specialem affectionem « erga causam quæ proponitur in judicio. Talem habere cen-« setur, *primo*, si in eodem negotio egerit advocatum vel pro-« curatorem. *Secundo*, si ut privatus similem causam habeat in « alio tribunali. *Tertio*, si ex causa in judicio proposita speciale

« aliquod emolumentum redundaturum sit in ipsum judi-« cem. »

Quæstio 5ª. — *Ex eo quod Episcopus sit merito suspectus, num recusari possit ejus vicarius generalis, et vice versa?* — Quoad utramque partem occurrit inter doctores controversia, prout videre est apud Leurenium (*de Vicariis generalibus Episcoporum*, quæstione 90 et 91), qui rationes hinc inde allatas exhibet.

Sed quidquid sit de quæstione theorica, in praxi videtur controversia evanescere. Nam qui vult simul Episcopum et ejus Vicarium recusare, dicet sibi suspectum esse Episcopum ex eo quod suspectus sit ejus Vicarius, vel vice versa. Proposita autem hoc modo recusationis causa, nequaquam dici potest *frivola;* cum gravissimi auctores eam e contra ut legitimam habeant. Sed quoties proposita suspicionis causa non est *aperte frivola*, certum est teneri judicem ad supersedendum cognitioni causæ, et eligendos esse arbitros; ergo in dicto etiam casu (practice considerato) ab arbitris electis causa suspicionis decidenda erit. Quid autem arbitri in hoc casu decidere debeant, videtur a circumstantiis esse desumendum. Pro modo enim quo sese habent, sive in seipsis, sive ad invicem, Episcopus et ejus Vicarius, legitima vel illegitima prudenter æstimari ab arbitris poterit dicta suspicionis causa. Regulariter tamen ob conjunctionem intimam Episcopi ejusque Vicarii, atque ordinariam in invicem propensionem, legitima suspicione satis vacare non videtur, si unus causam illam judicet, in qua alter tanquam suspectus merito fuit recusatus.

Nota 1. Communiter tenent doctores recusari posse tanquam suspectum judicem, ex eo quod ejus assessor merito suspectus sit. (Vide Leurenium, loco cit.)

Nota 2. Quoad delegatum Episcopi, quia habet tribunal ab episcopali diversum, tenent multi cum Sbrozio eum recusari non posse, ex eo quod merito suspectus sit Episcopus. (Vide pariter Leurenium, cit. loco, q. 90.)

CAPUT IX.

DE RECONVENTIONE SEU MUTUIS PETITIONIBUS.

Solet interdum reus, cum actoris libellum viderit, alium et ipse libellum conficere et judici porrigere, contra ipsummet actorem. Tunc vero reus conventus *reconvenire* dicitur. Quæ reconventio in jure canonico *mutua petitio* nuncupatur, eo quod reus vicissim reagat in actorem, et sic oriantur duæ mutuæ seu reciprocæ petitiones. Cum autem ejusmodi reconventiones, etiam ante contestatam litem, proponi possint et soleant, ad tradendam hic de iis notionem, ipso telæ judiciariæ contextu adducimur.

Quæstio 1ª. — *Quid proprie sit reconventio?* — « Definiri « reconventio potest : actus quo reus post oblatum et visum « actoris libellum, vicissim aliquid ab eo petit coram eodem « judice, ac in eodem judicio, etiamsi alias judex ille non esset « actoris competens. » Ita Schmalzgrueber (in tit. 4, libri 2 Decret., n. 1), qui ibidem varios juris textus indicat ad ostendendam traditæ definitionis legitimitatem; tum subdit : « Ut « rite intentetur et peragatur, duo debent concurrere : *unum* « est, ut coram eodem judice, quem actor, forum rei sequens, « elegit, instruatur ; alias simplex conventio potius quam recon- « ventio erit : *alterum* est, ut mutua petitio ac reconventio pro- « ponatur durante eodem judicio; alias effectus sibi proprios « non operabitur. »

Sicut autem in jure Justinianeo, ita et in canonico receptam esse reconventionem, patet ex toto titulo *de Mutuis petitionibus* (4, libri 2 Decretalium).

Quæstio 2ª. — *An durante judicio conventionis, possit reus actorem reconvenire coram alio judice?* — Respondendum negative, ut satis patet ex præmissa definitione. Et ratio est ne coram diversis judicibus eodem tempore agatur; et ne hoc

modo reus possit contra se intentatam actionem elidere. Quæ generalis regula extra controversiam est.

Excipiuntur tamen duo casus : *primus*, si causa reconventionis talis sit, de qua judex quem actor adiit, nullo unquam tempore cognoscere possit ; puta, si causa reconventionis sit spiritualis, et dictus judex laicus : *secundus*, si dictus judex reo suspectus sit : tunc enim transmisso ad eum libello, potest reus intra 20 dierum spatium suspicionis causam proponere, et hac probata, coram alio subrogato utramque litem ventilare. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 4, lib. 2 Decr., n. 2.)

Quæstio 3ª. — *An actor reconventus possit declinare judicem quem ipse adivit, sub prætextu quod ipsius jurisdictioni non subjaceat?* — Casus est iste : Titius diœcesis Blesensis clericus, coram Blesensi Episcopo conventus est a Caio, qui est e diœcesi Aurelianensi : si ipse Caium reconveniat coram dicto Blesensi Episcopo, an poterit Caius forum illum declinare dicendo, se esse Aurelianensi Episcopo, non Blesensi, subjectum? Omnino negative respondendum est, atque in hoc unanimes sunt doctores. Expresse enim ita disponitur pluribus Justinianei juris textibus, sacris consonantibus canonibus. (Vide dictos textus apud Schmalzgrueber, citato loco.)

Quæstio 4ª. — *An reconventio locum habeat in omnibus causis civilibus?* — 1° « Respondeo habere locum in omnibus quæ « specialiter in jure non sunt exceptæ. Consentiunt commu« niter doctores. » (Schmalzgrueber, in tit. 4, libri 2 Decret., n. 9.) Et hoc verum est etiam quoad causas *summarias*, ut facile colligitur ex *Clementina* 2, *de Verborum significatione*. Item procedit hæc generalis regula, etiam in casu quo diversi generis foret reconventionis causa, ita ut, verbi gratia, vocanti me in judicium actione *empti*, proponere possim actionem *mutui* : ratio est quia jura quibus reconventio est introducta, facultatem reconveniendi nullatenus restringunt ad causas ejusdem speciei.

2° Causæ autem quæ a jure specialiter excipiuntur, ne possit in iis fieri reconventio, sunt sequentes : *Primo*, causæ *execu-*

tivæ, id est, paratam habentes executionem. (Vide Schmalzgrueber, citato loco.) *Secundo*, causa *depositi*, ut constat capite *Bona fides* (2, *de Deposito*), et pluribus Justinianei juris textibus. *Tertio*, causa *appellationis;* quia judex appellationis potestatem non habet, nisi ad judicandam causam in prima instantia judicatam. *Quarto*, causa *spolii;* actor scilicet, qui re, quam possidebat, a reo spoliatus est, dum petit se restitui in possessionem, non potest a reo reconveniri; sed ante omnia in possessionem rei ablatæ restituendus est. Excipitur tamen casus quo reus vicissim contenderet rem aliam quam possidebat sibi ab actore fuisse ablatam, et super hoc reconventionem faceret. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 4, lib. 2 Decr., n. 10.)

Quæstio 5ª. — *An etiam in causis criminalibus locum habere possit reconventio?* — « Respondeo distinguendo inter quatuor « casus de quibus dubium istud potest procedere : vel enim « 1° civiliter conventus vult criminaliter accusare; vel 2° ac- « cusatus criminaliter vult accusatorem civiliter convenire; « vel 3° accusatus civiliter vult etiam civiliter accusare; vel « denique 4° criminaliter accusatus vult accusatorem suum « etiam criminaliter reaccusare.

« Si *primum*, locus est reaccusationi, ut ex communi reso- « lutione docet Gonzalez..., Pirrhing..., Viestner...; et sumi- « tur ex lege finali, c. *de Ordin. judic.* Ratio est, quia causa « criminalis est privilegiata, ut ea pendente, super qualibet civili « supersedeatur. Et hinc si hoc fiat, super causa civili, ante mota « ab actore, sententia ferri non poterit, usque dum pronuntia- « tum super criminali opposita a reo fuerit.

« Si *secundum*, reconventio non admittitur (lege *Consensisse*, « ff. *de Judic.*); quia causa criminalis, tanquam magis princi- « palis, facit silere civilem (lege finali, ff. *de Judic.;* et lege « *Adulterii* 33, c. *ad Leg. Jul. de Adult.*) : hinc, illa pendente, « civilis intentari non potest.

« Si *tertium*, locum habet reconventio... Ratio est, quia reus « proprium suum interesse prosequitur, et reaccusatio magis « adhæret naturæ reconventionis civilis.

« Si *quartum*, non potest accusatus reaccusare accusatorem « suum. (Canone *Neganda* 2, et sequentibus, causæ 3, q. 11; « — lege *Neganda* 19, c. *de His qui accusare;* — et lege *Si* « *quis reus* 5, ff. *de Public. judic.*) Ubi (1) eleganter Ulpianus « ait : *Constitutionibus observari, ut non relatione criminis, sed* « *innocentia reus purgetur.* Excipe 1° quando accusatus prose- « quitur suam vel suorum injuriam ; tunc enim reaccusatio- « nem leges concedunt cuivis, et consequenter etiam adversus « accusatorem suum. (Lege *Neganda* 19, c. *de His qui accu-* « *sare.*) 2° Non excluditur recriminatio quæ reum relevat, et « crimen quo premitur exuit. (Lege *Qui cum* 14, ff. *de Bonis* « *libert.*) 3° Potest accusare de majori crimine; quia majus « trahit ad se minus; et interest reipublicæ majus delictum « citius puniri. 4° De quocumque crimine potest reus reaccu- « sare, si crimina sint connexa. Ita praxis omnium fere tribu- « nalium. 5° Denique de quovis crimine reaccusatio fieri po- « test coram judice, qui sit competens respectu utriusque. » (Schmalzgrueber, in tit. 4, lib. 2 Decret., n. 11.)

Quæstio 6ª. — *Quisnam sit effectus reconventionis ?* — « Ef- « fectus ex ea oritur duplex. *Primus* est prorogatio juris- « dictionis; quia per reconventionem actor reconventus ita « subjicitur judici coram quo causam agit, ut in causa recon- « ventionis eumdem (licet alias sibi incompetentem) recusare « non possit... *Secundus* effectus est processus simultaneus ; « quia causa reconventionis simul cum causa conventionis tra- « ctanda est. Modus autem hic observandus : 1° cum actor libel- « lum conventionis et reus libellum reconventionis obtulerit, « prius respondere debet reus libello actoris, et dein actor li- « bello rei. 2° Sequitur contestatio litis, et post hanc actus judi- « ciales; qui de utraque causa vicissim, et si fieri potest eadem « die expediri debent (capite *Intelleximus*, et capite sequenti, *de* « *Ordine cognitionum ;* juncta Clementina 2, versu *Nos usum*, « *de Verborum significatione*). 3° Si de utraque simul liqueat,

(1) Nempe in postremo citata lege *Si quis reus*.

« utramque judex terminabit una sententia (capite 1 *de Mutuis* « *petitionibus*). Si alterutra majorem indaginem exigat, altera de « qua jam liquet, suspendi debet, usque dum etiam de altera « liqueat, ut sic demum una sententia utraque terminari pos- « sit... 4° Sententia sic concipitur, ut in ea primo scribatur « caput conventionis, deinde caput reconventionis...; ita ut « semper prærogativa detur actori. » (Schmalzgrueber, in tit. 4, libri 2 Decret., n. 12.)

Quæstio 7ª. — *Quo tempore proponi debeat reconventio ut prædictos effectus operetur?* — « Ut utrumque effectum operetur « reconventio (simultanei processus et prorogationis), necesse « est eam proponi ipso litis exordio (capite *Ex litteris* 1, *de* « *Mutuis petitionibus;* Clementina 2, versu *Verum*, *de Verborum* « *signif.;* et authentica *et consequenter*, c. *de Sent. interloc.*); « aut saltem *statim* post litis contestationem; nam ea quæ in « continenti fiunt, inesse creduntur... Si post litem contestatam « moveatur reconventio, solum effectum prorogationis habet... « Potest autem reconventio, ad effectum prorogationis solum « impetrandum, proponi toto tempore quo durat idem judi- « cium. » (Schmalzgrueber, citato loco, n. 13.)

SUBSECTIO III.

TELA PROCESSUS CRIMINALIS, A CONTESTATIONE LITIS USQUE AD SENTENTIAM DEFINITIVAM EXCLUSIVE.

In superiori subsectione, processus criminalis normam expendimus, quoad ea quæ judicium proprie dictum præcedunt, idest, usque ad litis contestationem; per quam *judicium proprie dictum* incipere, solemne est apud jurisperitos effatum. Nunc ejusdem processus telam prosequendo, usque ad sententiæ definitivæ prolationem contexendam suscipimus.

CAPUT I.

DE LITIS CONTESTATIONE.

De ea canonistæ præcipue disserunt relative ad processum civilem fori ecclesiastici. Ubi vero criminalis processus normam tradunt, vix litis contestationem commemorant. Nos scitu magis necessaria quoad utrumque processum hic exponemus.

Quæstio 1ª. — *Quid sit litis contestatio?* — « Est fundamentum judicii, per petitionem actoris in jure propositam, « et congruam rei responsionem secutam, animo litigandi. » (Schmalzgrueber, in tit. 5, libri 2 Decret., n. 2.) Concordant quoad sensum canonistæ omnes, contestationem litis reponentes in his tribus : 1° ut fiat petitio ab actore et responsio a reo ; 2° ut ejusmodi petitio et responsio fiant in jure, idest, coram judice ; 3° ut responsio fiat cum animo litigandi (1).

An et quomodo notio hæc criminali etiam processui sit applicabilis, mox expendemus.

Quæstio 2ª. — *Utrum contestatio litis sit in omni judicio necessaria?* — Referemus hic primo regulam generalem a doctoribus receptam ; secundo exceptiones ad eamdem regulam ; tertio adnotabimus non liquere, num eam regulam de criminali etiam judicio intelligant.

I. *Regula generalis communiter admissa.* — « An litis con- « testatio requiratur ad substantiam judicii ? Respondeo affir- « mative; et quidem adeo ut, ea prætermissa, regulariter « loquendo totus processus sit irritus et consequenter etiam

(1) Derivatam *contestationis* vocem inde nonnulli volunt, quod olim apud Romanos, antequam certa lege judiciaria res ordinaretur, solerent litigantes ambo suos quisque testes secum adducere, ipsisque coram judice stantibus dicere, *testes estote.* Quod cum in desuetudinem abiisset, retenta vox est ad designandam actoris petitionem, et rei responsionem coram judice factam.

« sententia : et receptum est passim apud doctores. » (Schmalzgrueber, in tit. 5, libri 2 Decret., n. 4.) Eam autem regulam eruunt canonistæ, tum ex nonnullis Justinianei juris textibus, tum ex decretali *Olim* (capite unico, tituli 5, libri 2 Decret.), in qua sic Gregorius IX : *Quamvis positiones et responsiones hinc inde super pluribus articulis factæ fuerint coram judicibus memoratis, quia tamen litis contestationem non invenimus esse factam* (*cum non per positiones et responsiones ad eas, sed per petitionem in jure propositam, et responsionem secutam contestatio litis fiat*), *processum ipsorum, de fratrum nostrorum consilio irritum duximus nuntiandum.* Ad probandum necessariam esse litis contestationem, adducunt etiam canonistæ ipsammet inscriptionem tituli 6, libri 2 Decretalium, quæ sic habet : *ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam.* Unde revera dicta contestationis necessitas, tanquam regula generalis admittitur.

II. *Exceptiones ad præfatam generalem regulam.* — « Dixi « *regulariter loquendo :* nam in aliquibus casibus judicium sub- « sistit etiam sine contestatione litis. Et quidem 1° in judiciis « summariis... 2° In causis appellationis... 3° In causis notoriis... « 4° In causa coram Papa... 5° Universim in omnibus casibus « in quibus non requiritur libellus ; cum enim libellus sit origo « litis, remisso libello, remittitur etiam litis contestatio. » (Schmalzgrueber, in tit. 5, libri 2 Decret., n. 4.)

III. *Num præfatam generalem regulam de processu etiam criminali auctores intelligant?* — Non plane liquet tum quia ubi dictam necessitatem urgent, de processu dumtaxat civili plerumque agunt ; tum quia juris textus ab ipsis adducti ad eumdem civilem processum referuntur. Unde quæstio hæc, an in processu etiam criminali nessaria sit litis contestatio, non obstante præfata generali regula, remanet adhuc plenius enucleanda. Ad quod sit

Quæstio 3ª. — *An etiam in processu criminali fiat litis contestatio?* — « Respondetur affirmative ; non tamen servata so-

« lemnitate ut in causis civilibus; sed per interrogationem ju-
« dicis et responsionem rei inducitur litis contestatio, etiamsi
« procedatur per accusationem et accusator non sit præsens. »
Ita Pellegrini (*Praxis Vicariorum*, parte 4, sect. 9, n. 55), qui multos citat auctores idem tradentes, et postea subjungit hoc modo : « Bene verum est, quod in aliquibus curiis ecclesiasticis
« aliter proceditur quoad litis contestationem quando adest accu-
« sator, et aliter quando agitur per viam inquisitionis. Primo
« enim casu, si agatur per viam accusationis, citari solet reus
« ad contestandam litem super accusatione.... Quando vero pro-
« ceditur per viam inquisitionis, non fiunt dictæ citationes ad
« contestandam litem, quia non est persona cum qua contestari
« lis possit; sed bene fit alius actus, æquivalens litis contesta-
« tioni, scilicet responsio rei super inquisitione, dum per judi-
« cem examinatur. »

Quæstionem propositam enucleatius perscrutando, distinguenda videntur tempora. Antiquitus enim, ut supra (subsect. 1, cap. 5, prop. 1) ostendimus, in causis criminalibus procedi non poterat nisi *per accusationis viam*; et tunc semper fiebat, et requirebatur, accusatum inter et accusatorem, litis contestatio. Unde attento hoc jure communi, vera reperitur, etiam quoad processus criminales, de litis contestationis necessitate generalis regula. Postea vero, a temporibus præsertim Innocentii III, inducta est insuper *inquisitionis via*. In hac autem criminalis processus forma, etsi pro actore quodammodo habeatur fama publica, qua præeunte reus in judicium vocatur, deest tamen proprie dictus actor cum quo litis contestatio fieri possit. Hinc merito sublata contestandæ litis necessitas, et consequenter etiam necessitas specialiter ad hoc citandi reum, ut litem contestetur; cujus contestationis loco, sufficere interrogatorium, seu *constitutum* (ut vocant) rei, idest, examinantis judicis interrogationes, et rei sic interrogati responsiones, ubique admissum est.

Hinc circa necessitatem contestandæ litis in causis criminalibus, videtur sic respondendum : si per viam accusationis

procedatur, accusatum inter et accusatorem adhuc hodie de jure communi litis contestatio necessaria censenda est : si vero per inquisitionis viam, sufficit reum constitui, id est a judice interrogari.

Quæstio 4ª. — *Quinam ex litis contestatione sequantur effectus?* — « 1° Per contestationem litis incipit judicium, quod « ante eam, proprie et simpliciter loquendo, inchoatum dici « nequit... 2° a tempore litis contestatæ incipit currere in- « stantia... 3° actio personalis per contestationem litis fit « litigiosa... 4° lite non contestata, sententia definitiva ferri « non potest... 5° lite contestata, judex amplius recusari non « potest, nisi supervenerit nova suspicionis causa... 6° litis « contestatio præcludit viam opponendi exceptiones dilatorias, « nisi de iis antea fuerit interjecta protestatio, aut ex nova « causa emerserint, vel novissime emerserint... 7° litis conte- « statio interrumpit præscriptionem *longi* temporis (scilicet 10 « vel 20 annorum), quam inchoavit reus... 8° per contestationem « litis, temporalis actio perpetuatur ad 40 annos, a tempore « contestatæ litis computandos... 9° lite contestata, actiones « pœnales, quæ ex delictis vel quasi delictis descendunt, ad « hæredes et in hæredes in solidum transeunt.. 10° per litis « contestationem quasi contrahitur inter litigantes, ut neuter, « adversario suo invito, possit discedere, nisi tanquam temera- « rius litigator ad damna et expensas adversario suo resarciendas « condemnari velit... 11° post litem contestatam possessor bonæ « fidei constituitur in mala fide quoad fructuum perceptionem ; « ita ut illos a die contestatæ litis non amplius lucretur, sed con- « servare illos et actori, si litem obtineat, restituere teneatur... « 12° lite contestata non amplius currit præscriptio, sed inter- « rumpitur, etsi tempus legitimum ante sententiam latam ab- « solvatur ; 13° missus in possessionem in reali actione, post « litem contestatam fit verus possessor. » Hos effectus enumerat, et juris textibus firmat Schmalzgrueber (in tit. 5, libri 2 Decret., n. 8).

Nota. Quibus modis fiat contestatio litis; et eam non induci

dum reus exceptiones suas opponit; nec etiam dum respondet petitioni actoris, si expresse protestetur se respondere sine intentione contestandi litem, vide apud laudatum auctorem (citato loco, n. 6).

CAPUT II.

DE JURAMENTO CALUMNIÆ, UBI ET DE JURAMENTO VERITATIS ET MALITIÆ.

Dicemus 1° quid sint ejusmodi juramenta; 2° quomodo, usque ad recentiora tempora, intellectum fuerit a canonistis jus commune circa usum ejusmodi juramentorum in causis civilibus; 3° et quomodo in causis criminalibus; 4° quænam hodiernis temporibus generalis praxis invaluerit et servanda sit a judicibus ecclesiasticis.

§ I.

Quid sit juramentum calumniæ, veritatis et malitiæ.

Quæstio 1ª. — *Quid sit juramentum calumniæ?* — Calumniæ vocabulo apud jurisperitos non tantum exprimitur falsorum criminum intentatio, sed etiam quælibet fraus in litibus adhibita. Hinc juramentum calumniæ, seu de vitanda calumnia, illud est quo uterque litigans jurat, se bona fide causam suscepisse et velle prosequi, nullum falsum crimen intentando, nihil fraudis adhibendo. Binas de illo juramento definitiones exhibet Schmalzgrueber hoc modo : *Est juramentum quo partes litigantes jurant, quod in judicio, tam agendo, quam excipiendo et defendendo, absque fraude et calumnia versari, omniaque bona fide peragere velint.* Vel, ut alii, brevius : *Est juramentum a litigantibus super causa bona fide suscepta et deinceps prosequenda præstandum.* (In tit. 7, libri 2 Decret., n. 2.) Ex

qua notione sequitur juramentum calumniæ versari circa totam litem : item ad illud non esse necessario concedendas dilationes; quia litigans statim dicere potest, utrum *credat* necne suam causam esse justam : non enim jurat suam causam esse bonam, sed se credere eam esse bonam.

Quæstio 2ª. — *Quid sit juramentum veritatis et malitiæ?* — Juramentum veritatis illud est quo quis jurat se velle veritatem dicere. Unde implicite continetur in juramento calumniæ, quia qui juravit se omnem fraudem vitaturum, juravit hoc ipso implicite de dicenda veritate. Nihilominus post præstitum initio litis calumniæ juramentum, locum habere potest circa speciales articulos juramentum veritatis. Atque idem dicendum de *juramento malitiæ;* quo nempe litigans jurat se, per tale suum dictum aut factum, nequaquam fraudem adversario moliri; sed bona fide, ad jus suum prosequendum, agere.

§ II.

Quomodo usque ad recentiora tempora intellectum fuerit a canonistis jus commune quoad ejusmodi juramenta in causis civilibus ?

Prænotandum. — Decretales quæ de hac materia statuunt, brevitatis causa non transcribimus. Eas reperiet lector sub titulo 7, libri 2 Decretalium, necnon sub titulo 4, libri 2, in sexto. (Adeundus etiam titulus 49, libri 2 *Justinianei codicis.*) Ejusmodi decreta chronologice percurrendo, et ad invicem conferendo, advertet nonnullas temporum decursu intervenisse variationes, quas adnotat Giraldi (*Expositio juris Pontificii*, tom. 1, sectione 233 et seq., necnon sectione 275). Iis autem perpensis, jus commune quoad dicta juramenta in causis civilibus præstanda, determinari solet a canonistis ut sequitur :

Quæstio 1ª. — *An et quo sensu in causis civilibus præstari debeat juramentum calumniæ, veritatis et malitiæ?* — I. *Necessario præstari debet juramentum calumniæ, quando alter-*

utra pars litigantium id postulat. — Vide id probatum apud Schmalzgrueber (in tit. 7, libri 2 Decret., n. 4); qui auctor ibidem exponit, quomodo tunc possit judex partem recusantem ad dictum juramentum præstandum cogere; item quomodo tunc vitietur processus ex juramenti omissione.

II. *Si neutra pars litigantium dictum juramentum exigat, omitti potest, quin vitietur processus.* — Constat ex decretali *Si de calumnia* (1, tit. 4, libri 2, in 6), in qua sic statuit Bonifacius VIII : *Propter omissum quoque tacite in tota causa calumniæ juramentum, judicialis processus, alias factus legitime, non est nullus nec etiam annullandus.* In qua decretali verbum illud *tacite* communiter a doctoribus interpretatur de casu, quo neutra pars juramentum istud præstari postulat. Non possent tamen partes per pactum *expressum* renuntiare formalitati de juramento calumniæ, prout communissime tenent doctores. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 7, libri 2 Decret., n. 5.)

III. *Non est necesse dictum juramentum præstari statim post contestatam litem, sed et postea præstari potest.* — Constat ex modo citata decretali, in qua id expresse statuitur his verbis : *Si de calumnia, seu de veritate dicenda, in primo litis exordio non juretur* (*ut debet*), *poterit postmodum in qualibet parte litis jurari : cum hujusmodi juramenta præstari ab initio, de substantia ordinis judicialis non existat.*

IV. *Juramentum calumniæ præstandum est etiam in causis spiritualibus.* — Id enim decrevit Bonifacius VIII his verbis : « Quamvis in causis spiritualibus (in quibus debet de veritate « dicenda jurari) canones non indicant alicui calumniæ jura- « mentum, nos tamen (quia frequenter calumniari videmus in « ipsis) utile reputamus, quod simul (sicut plerique observant) « tam de veritate dicenda, quam de calumnia (ut via præcluda- « tur calumniis), jurari debeat in iisdem. » (Caput 1, tit. 4, libri 2, in 6.)

V. *In causa etiam appellationis præstari debet juramentum calumniæ, necnon juramentum veritatis.* — Id pariter decrevit Bonifacius VIII (cap. 2, tit. 4, lib. 2, in 6) his verbis : « In ap-

« pellationis causa (quanquam in principali juratum fuerit) « præstari jubemus calumniæ juramentum. Et idem in jura- « mento de veritate dicenda volumus observari. »

VI. *Quando pars, jam præstito juramento calumniæ, procuratorem sibi substituit, is tenetur etiam idem juramentum præstare.* — Expresse id decrevit Bonifacius VIII capite *In appellationis* (2, tit. 4, lib. 2, in 6).

VII. *Potest litigans per procuratorem præstare juramentum calumniæ, modo ei speciale ad hoc mandatum tribuat.* — Expresse decisum id fuit a Bonifacio VIII (capite 3, libri 2, tit. 4, in 6).

VIII. *Judex quoties sibi videtur potest exigere juramentum malitiæ, etiamsi jam emissum fuerit juramentum calumniæ et juramentum veritatis.* — Expresse decretum a Bonifacio VIII (capite 2, tit. 4, lib. 2, in 6, § 2).

Quæstio 2ª. — *A quibus juramentum calumniæ præstari debeat?* — I. Est regula generalis ejusmodi juramentum esse præstandum a quolibet actore et reo ; ut patet ex juribus quæ dicti juramenti præstationem decernunt. Ab hac tamen regula generali excipiendi sunt :

Primo, principes ; quia eorum dignitas excludit suspicionem calumniæ.

Secundo, procurator seu promotor fiscalis ; « non quidem « de jure communi (in hoc enim ipsi juramentum istud nus- « piam remissum reperitur) ; sed de consuetudine. » (Schmalzgrueber, in tit. 7, libri 2 Decr., n. 7.)

Tertio, clerici qui agunt coram proprio suo judice ecclesiastico, et de causa ecclesiarum suarum ; tunc scilicet sufficit eos jurare per syndicum vel procuratorem : secus si agant in propriis suis causis. (Vide Schmalzgrueber, loco citato, n. 8.)

Quarto, Episcopus : is enim potest per procuratorem juramentum emittere. Si tamen vellet per seipsum litigare, deberet personaliter juramentum calumniæ edere. (Vide id firmatum apud Schmalzgrueber, citato loco.)

Quinto, communitates : eæ enim jurant per syndicum seu procuratorem suum generalem, si quem constitutum sibi habeant. Si nullum haberent ejusmodi procuratorem, jurare deberet communitatis prælatus, vel solus (si causa de iis sit quas potest in judicio suscipere absque consensu conventus sui) vel (si secus) cum majori parte conventus.

II. Ad præstandum juramentum calumniæ tenentur etiam procuratores. (Vide Schmalzgrueber, in titulo 7, libri 2 Decret., n. 11.

III. De jure communi, tenerentur etiam juramentum calumniæ emittere advocati seu patroni causarum : verum de consuetudine id jam non servari in curiis ecclesiasticis, vide apud Schmalzgrueber (citato loco).

Quæstio 3ª. — *Quo ritu præstari debeat calumniæ juramentum ?* — 1° Defertur auctoritate judicis ; 2° præstatur coram eodem judice ; 3° præsente adversario vel ejus procuratore ; 4° tactis sacris scripturis, si jurans non sit in sacris constitutus ; propositis tantum Evangeliis, et manu pectori admota, si jurans sit Episcopus, vel etiam clericus in sacris constitutus. (Vide Schmalzgrueber, loco cit., n. 14.) Formulas autem quæ in hoc emittendo juramento adhiberi solerent, vide apud Pellegrini (*Praxis Vicariorum*, parte 2, sectione 2, subsectione 2, n. 15).

Quæstio 4ª. — *Quænam sit pœna recusantis præstare juramentum calumniæ ?* — Eam sic decrevit Gregorius IX : « Pœna « vero recusantis hoc juramentum, cum præstandum fuerit, « est, ut actor ab instituta cadat actione : reus autem haberi « debeat pro confesso. » (Cap. 7, tituli 7, libri 2 Decret.)

§ III.

Quomodo ante recentiora tempora a canonistis communiter intellectum fuerit, juramentum calumniæ in causis etiam criminalibus esse præstandum.

Canonistarum doctrina de necessitate emittendi, etiam in

causis criminalibus, juramenti calumniæ, resumi potest in hunc modum : primo, præstandum est in causis criminalibus civiliter intentatis. Secundo, in criminalibus criminaliter intentatis, præstandum certo est ab accusatore, si adsit accusator. Tertio, in iisdem criminaliter intentatis, reus (ex communi doctorum sententia) non tenetur illud juramentum præstare si causa capitalis sit; tenetur si causa non sit capitalis. Hæc vide evoluta apud Schmalzgrueber (in tit. 7, lib. 2 Decret., n. 12).

Hinc juris dispositiones de juramento calumniæ, veritatis et malitiæ, in causis etiam criminalibus locum habere, fuit canonistis persuasum ; atque ab hac generali regula excipiebant dumtaxat *causas capitales*, in quibus non teneri reum ad præstandum calumniæ juramentum, tradebant communiter.

§ IV.

Quænam hodiernis temporibus generalis praxis invaluerit, et servanda sit ab ecclesiasticis judicibus.

I. *Juramentum de veritate dicenda exigendum non est a reo principali criminaliter examinato.* — Nam *primo*, id omnino certum est quoad loca decretis concilii provincialis Romani (anno 1725, sub Benedicto XIII celebrati) subjecta; siquidem hujus synodi titulo 13, capite 2, sic decernitur : « Repre-« hensibile judicari non debet, si secundum temporum varie-« tates, ubi id necessitas vel utilitas exposcat, consuetudines « et leges quandoque varientur humanæ.... Stylum itaque in « quibusdam curiis sæcularibus et ecclesiasticis, nullo unquam « jure præceptum, inolevisse perpendimus, ut judices.... reos « criminali facinore accusatos examinaturi, juramentum ab his « præstari jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, « quotidiana sicuti est experientia compertum, nec in fisci « favorem, nec contra reos ipsos (qui ut plurimum patrata a « se negant delicta), utilitatis aliquid elici non ignoratur ;

« adeo ut peculiari in hac facti contingentia, nedum talia « deinceps juramenta exigendi necessitas non adesse probe- « tur, imo potius, ne illa penitus exigantur, sacri ipsa jura- « menti ratio postulet ac suadeat; hinc est quod Nos, ratio- « nibus utrinque perpensis, et quamplurium inhærentes « insignium tribunalium praxi, juramentum ipsum, per reos « sic criminaliter inquisitos præstandum, consulto (dum uti « principales tantummodo constituuntur) tollendum et sub- « movendum ducimus; prout, sacro etiam approbante Con- « cilio, præsenti hac constitutione omnino tollimus ac submo- « vemus. Nec juramentum hujusmodi ullatenus a reis eisdem « (nisi tamen ut testes quoad alios examinentur), in futurum « per quoscumque judices et ministros, sub quovis prætextu, « causa et quæsito colore, volumus exigatur; alias examen sive « constitutum, ac acta omnia nulla sint eo ipso et irrita, om- « nique careant contra reos effectu. »

Secundo, quamvis citata constitutio jus non faciat nisi quoad provinciam romanam, tamen validissimæ rationes quæ in ipsa allegantur, vehementer suadent ut ubique observetur, et contraria consuetudo de medio tollatur, prout adnotat Giraldi (*Jus Pontificium*, tom. 1, sect. 275).

Tertio, de facto hodie omnes generaliter ecclesiasticæ curiæ dictam constitutionem sequuntur; ita ut generalis ea praxis pro jure communi jam haberi possit.

II. Existimant recentiores canonistæ non pauci, extendendam prædictam dispositionem ad causas etiam civiles, quando sunt *famosæ* (quibus nempe reus damnatus infamis redditur, quales sunt, verbi gratia, causæ usurarum): imo et ad causas civiles quaslibet, si sint *arduæ* seu *notabiles*. (Vide Giraldum, loco citato.) Id concludunt ex eo quod etiam tunc maximum immineat perjurii periculum; in quo casu, ut omittatur juramentum de veritate dicenda, generalis pariter praxis obtinuit.

III. Juramenta *calumniæ* et *malitiæ* in foro ecclesiastico obsolevisse, ita ut in nullo jam casu adhiberi soleant, pro certo haberi potest.

IV. Unde tandem juramento *veritatis* dumtaxat hodie locus remanet, et dumtaxat sub dictis limitibus: ita nempe ut exigi nequeat a reo, nec in causa criminali, nec in causa civili famosa aut ardua. In cæteris autem causis civilibus poterit judex ad illud recurrere in supplementum probationum, tum auctoritate propria illud actori vel reo imponendo, tum ex instantia alterius partis alteri deferendo.

CAPUT III.

DE EXAMINE REI.

In causis criminalibus, vel proceditur via accusationis, vel via inquisitionis : si prius, fit primum contestatio litis accusatorem inter et accusatum super libello ab accusatore porrecto; et dein examinatur reus : si posterius, contestatio litis non differt ab examine rei ; sed per ejusmodi examen fieri censetur.

Nunc in peragendo ipso rei examine, quæ norma tenenda sit, expendendum occurrit. Atque imprimis cum Pellegrino præmittimus, ad reorum delinquentium examen summa esse maturitate procedendum, « cum fundamentum judicii crimi-« nalis in examine reorum consistat; nam ex responsionibus « ipsorum (plerumque) oritur, vel absolutio, vel condemnatio, « super delictis de quibus per judices inquiritur. » (Part. 4, sect. 9, initio.)

Quæstio I^a^. — *An judici legitime interroganti reus teneatur delictum suum fateri, etiam cum timore magnæ pœnæ.* — Si reus gravem sibi ex confessione pœnam non reformidet, est unanimis et extra controversiam sententia, eum teneri ad confitendum delictum suum. In casu autem posito magnæ imminentis pœnæ, non concordant doctores. Alii nempe cum Doctore angelico (2, 2, q. 69, a. 1 ad 2) affirmant etiam tunc teneri reum ad delicti sui confessionem : et hanc sententiam sanctus

Ligorius (libro 4, n. 274) habet ut probabiliorem, quamvis oppositam reputet etiam satis probabilem. Alii contrarium sentiunt cum Suarezio, Lugo, plurimisque aliis magnæ auctoritatis doctoribus. « Hæc sententia negat teneri reum crimen « suum revelare, casu quo damnandus esset ad mortem, aut ad « triremes, ad carcerem perpetuum, vel ad amissionem omnium « bonorum, vel totius famæ et honoris....; nisi commune « damnum immineat ex reticentia confessionis... Casu vero quo « tale damnum non timetur, cum lex obligans ad crimen faten- « dum probabiliter non extet, probabiliter judex non habet jus « veritatem tali casu exigendi, nec reus obligationem eam « manifestandi; et ideo reus, amphibologiis crimen celando, « contra justitiam non peccat. » (Sanctus Ligorius, loco cit.) Id autem prædicti auctores sustinent tantum in hypothesi quod reus habeat spem evadendi; alioquin nempe eum ad fatendam veritatem omnino teneri.

Item præfati auctores sustinent posse in dicto casu reum legitime interrogatum « negare crimen *etiam cum juramento* « (saltem sine peccato gravi) subintelligendo *non commisisse* « *quatenus teneatur fateri.* » (Sanctus Ligorius, libro 3, n. 156.)

Quæstio 2ª. — *Quandonam judex censendus sit legitime interrogare, et quandonam illegitime?* — Extra controversiam est non teneri reum ad respondendum judici *illegitime* interroganti. Hinc maximi refert discernere requisitas conditiones ut judex legitime interroget. Ejusmodi autem conditiones ad quatuor sequentes reduci possunt: 1° ut judex sit competens; 2° ut servetur juris ordo; 3° ut jam extent contra reum vel infamia, vel gravia indicia, vel semi-plena probatio; 4° ut reo jam declaraverit judex quænam contra ipsum extet infamia, vel gravia indicia, vel semi-plena probatio. De duobus prioribus conditionibus nulla est difficultas, cum satis per se pateat, et ab omnibus ut certum admittatur, non teneri reum respondere illi judici cujus jurisdictioni subjectus non est, vel qui præscriptum a jure ordinem judicialem non servat. Duarum autem aliarum conditionum necessitatem, cum non ita per se

pateat, operæ pretium est diligenter expendere. Pro quo sint sequentes propositiones.

I. *Quando proceditur per viam accusationis, nequit judex reum de delicto interrogare, nisi prius emerserit saltem semi-plena probatio.* — Nam « contra jus naturæ est, ut qui occulte « delictum commisit, se prodat » (Pellegrini, parte 4, sect. 9, n. 9): atque ita tenent doctores cum sancto Thoma (2, 2, q. 69, a. 2). Si vero ex eo solo quod quis de aliquo delicto fuit accusatus, et nondum elucente ulla contra ipsum probatione, judex posset eum interrogare de accusationis veritate, posset exigere ut reus delictum suum adhuc occultum proderet. Ergo revera nequit judex ad talem interrogationem devenire, nisi jam semi-plena saltem probatio contra reum juridice emerserit.

Corollarium. Hinc deduci potest quomodo judex sese gerere debeat quoad interrogandum reum, quando *accusationis via* proceditur. Supra enim diximus non teneri accusatorem ad producendos testes, aliasve probationes, nisi post contestatam litem: unde si nolit judici testes et documenta indicare ante litis contestationem, non poterit judex processum informativum præmittere, et semi-plenam probationem contra reum antequam citetur acquirere. E contra si accusator testes et documenta sufficientia judici pandat ante contestatam litem, possibilis fit prævius informativus processus. Et quod tunc possit judex ejusmodi informativum processum præmittere, videtur admittendum, etsi fatear clare id ex auctoritatibus mihi non liquere. Si ergo præmitti potuerit dictus informativus processus, et ex eo emerserit contra reum semi-plena probatio, licebit judici postea citatum reum examinare et interrogare de veritate accusationis; idest petere an delictum de quo accusatur patraverit. Secus vero, petere a reo dumtaxat poterit judex, num velit litem contestari: de patrato autem delicto tunc tantum interrogare eum poterit, quando jam ex adductis per accusatorem semi-plena probatio emerserit.

Cum autem hodie raro admodum via accusationis proce-

datur, quoad viam inquisitionis præcipue quæstio expendenda venit.

II. *Quando proceditur per inquisitionis viam, nisi prius constet de præcedente infamia vel gravibus indiciis, nequit judex reum de delicto interrogare.* — Id firmat Pellegrinus hoc modo : « Quod si procedatur per inquisitionem, requiruntur « indicia aut infamia delicti in specie contra examinandum : alias « non juridice interrogaretur ; et consequenter non teneretur « reus seipsum prodere, quando delictum esset occultum ; quia « contra jus naturæ est, ut qui occulte delictum commisit se « prodat (sanctus Thomas, 2, 2, q. 69, a. 2).... Hinc fit quod « constitui (1) non debet reus, nisi in processu informativo « constet saltem semi-plene, quod ipse delictum de quo in- « quiritur commiserit; vel adsint indicia æquipollentia : aliter « judex mortaliter peccabit ; et reus non teneretur respondere, « quia non interrogatur juris ordine servato. Ita divus Thomas « et alii.... Et ratio potissima est, quia faceret contra jus « canonicum et civile, in quibus cavetur, non posse reum con- « stitui, nisi præcedentibus indiciis vel probationibus (capite « *Cum oporteat*, capite *Inquisitionis*, et capite *Qualiter, de* « *Accus.* ; — capite *Cum monasterium, de Confes.* ; — capite « *Veniens, de Testibus*). »

« Ex hactenus dictis infertur, *primo*, quod judex extorquens « secretum a subdito, præter jus, mortaliter peccat ; et multo « gravius quam si persona privata hoc faceret... *Secundo*, quod « si subditus cognoverit injustitiam judicis in præcipiendo, ut « secretum delictum contra jus revelet, non tenetur subditus « ipse judici, sic non legitime præcipienti, obedire.... *Tertio*, « quod si judex injuste secretum delictum alicujus extorquet, « non potest in eo ulterius procedere, aut illum punire ; tam « si extorserit ab ipsomet reo, quam a teste.... Dicitur autem « injuste extorquere, quando minas, vim aut tormenta illicite

(1) Apud jurisperitos idem est *constitui* reum, ac examinari seu interrogari.

« adhibet, ut crimen extorqueat, *de quo nulla extant indicia,* « *infamia, aut probatio.* » (Pellegrini, parte 4, sect. 9, numeris 9,12 et 15.)

III. *Ut legitime reus interrogetur, requiritur ut prius ei judex indicet, quænam contra ipsum habeatur probatio, vel quænam indicia gravia, vel quænam infamia.* — Duplicem de hoc rationem affert Pellegrinus (loco citato, n. 11) : « *Primo,* ut reus, « cum sibi indicia manifestantur, quæ contra eum sunt, sciat se « esse in eo statu ut teneatur respondere veritatem judici interro- « ganti ; quia antequam sciat se legitime et juridice interro- « gari, non tenetur veritatem ei propalare, neque in foro exte- « riori, neque in interiori in rebus magnis, scilicet honoris, « famæ, vitæ, bonorum, si putat delictum esse occultum et ei « non constet quod legitime interrogetur ; secus in rebus par- « vis et levioribus, si sciat judicem esse virum probum et do- « ctum ; nam tunc tenetur ei credere, et veritatem dicere. *Se-* « *cundo,* ut possit se purgare et dicere contra indicia quidquid « jure potuerit.

« Unde conclusio est, ut si procedatur per viam inquisitio- « nis, debeat illi constare de infamia : si via accusationis, de « semi-plena probatione ; idest, ut sit testis omni exceptione « major ; quia si potest contra unum testem semi-plene pro- « bantem aliquid juridice opponi, non facit amplius semi-ple- « nam probationem. Et similiter debent illi proponi indicia « quæ judex contra eum habet ; nam si sint levia, vim non ha- « bent..., et consequenter procedere non posset : gravia vero « juridice probata esse debent testimonio duorum testium omni « exceptione majorum.

« Alioquin si reus interrogetur, his non manifestatis..., de « aliquo occulto crimine, de quo non est infamia, nec indicia, « nec semi-plena probatio, non peccaret si celaret. »

IV. *Non tamen tenetur judex, antequam reum interroget, ei copiam tradere processus informativi.* — Posse reum interrogari quin dicta copia ei tradatur, supponunt plures juris textus, quos vide apud Pellegrinum (parte 4, sect. 9, n. 7) ; qui

auctor addit, hanc esse universalem praxim, et adnotat multa alioquin absurda secutura ; unde et concludit audiendum non esse Diaz, qui contrarium tenuit.

Quin tamen dicta copia tradatur, potest et debet judex, ut in præcedenti propositione firmatum est, reo sufficienter indicare quænam probatio, quænamve indicia extent : ad quod peragendum, poterit, verbi gratia, jubere ut actuarius legat opportunas testium depositiones, tacito testium nomine.

Quæstio 3ª. — *Quæ forma interrogando reo tenenda sit?* — Adnotant doctores nullam tradi posse determinatam ejusmodi interrogationum formulam ; cum enim varia esse necessario debeat pro variis causis, prudentiæ judicis totum id negotium relinquitur. Aliquod tamen interrogatorii specimen suo loco in formulario posuimus, ut ex casu particulari, tyrones introspicere possint, quomodo in hac re judex prudenter sese gerere possit.

CAPUT IV.

DE POSITIONIBUS, ARTICULIS, CAPITULIS, NECNON DE TERMINO PROBATORIO, ET DE TERMINIS AD PONENDUM ET AD ARTICULANDUM.

Solent quidem canonistæ materiam hanc attingere. Sed quia vel oscitanter eam exponunt, vel non satis distinguunt quid juris communis sit, quidve stylo particulari curiarum adscribendum, non parvis eam difficultatibus obsitam multi relinquunt.

Eam pro posse enucleabimus, et quidem (ob quæstionum connexionem) quoad civilem simul et criminalem processum fori ecclesiastici.

§ I.

Quid sint positiones, articuli et capitula.

1. Positio definitur a Speculatore, « brevis verborum for-« mula, mentem ponentis continens, ad veritatem eliciendam « concepta. » (In rubrica *de Positionibus*, § 1, n. 1.) A Pellegrino describitur : « Brevis narratio, facti seriem continens, « ad eliciendam veritatem concepta. » (*Praxis Vicar.*, parte 2, sect. 2, subsect. 4, n. 9.) Clarius Schmalzgrueber : « *Positio-« nes* dicuntur breves quædam narrationes seu assertiones « alicujus facti, ad causam controversam pertinentis, super « quo petitur ab adversario responderi ; idque ideo ut ponens, « sive actor, ab onere probandi, per confessionem adversarii, « relevetur. Ex his positionibus, *articuli* appellantur eæ posi-« tiones quas reus negat, et consequenter actor probare debet : « cæteræ simpliciter nomen positionum obtinent. » (Schmalzgrueber, in tit. 5, libri 2 Decr., n. 5.)

Positiones ergo nihil aliud sunt quam asserta quædam, ab uno litigante proposita, in hunc finem ut alter litigans dicat, an neget, an vero confiteatur verum esse quod asseritur. Ex qua notione satis patet quam utiles sint ejusmodi positiones : nam, verbi gratia, si actor, vel promotor fiscalis proponat decem hujusmodi positiones, et reus fateatur septem esse veras, et tres dumtaxat falsas contendat, jam non opus erit probare nisi tres illas negatas ; septem vero aliæ in toto processu tanquam certæ ex ipsa Rei confessione habebuntur. Quod ad celerem causæ expeditionem quantum conferat, nemo non videt.

2. Articuli sunt ea asserta, quorum veritatem se velle probare, per testes aut instrumenta, judici declarat actor, aut reus. « Articulus (ait Pellegrini, *Praxis Vicariorum*, parte 2, « sectione 2, subsectione 4, n. 10) est pars intentionis, conti-« nens id quod quis probare intendit per testes aut per scri-

« pturas. » Hinc semel propositis et a judice acceptatis articulis, super iis postea debebunt ab articulante produci, et a judice examinari testes et instrumenta.

3. Positiones quæ ab adversa parte negantur, hoc ipso evadunt articuli ; quia hoc ipso quod negentur, remanet earum veritas probanda per testes aut instrumenta.

4. Formula scribendi positiones est hujuscemodi : *Titius actor* (vel reus) *ponit* 1..., 2..., *etc., et postulat interrogari partem adversam, an confiteatur necne, vera esse præmissa asserta.* Respondendum autem est singulis positionibus per verbum *credo* vel *non credo.*

5. Formula scribendi articulos est hujuscemodi : *Titius... probare intendit* 1..., 2..., *etc. Et producet quoad* 1, *testes N. et N.; quoad* 2 *et* 5, *testes N. et N., necnon tria instrumenta, etc.*

« De jure communi, ait Pellegrinus, articulus differt a posi-« tione ; quia positio respicit solam confessionem partis, et fit « per verbum *ponit*, ad hoc ut ponens relevetur ab onere « probandi, si pars confiteatur. (Cap. *Statuimus, de Confes-« sione*, in 6.) Articulus vero fit per verbum *Probare intendit*, « et respicit probationes faciendas per testes vel scripturas, in « casu quo positiones negentur. » (Parte 2, sect. 2, subsect. 4, n. 12.)

6. Jungi in unum possunt articuli et positiones, quod fieri solet hac formula : *Titius... ponit, et, quatenus negetur, probare intendit* 1..., 2..., *etc.* « Communis practica est, ait Pel-« legrinus (loco cit., n. 13), quod advocati seu procuratores « faciunt articulos per verba, *item ponit et probare intendit.* « Quæ verba faciunt, ut si pars confiteatur id quod est arti-« culatum, tales articuli succedant loco positionum : si vero « negaverit, tunc succedunt loco articulorum, et super eis exa-« minantur testes. » Quando prædicto modo simul junguntur positiones et articuli, non raro solo nomine *articulorum,* vel etiam solo nomine *positionum* nuncupantur, præsertim apud auctores qui minus accurato loquendi modo uti solent.

7. In criminali processu, articuli, positionibus præfato modo

juncti, peculiare *capitulorum* nomen ex frequentiori usu sibi vindicant. Unde *capitula* nihil aliud sunt quam prædicti articuli et positiones, quatenus in causis criminalibus adhibentur. « Capitulum, ait Pellegrinus (loco cit., n. 14), est terminus « magis generalis, comprehendens positionem et articulum. « Hinc terminus datus ad *capitulandum*, censetur datus ad po- « nendum et articulandum : sed e contra terminus datus ad « *ponendum*, non censetur datus ad capitulandum. Hinc est « quod in criminalibus inolevit praxis, quod quando judex « procedit contra reos et concedit illis defensiones, decernere « solet quod dentur *capitula* reo inquisito, ad respondendum « super illis, quæ collecta sunt a fisco ex informatione capta « contra ipsum (*reum*) ; ad hoc ut fiscus possit habere confes- « sionem ab inquisito, super delicto de quo inquiritur ; et sic « inquisitus quandoque citatur *ad capitulum*, id est ad respon- « dendum *capitulis ;* et semper criminalistæ utuntur hoc verbo « *capitulum*. Capitula enim succedunt loco positionum et arti- « culorum, super quibus curia probare intendit suam intentio- « nem contra reum inquisitum, vel per confessionem, vel per « testes, ut habetur in capite *Qualiter et quando, de Accusatio-* « *nibus.* »

Huic notioni de *positionibus*, *articulis* et *capitulis*, tantisper immorandum duximus, ne relicta hac in re confusio, dicendorum intelligentiam lectori præcluderet.

§ II.

An et quomodo usus positionum, articulorum et capitulorum, sit de jure communi servandus ?

Propositio I^a^. — *Usus positionum, articulorum et capitulorum, vim juris communis habere censendus est.* — Probatur 1° ex Clementina *Sæpe* (2, *de Verborum signif.*), qua prædictum usum, etiam in judiciis summariis servandum esse hoc modo decernitur : *Et quia positiones ad faciliorem expeditionem li-*

tium, propter partium confessiones, et articulos ad clariorem probationem, usus longævus in causis admisit ; Nos, usum ejusmodi observari volentes, statuimus, ut judex sic deputatus a Nobis, ad dandum simul utrosque terminum dare possit. Ibi aperte declaratur, dictum usum generalis et longævæ consuetudinis vim habere ; ex quo solo censendus esset in jus commune transisse. Declarat insuper Pontifex *se velle hunc usum observari*, idque dicitur generaliter et absque restrictione. Et consequenter ad hanc voluntatem, decernit in specie quoad judicia *summaria* (de quibus ibi agitur), posse a judice terminum assignari, ad dandum *simul* positiones et articulos.

Probatur 2° ex capite *Qualiter et quando* (24, *de Accus.*), in quo sic decernitur quoad processum criminalem per viam inquisitionis : *Debet igitur esse præsens is contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit : et exponenda sunt ei illa capitula de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum.* Ex his et similibus, qui addi possent, textibus, de jure communi servandus videtur *positionum* et *articulorum* in civili processu, *capitulorum* autem in criminali, usus.

In multis tamen curiis ecclesiasticis, ut nonnulli canonistæ testantur, invaluit contraria et legitime præscripta consuetudo : ut nempe post contestatam litem, omissis ejusmodi positionibus et articulis, producantur et examinentur testes super contentis in libello.

Propositio II^a^. — *In processu civili, jus proponendi positiones et articulos, non tantum ad actorem, sed etiam ad reum pertinet.* — Id quoad positiones sic affirmat Pellegrinus (parte 2, sect. 2, subsect. 4, n. 1) : « Alius actus qui sequitur in judicio « post datum terminum probatorium est, quod fiunt positiones « per utramque partem, hinc inde ; per actorem scilicet et reum ; « ad quas respondere tenentur ambo per verbum *credo* vel *non* « *credo*, sine præsentia procuratoris vel advocati, et sine tem- « poris intervallo, medio juramento. »

Si autem reus, sicut actor, jus habet proponendi positiones,

habet hoc ipso jus proponendi articulos; siquidem positiones ab adversario negatæ evadunt hoc ipso articuli, per testes et instrumenta probandi.

Jus autem hoc positiones et articulos dandi, debere in judicio civili esse reciprocum, ipsa innuit naturalis æquitas : non minus enim reo quam actori expedit, ut super certis capitibus interrogetur adversarius; ut sic liberetur ab onere probandi ea omnia, quæ actor confessus fuerit.

Propositio III^a. — *In processu criminali, si procedatur accusationis via, videtur posse capitula dari ab utraque parte; si vero procedatur inquisitionis via, debebit promotor dare capitula, sed inquisitus non videtur dare posse nisi articulos defensorios.* — Rem non reperio apud auctores discussam; sed conclusio videtur sequi ex ipsa natura utriusque processus, accusatorii nempe et inquisitorii. Nam quando intervenit accusator, cum fieri possit ut calumnietur, et accusatus id ex certis capitibus probare posse speret, debet huic liberum esse ea capita per modum positionum proponere, ut videatur quid accusator ad singula respondeat, et quænam confiteatur aut neget. At vero quando procedit judex inquisitionis via, seu ex mero officio, accusator seu pars adversa censetur esse fama publica, quæ interrogari et respondere nequit; unde tunc locus non datur positionibus ex parte accusati. In processu ergo inquisitorio debent quidem dari a promotore fiscali, et inquisito communicari *capitula,* ut possit inquisitus defensionem suam parare, prout citata decretali *Qualiter* (24, *de Accus.*) præscribitur; sed inquisitus dabit tantum *articulos defensorios.* Et in dandis capitulis poterit promotor fiscalis hac vel simili formula uti : *Fiscus ponit, et, quatenus negetur, probare intendit* 1..., 2..., *etc.; et dicit horum capitulorum probationem satis emersisse ex processu informativo.* Non tamen ibi nominabit testes, quia nondum supponitur facta legitimatio processus informativi; quæ legitimatio fit, vel per repetitionem testium, vel per declarationem rei, expresse dicentis, se habere testes, in processu informativo adhibitos, pro rite et legitime citatis et examinatis.

In dandis vero postea suis articulis defensoriis, poterit inquisitus hac vel simili formula uti : *Titius, prætensus reus, probare intendit :* 1..., 2..., *etc., et producet, quoad* 1... *et* 2... *articulum, testes N. et N. ; quoad, etc.*

Propositio IV^a^. — *Jus proponendi positiones et capitula, secum trahit, quoad partem adversam, obligationem respondendi.* — Constat ex decretali *Præsentium* (2, *de Testibus*, in 6), ubi sic disponitur : *Præterea singillatim super quolibet articulo in qualibet positione contento facias a partibus sufficienter ad invicem responderi.* Atque idem constat ex fine ipso ob quem introductus fuit positionum usus, ad habendam nempe partis adversæ confessionem vel negationem ; qui finis non obtineretur, si pars adversa ad positionem respondere non teneretur.

Nota 1. Tradit Pellegrinus respondentem cogi posse ut respondeat pure ac simpliciter per verbum *credit*, vel *non credit ;* aut, si positio sit partim vera partim non, per verbum *non credit ut ponitur.*

2. Tradit insuper præstandum esse juramentum, et a ponente (quod nempe credat veram esse positionem suam), et a respondente. « Et non solum, ait, dans positiones tenetur illas « dare medio juramento, verum etiam respondens illis etiam « debet jurare tactis evangeliis. » Addit tamen, si præstitum jam fuerit juramentum calumniæ, necessarium non esse novum juramentum, nisi pars adversa illud exigat (1) (parte 2, sect. 2, subsect. 4). Sed advertendum est illud juramentum non exigi a promotore fiscali, dum exhibet capitula; quia nempe gerit personam publicam, et sufficit juramentum ab eo semel præstitum de fideliter explendo officio suo.

§ III.

De terminis ad ponendum, ad articulandum, et ad capitulandum.

1. Si fiant separatim positiones et articuli, judex post litem

(1) Ex hodierna praxi jam non fieri ejusmodi juramenta, supra adnotavimus.

contestatam, in processu civili, assignare debet terminum ad producendas *positiones*, qui terminus communis erit utrique parti. Ad respondendum autem positionibus, non conceditur terminus, quia ad respondendum *credo* vel *non credo*, de re quæ debet esse nota, non requiritur deliberatio.

Postea autem alius assignatur terminus ad articulandum, id est, ad producendos articulos super quibus articulans petit examinari tales testes, taliave instrumenta.

2. Si stylus curiæ sit, ut conjunctim fiant positiones et articuli, modo supra exposito, sufficiet unicum ad id assignari terminum.

3. In processu criminali, post examen rei, si procedatur (ut hodie plerumque solet) inquisitionis via, seu absque accusatore, judex promotori fiscali terminum assignabit ad *capitulandum*, id est ad fabricanda et porrigenda capitula.

4. Suum autem terminum ad exhibendos articulos defensorios reo assignabit, post offensivi processus publicationem.

5. Est regula generaliter recepta, tempus terminorum dilatoriorum esse penes judicis arbitrium; ita tamen ut, si nimis arctum concederetur, prorogatio peti posset; et si injuste denegaretur, locus fieret appellationi.

6. Præter prædictos terminos ad *ponendum*, *articulandum*, *capitulandum*, est alter valde diversus, qui dicitur *probatorius*; de quo nonnulla remanent adnotanda in sequenti paragrapho.

§ IV.

De termino probatorio.

1. Terminus probatorius, ut ipsa vox satis indicat, ille est qui assignatur partibus, ad probandum quod ipsis probandum incumbit. Ac proinde intra hunc terminum, regulariter loquendo, produci et examinari debent testes et instrumenta, cum per testes et instrumenta probatio fiat. Hinc satis patet positiones et articulos esse dandos, et citationem testium esse

faciendam, intra tempus probatorii termini; atque intra idem tempus comprehendi terminos ad ponendum, et ad articulandum, sive ad capitulandum.

2. « Circa istum terminum erit notandum, quod de jure « communi omnis terminus est peremptorius et dari non po- « test nisi semel in causa (cap. *Consuluit, de Officio deleg.;* — « lege 1, c. *de Dilat.*) » Ita Pellegrinus, qui postea subjungit recedi posse ab hac generali regula, et dari novum terminum ex justa causa; verbi gratia, si supervenerint novæ probationes, vel aliquod incidens, etc. (Pellegrinus, parte 2, sect. 2, subsect. 3.)

3° Elapso probatorio termino, de rigore juris testes non possent amplius examinari : sed ex æquitate canonica, si testes citati fuerint intra terminum, sed nondum examinati quando finitur terminus, solet in curiis ecclesiasticis, dari alius terminus, ut examen eorum perfici possit. (Pellegrinus, loco cit., n. 9.)

4° In processu civili assignatur terminus probatorius post contestatam litem; estque communis utrique parti, etiamsi una pars illi renuntiaverit. (Pellegrinus, ibid., n. 1.)

5° At in processu criminali, terminus probatorius juxta stylum ordinarium curiarum ecclesiasticarum, non est utrique parti communis, nec assignatur simul accusatori (aut promotori fiscali) et reo, sed successive. Prius nempe assignatur accusatori (vel promotori fiscali) ad probandam intentionem suam, et postea reo ad sese defendendum.

CAPUT V.

DE PUBLICATIONE PROCESSUS OFFENSIVI, ET TRADENDA REO IPSIUS COPIA ; NECNON DE ARTICULIS INTERROGATORIIS.

1. Peracto rei examine, judex emittit decretum, quo accusatori vel procuratori fiscali assignatur terminus ad capitulan-

dum : admissis autem ejusmodi capitulis, decernit eorumdem reo petenti copiam tradi, et eidem reo terminum assignat ad dandos suos defensorios articulos ; quos postquam judex recepit et admisit, decernit publicari, et publicat processum huc usque peractum. Si vero in stylo curiæ non sit ut fiant prædicti articuli, statim post absolutum rei examen, judex ad processus publicationem gressum facit.

2. Dicitur autem processus *offensivus* tota ea pars processus criminalis, quæ præcedit decretum judicis, quo reo copiam actorum concedit, ut sese defendere possit. Et vocatur *offensivus*, quia huc usque omnia peraguntur contra reum, ad detegendum nempe ipsius delictum ; et nondum ad sese defendendum admissus est.

3. Fit autem *publicatio*, legendo totam seriem processus huc usque habiti. « Rotulus examinis, seu dicta et attestationes tes- « tium præleguntur et publicantur. Hac publicatione facta, pe- « tunt partes copiam... neque hoc illis a judice negari potest. « Originalis autem scriptura manet, vel apud judicem, vel (quod « magis habet consuetudo et juri conformius est) apud notarium ; « tanquam scriptorem. » (Schmalzgrueber, in titulum 20, libri 2 Decret., n. 116.)

4. Necessariam esse de jure canonico dictam publicationem sustinent canonistæ, saltem quoad concedendam reo copiam actuum, ut sese defendere possit. « Quæ publicatio (ait Pel- « legrinus, parte 4, sectione 10, n. 8), in criminalibus est adeo « necessaria de jure canonico, ut, si omitteretur, processus « esset nullus ipso jure ; quia tolleretur facultas reo se defen- « dendi. Neque condemnari posset nisi decerneretur ei copia « processus, cum termino competenti ad faciendum suas de- « fensiones. Hinc est quod inolevit praxis fere in omnibus « curiis, ut unico contextu fiat publicatio processus offensivi, « et declaratio quod ejus copia parti tradatur ; una cum ter- « mino ad faciendas suas defensiones, etiamsi reus illum non « petat. »

5. « Est autem advertendum, quod copia processus infor-

« mativi, sive capitulorum aut repertorum, tradenda est sumpti-
« bus ipsius rei, qui petere illam debet a notario sive actuario
« causæ ; cum judex functus sit officio suo in hoc, dum decrevit
« illam esse tradendam. Fallit tamen hoc in pauperibus, quibus
« tradenda est copia, sive originalis processus loco copiæ, gratis.»
(Pellegrinus, part. 4, sect. 10, n. 12.)

6. Publicatio processus duplicem trahit valde notabilem effectum : 1° nempe ut jam nequeat (juxta probabiliorem saltem doctorum sententiam) ullus alius testis pro informatione curiæ admitti et examinari (vide Pellegrinum, part. 4, sect. 10, n. 20); 2° ut reo incipiat jus habendæ processus copiæ.

7. Quamvis judex, publicato processu offensivo, teneatur reo petenti concedere ejusdem processus copiam, non tamen tenetur ad manifestanda ipsi testium nomina antequam testes repetantur; nisi reus velit processum huc usque habitum *legitimare*, id est, nisi declaret se habere testes in informativo processu receptos *pro rite et recte citatis et examinatis*. Hinc in formula qua judex dictam copiam concedit, apponit hanc aut similem clausulam : *Absque nomine testium, nisi expresse reus declaraverit se dictos testes habere pro rite et recte examinatis; qua facta declaratione, etiam nomina testium ipsi pandantur*. De quo vide dicta in nostro formulario.

8. Facta autem prædicto modo publicatione processus, dataque reo actuum copia, eidem assignatur terminus ad porrigenda *interrogatoria*, si qua exhibere velit. Hoc autem nomine dicuntur capita illa, de quibus reus postulat interrogari testes, pro informatione curiæ jam examinatos.

Proponentur autem testibus hæc interrogatoria, et recipientur eorum responsa, sive in ipsa repetitione testium, si reus hanc fieri exigat, sive absque illa repetitione, si reus illi renuntiet et declaret se habere pro legitime examinatis testes pro informatione curiæ adhibitos.

CAPUT VI.

DE DANDO TERMINO DEFENSIONUM.

1. Post publicatum processum offensivum, et concessam reo ejusdem copiam, cum, aut sine nominibus testium, ut dictum est, debet judex reo (etiam non petenti) convenientem assignare terminum ad faciendas defensiones suas, idest ad porrigendos articulos suos defensorios, nec non ad producendos testes et instrumenta in horum articulorum probationem. Si arctior sit assignatus terminus, prorogationem reus petere potèrit, et appellare, si injuste denegetur.

2. Hic autem solvenda venit quæstio, an terminus defensorius illi etiam dandus sit, qui spontanee delictum suum est confessus. Quam quæstionem sufficienter dirimit Pellegrinus (parte 4, sectione 10, n. 21). Hoc modo : « Communis et certa conclusio om-« nium doctorum (nemine prorsus discrepante) est, quod nemo, « qualitercumque confessus, in criminalibus condemnari potest, « nisi prius assignetur illi terminus ad faciendum suas defen-« siones... Et ratio est, quia etiam contra propriam confessio-« nem potest reus multa deducere ad sui defensionem. » Et ibi enumerat idem Pellegrinus decem capita, ex quibus, etiam post propriam delicti a se patrati confessionem, sese potest reus defendere.

3. Elapso autem defensionum termino, si reus qui sese delicti auctorem, spontanee confessus est, defensionibus renuntiet, potest judex statim ad sententiam condemnatoriam procedere. (Vide laudatum Pellegrinum, loco cit., n. 18.) Propria enim rei confessio est probationum optima, ita ut etiam *regina* probationum a pragmaticis vocari soleat.

CAPUT VII.

DE REPETITIONE TESTIUM PRO LEGITIMATIONE PROCESSUS.

Quæstio 1ª. — *An necessario facienda sit testium in processu informativo examinatorum repetitio?* — Respondeo : si reus noluerit declarare se habere testes pro legitime citatis et examinatis, omnino necesse est fieri ipsorum repetitionem, id est, eos denuo examinari, citato prius reo, ad videndum eosdem juramentum de dicenda veritate præstantes. Alias illi testes nihil contra reum probarent, etiamsi mille essent omni exceptione majores; nec posset judex ex eorum depositionibus reum condemnare. Est unanimis doctorum sententia, quam vide auctoritatibus firmatam apud Pellegrinum (parte 4, sect. 11). Imo nec vim indicii contra reum tunc haberent ejusmodi testimonia, ut probat citato loco laudatus auctor.

Quæstio 2ª. — *Quænam sint requisita ad legitimam testium repetitionem?* — 1° Debet per ipsummet judicem (regulariter loquendo) fieri; nec potest judex eam alteri faciendam committere; idque etiamsi ipsemet testes in processu informativo examinaverit. Constat ex capite primo *de Testibus cogendis;* ex lege *Quoniam*, et ex authentica *Apud eloquentissimum*, c. *de Fide instrumentorum.* (Vide Pellegrinum, loco citato.)

Diximus *regulariter*. Nam committi a judice potest repetitio testium in sequentibus casibus : *primo*, si sit infirmitate vel alio serio impedimento detentus. *Secundo*, si testes repetendi alterius jurisdictionis sint; quia tunc eorum examen necessario est alteri demandandum. *Tertio*, si testes repetendi senes sint aut ægroti, vel magnæ dignitatis; tunc enim potest judex alteri committere ut domi eorum testimonii repetitionem recipiat.

2° Debet repetitio testium fieri, perinde ac si nondum fuissent examinati : id est, servatis iis omnibus quæ in exa-

minandis testibus servari debent. « Quamobrem citandus est « ante omnia reus ad videndum repeti testes et ad dan- « dum interrogatoria, quatenus dare voluerit, et ad viden- « dum juramenta testium repetendorum. Datis vero per reum « interrogatoriis, vel elapso termino ad illa dandum præfixo, « citantur ac vocantur testes, alias in processu informativo « examinati, ad comparendum in judicio coram judice et « notario seu actuario causæ. Quibus citatis atque comparen- « tibus defertur per judicem juramentum veritatis dicendæ, « perinde ac si nunquam jurassent. Et toties jurare tene- « buntur, quoties repeti necesse erit... Et tunc præstito ju- « ramento, quilibet testis separatim interrogatur; prius su- « per interrogatoriis per reum datis, juxta quæ respondere « debet; deinde super examine alias de ipsomet teste facto. « Ita tradunt communiter doctores. » (Pellegrini, parte 4, sect. 11, n. 5.)

Quando testis vocatur, non ut depositionem suam iteret, sed dumtaxat ut declaret aliquid in prima depositione obscure dictum, necesse non est iterum ab ipso juramentum emitti.

3° Debet repetitio testium fieri *post publicationem* processus informativi; in quo jus canonicum differt a Justinianeo; nam juxta hujus dispositionem, repetitio testium fieri debet *ante* publicatas attestationes. Quam differentiam vide expositam apud Pellegrinum (loco citato, n. 9).

4° Debet repetitio testium fieri ante conclusionem in causa, et a fortiori ante sententiam. (Pellegrini, ibid., n. 13.)

5° Debet repetitio fieri, prius super interrogatoriis a reo propositis, et postea super examine jam facto ad informandam curiam. (Idem, ibid., n. 10.)

6° Debent testes ita repeti ut affirment vera esse quæ deposuerunt in priori examine; si dicerent dumtaxat se non recordari an vera sint primum deposita, nullam vim haberet ad probandum contra reum eorum depositio. (Idem, ibid.)

7° Debet unusquisque testis repeti per extensum; nec sufficit eum sese referre ad dicta in primo examine; sed debet ad repeti-

tas interrogationes expresse respondere. Ita communius doctores contra paucos veteres, qui putarunt posse testem sese ad primum examen referre.

Quod si testis, priusquam respondeat, petat sibi legi primam suam depositionem, an possit vel debeat judex id concedere, videtur pendere a variarum curiarum stylo seu consuetudine. (Vide Pellegrinum, parte 4, sect. 11, n. 12.)

Quæstio 3ª. — *Quid agendum, quando testes repetendi extra diœcesim existunt?* — Modum citandi et examinandi testes extra diœcesim existentes, satis indicamus in formulario. (Collectione 2, capite 14.) Idem porro servandum recurrit quando ejusmodi testes repetendi sunt; sed quoad repetitionem, debet insuper citari reus ad videndum expediri litteras remissoriales.

Quæstio 4ª. — *Quid agendum si testes repetendi absentes quidem sint, non tamen extra locum jurisdictionis relative ad judicem?* — « Notandum est quod tali casu diversimodo servari « solet. Aliquando enim conceditur commissarius : aliquando « dantur litteræ remissoriales : et aliquando compelluntur testes « accedere ad curiam. Quod quidem totum remittitur arbitrio « judicis... Quomodocumque autem procedatur, advertendum « erit, quod citari debet reus ad videndum destinari commis- « sarium ad partes : vel ad videndum deputari judicem in par- « tibus, et expediri litteras remissoriales pro repetendis testi- « bus et alia necessaria faciendum; prout servatur in Romana « curia, a qua sumere debent normam procedendi in causis « cæteræ omnes curiæ ecclesiasticæ. » (Pellegrini, parte 4, sec- « tione 11, n. 18.)

CAPUT VIII.

DE CONFRONTATIONE TESTIUM, LOCO EORUMDEM REPETITIONIS ADHIBITA.

Quæstio 1ª.— *Quid sit et quomodo fiat confrontatio testium?*

— Dicitur fieri confrontatio testium, quando judex eos in faciem rei adducit, atque ipso audiente primam depositionem iterare jubet.

Fit autem hoc modo. 1° Petitur a reo an cognoscat dominum N. (nempe unum ex testibus), et eum habeat pro viro probo; 2° adducitur dictus testis, et postquam juramentum de veritate dicenda præstitit, ab eo petitur an cognoscat reum, et vicissim a reo an cognoscat testem; 3° interrogatur testis an deposita ab ipso in primo examine, vera sint et adhuc tanquam vera deponat. Postquam autem ab actuario lecta fuit prima testis depositio, et is eam confirmavit, petitur a reo an adhuc deposita contra ipsum falsa esse contendat; 4° datur interim reo facultas testem interpellandi et interrogandi, et vice versa; et utrinque dicta ab actuario notantur; 5° dimisso teste, vocantur successive alii et pari modo examinantur.

Quæstio 2ª. — *An necessario facienda sit confrontatio testium?* — « Hæc confrontatio *regulariter* non est necessaria, « nec de substantia processus; et ideo ea omissa processus non « infirmatur, quia est remedium subsidiarium et extraordina- « rium; nam remedium ordinarium est repetitio. » (Pellegrini, parte 4, sect. 9, n. 66.) Addit postea citatus auctor necessariam esse confrontationem in nonnullis casibus, quos enumerat. (Ibidem, n. 72 et seq.) Hæc tamen necessitas in assertis casibus rigorose non probatur; et admittenda tantum videtur in casu quo reus recognosci nequeat, nisi mediante inspectione per testes.

Cæterum, etsi absolute sit in potestate judicis ecclesiastici confrontationem testium adhibere, cum tamen hæc regulariter omitti possit utpote non necessaria, prudenter aget si hoc medio aut nunquam, aut rarissime utatur: tum quia est remedium extraordinarium, quo proinde utendum non est absque gravi causa, dum præsto est et sufficit medium ordinarium, repetitio nempe testium: tum quia, in foro præsertim ecclesiastico, plurima istiusmodi confrontationem sequuntur incommoda (si, verbi gratia, reus sit clericus, et testis fœmina,

quis non videt dedecere confrontationem ?) : tum ob difficultatem recte peragendæ hujusmodi confrontationis ; unde prudenter Pellegrinus, vir in rei judiciariæ praxi versatissimus : « Quia confrontatio requirit magnam circumspectionem, et « practicam in ipsa bene facienda, ego nunquam facerem, vel « saltem de raro, sed semper curarem fieri repetitionem. » (Parte 4, sect. 9, n. 68.)

Formulam autem peragendæ confrontationis, si omissam in nostro formulario desideres, supple ex eodem Pellegrino, qui eam per extensum tradit. (Parte 4, sectione 9, n. 9 et sequentibus.)

Nota. — Quando fit confrontatio testium, locum supplet repetitionis eorumdem; ac proinde repetitio tunc non est facienda.

CAPUT IX.

DE ARTICULIS DEFENSORIIS SEU DE PROCESSU DEFENSIVO, ET QUOMODO PROCESSUS HIC FINIATUR.

1. Jus sese defendendi, non humana tantum et positiva lex, sed naturalis etiam et divina reo tribuunt. In quo demonstrando, cum extra controversiam sit, non immorabimur.

2. Hinc jus habet reus ut judex procedat ad examen eorum omnium, quæ in sui defensionem afferre voluerit. Ut autem possit judex super ejusmodi defensionis mediis processum instituere, necesse est ea ipsi clare indicari.

Pro quo reus per sé vel patronum suum scripturam concinnat, in qua enuntiat varia capita, ex quibus suam innocentiam ostendi contendit, et in quorum singulorum probationem idoneos testes aut documenta se producturum promittit. Quæ scriptura judici tradita fit totius defensivi processus basis

et norma, unde et articuli quibus constat *defensorii* vocari solent.

3. Quomodo fabricari et præsentari debeant ejusmodi articuli, habes in formulario (collectione 2, capite 38).

4. Constituto ergo die, reum monet judex ut producat testes aliave documenta, quibus articulos defensorios probare intendit. Tunc reus nominat testes super tali vel talibus articulis examinandos (hi vero nisi sponte, rogante reo, venirent, auctoritate judicis sunt citandi). Singulos ergo ad defensionem productos testes, delato prius juramento, judex more solito examinat, eorumque depositionem recipit. Et pariter fit productorum pro parte rei instrumentorum examen.

5. Sicut potuit reus contra testes sibi oppositos exceptiones proponere, ita potest promotor fiscalis (vel accusator, si via accusationis procedatur) contra testes ad defensionem rei productos excipere, nec non *interrogatoria* judici porrigere, petendo ut secundum ea dicti testes interrogentur.

6. Finito testium et instrumentorum pro parte rei productorum examine, necnon pariter examinatis iis omnibus quæ ex utraque parte pro repulsa testium adducuntur, fieri potest processus defensivi publicatio, eo fere modo quo facta est offensivi : sed publicatio ejusmodi necessaria non est. (Vide Pellegrinum, parte 4, sect. 12.)

7. In causis civilibus fit *conclusio in causa :* non autem in criminalibus; quia in his ante prolatam sententiam, remanet semper reo novas defensiones producendi facultas. Quæ novæ defensiones quoties producuntur, locum dant novo processui : examinantur nempe testes noviter producti, vel nova documenta; suasque exceptiones proponit fiscus; cui et pro parte rei fiunt responsiones.

8. Quando reus nihil novum habet ad sui defensionem producendum, citantur partes ad sententiam definitivam; quo citationis decreto simul monentur ut veniant cum suis patronis, seu advocatis, qui merita causæ, ante sententiæ probationem, discutiant.

9. Die ergo ad sententiam definitivam assignato, auditur primo advocatus rei, vel ipse reus, si sese ipsum defendere velit; et tunc fit defensio illa strictiori quodam sensu sumpta, de qua dicimus in formulario (collectione 2, capite 46). Postea auditur advocatus fisci, vel ipsemet promotor fiscalis (vel advocatus accusatoris, si per viam accusationis procedatur): tum advocato rei conceditur replicatio; et advocato fisci replicatio ad replicationem; et sic deinceps usque ad numerum replicationum per stylum curiæ determinatum. Qui numerus talis esse debet, ut ultimo loco semper audiatur defensor rei.

Denique perorare desinentibus advocatis, judex definitivam sententiam pronuntiat.

CAPUT X.

DE SENTENTIIS INTERLOCUTORIIS.

Cum ejusmodi sententiæ intervenire possint per totum processus tractum, ab exordio scilicet litis usque dum definitive pronuntietur, non erat cur uno potius quam alio loco de iis disserere deberemus; et ideo notionem illam huc remisimus.

1. Interlocutoria sententia illa est, qua judex, non de causa ipsa principali, sed dumtaxat de causa aliqua incidente pronuntiat. Et dicitur *interlocutoria*, quia eam judex *loquitur* seu pronuntiat *inter* litis principium et sententiam definitivam. Unde quidquid judex ante definitivam sententiam circa causam decernit, sententia interlocutoria dicitur.

2. Est autem interlocutoria sententia, vel *simplex* vel *vim definitivæ habens*. Simplex est, verbi gratia, quando judex concedit dilationem, vel partes certo die adesse decernit, vel alia ejusmodi interponit decreta, quæ per se non sunt causæ principalis decisiva. Habet definitivæ vim, verbi gratia, qua jura-

mentum purgatorium defert parti, qua pronuntiat actorem sufficienter intentum suum probasse, qua dicit se esse incompetentem vel contra, qua exceptionem aliquam peremptoriam admittit vel rejicit.

3. Quando in dispositionibus occurrit vox *sententia*, definitiva, non vero interlocutoria intelligenda venit.

4. Per sententiam interlocutoriam, is contra quem pronuntiatur, infamiam non incurrit. E contra infamis evadit ille contra quem pronuntiatur sententia definitiva, in causis criminalibus, et in nonnullis aliis.

5. Sententia interlocutoria non requirit scripturam, nec citationem partis; quæ conditiones in ferenda definitiva exiguntur.

6. Sententiam interlocutoriam potest regulariter judex corrigere et revocare. Dicimus *regulariter :* nam ab hac regula generali excipiuntur sequentes casus : *primo*, si interlocutoria sententia sit jam executioni mandata; *secundo*, si eam pronuntians, rogatus ut revocaret, e contra illam firmavit; *tertio*, si judex superior, ad quem a tali sententia est appellatum, eamdem confirmaverit, pronuntiando male fuisse appellatum; *quarto*, si lata sit de consensu utriusque partis; *quinto*, si judex appellationem ab interlocutoria sua admisit, et a judice *ad quem*, ne in causa procedat, fuit inhibitus; *sexto*, si interlocutoria vim habeat definitivæ.

7. Ante concilium Tridentinum, poterat a sententiis interlocutoriis appellari; sed dicta synodus ejusmodi appellationes generaliter sublatas voluit (cap. 1, sessionis 13; et capite 20, sessionis 24, *de Ref.*). Excepit tamen tres casus : *primo*, si interlocutoria vim definitivæ habeat, ita ut totum jus alicujus absorbeat; *secundo*, si talis sit post quam non speretur definitiva; verbi gratia, si judex pronuntiet se incompetentem; *tertio*, si contineat gravamen, quod per definitivam, aut appellationem ab ista, nequeat reparari; ut si judex jubeat aliquem in carcerem trudi.

Præmissa autem de sententiis interlocutoriis enuntiavimus

dumtaxat, prætermissis in probationem documentis; quia pariformiter a doctoribus tanquam certa traduntur.

SUBSECTIO IV.

TELA PROCESSUS CRIMINALIS A SENTENTIA DEFINITIVA USQUE AD FINEM.

Cum telam judiciariam criminalis processus usque ad sententiam definitivam lustraverimus, remanet dicendum de ipsa sententia definitiva, de ejusdem executione, et de appellatione, seu de processu in gradu appellationis.

CAPUT I.

DE SENTENTIA DEFINITIVA.

Quæstio 1ª. — *Quid et quotuplex sit sententia definitiva?* — Sententia generatim sumpta definiri solet: *pronuntiatio judicis super causa in judicio deducta;* qua formula comprehenditur tam interlocutoria sententia, quam definitiva. Ad hanc autem in specie designandam, potest hoc modo accommodari definitio: pronuntiatio judicis super causa *principali* in judicio deducta. Negant communius doctores proprie dictam sententiam esse, quam pronuntiant arbitri; eo quod non sint veri judices: de quo vide Schmalzgrueber (in tit. 27, libri 2 Decret., n. 22).

Dividitur definitiva sententia in *absolutoriam* et *condemnatoriam.*

Quæstio 2ª. — *Quamnam sententiam ferre possit aut debeat judex, quando probabilitatem tantum, non autem certitudi-*

nem ex processu collegit ?— Distinguendum inter causas civiles et criminales.

1. *Quoad causas civiles*, hæc a doctoribus tradi solent : 1° debet judex sententiam ferre pro illa parte, quæ jus suum probavit rationibus *probabilioribus*. Idque omnino extra controversiam est, cum oppositam sententiam expresse condemnaverit Innocentius XI, die 2 martii 1679. De quo facile ratio patet : Nam « hoc exigit *primo* natura justitiæ ; quæ instar lancis eo « inclinat, ubi majus est pondus rationum et merita causæ. *Se-* « *cundo*, officium judicis ; nam judex constituitur cum expressa, « vel saltem tacita obligatione pronuntiandi secundum majora « merita causæ. *Tertio*, rationabile desiderium eorum qui ju- « dicis implorant auxilium ; cui rationabiliter irasceretur, eum- « que injustitiæ redargueret is, qui videret se, quantum vis melio- « ribus fundamentis nitatur, condemnari, et causam adjudicari « adversario, minus probabilia afferenti. » (Schmalzgrueber, in tit. 27, libri 2 Decret., n. 28.)

2. Si utrinque stet *æqualis probabilitas*, putarunt nonnulli doctores penes judicem stare, ut pro arbitrio pronuntiet in favorem hujus vel alterius partis. Sed merito opinio hæc communius rejicitur ; et pro *regula generali* in hoc casu statuitur, ut judex a ferenda sententia abstineat ; suadendo nempe partibus ut in compromissum, vel transactionem consentiant ; si vero hoc facere partes noluerint, causam ad superius tribunal referendo. Quod vide firmatum apud Schmalzgrueber (citato loco, n. 29). Diximus pro *regula generali :* nam ab hac regula discedendum est (fatentibus omnibus), *primo*, in casu quo litigantium alter est in possessione ; quia in hac possessione defendendus est, donec de adversæ partis jure constet, prout statuitur capite *Ex litteris* (3, *de Probationibus*), et regula juris 65 (in sexto), ubi dicitur *in pari causa potiorem esse conditionem possidentis ; secundo*, in causis favorabilibus, prout matrimonii, dotis, etc. Debet nempe judex pronuntiare, verbi gratia, in favorem ejus qui matrimonii valorem sustinet, quamvis altera pars nullitatem matrimonii æque probabiliter probaverit.

II. *Quoad causas criminales*, certum est absolvendum esse reum, quando ipsius innocentia et culpabilitas æque probabilibus rationibus fulciuntur; imo absolvendus est etiamsi nocens multo probabilius probetur. Quia nempe et naturalis et positiva lex, condemnari quemquam tanquam nocentem prohibent, nisi *certo* talis probetur.

Quæstio 3ª. — *An et quo sensu sententia debeat esse certa ?* « Respondeo 1°, debet esse certa : intellige, quatenus res in ju- « dicium deducta patitur... Ratio est, quia finis sententiæ est ut « lis sopiatur; quod non fit quando sententia est incerta. Hinc « nulla est sententia si judex dicat, *solve quod debes;* sed res « simul exprimenda est, ut patet ex toto titulo c. *de Sent. quæ « sine certa quant. profertur.* » (Schmalzgrueber, in tit. 27, libri 2 Decret., n. 37.)

2° Ad dubium *qualis incertitudo vel obscuritas tollat valorem sententiæ*, respondet idem auctor (ibid., n. 38) : « Illa quæ « major est quam res in judicium deducta postulet. Nam quia « hæc litem potius accendit quam extinguat, merito illam le- « ges irritam declararunt (§ *Curare* 32, Instit. *de Actionibus ;* « — lege *Hæc sententia* 3, et lege finali, c. *de Sententia quæ sine « certa quant.*). Dixi, *quæ sit major quam res in judicium dedu- « cta postulet :* nam hæc interdum talis est ut incerta sententia « ferenda sit : veluti si fructus petantur; si ex obligatione « alternativa agatur, etc.; quo casu non est necesse ut deter- « minatio rei seu quantitatis sit specifica; sed satis est ut sit « relativa ad aliud, ex quo ejus certitudo peti potest. Hinc « valet sententia, qua judex jubet restitui fundum cum fru- « ctibus. »

Quæstio 4ª. — *An et quo sensu sententia debeat esse absoluta, et non conditionata?* — 1. « Debet esse absoluta, et non sub « conditione lata, ut habetur lege *Siquidem* (5, ff. *Quando ap- « pellandum sit*). Hinc non consistit sententia, qua judex diceret : « *Condemno Titium, si est probatum eum debere.* Ratio est quia « tali sententia non imponitur finis controversiæ. » (Schmalzgrueber, in tit. 27, l. 2 Decr., n. 37.)

2. Ad dubium, *qualis conditio sententiæ valori* obsit, respondet (ibid., n. 39) citatus auctor : « Tantum illa quæ est condi-« tio proprie dicta, seu de futuro, et actum suspendit ad fu-« turum eventum; non autem conditio de præterito, vel de « præsenti. Imo nec quævis conditio de futuro obest valori « sententiæ, sed tantum extrinseca : nam sub conditione in-« trinseca et necessaria ferri potest sententia, ut si judex di-« cat : *Defero tibi juramentum, et, si præstiteris, absolvam te,* « *vel absolvo.*

3. « Obest conditio solum in sententia definitiva, non au-« tem in interlocutoria... Imo etiam in definitiva illa tantum « conditio valorem sententiæ tollit, quæ incertitudinem et ob-« scuritatem inducit : si hoc non fiat, etiam sub conditione « extrinseca et de futuro lata valet, quamvis ab ea appellari « possit. »

Quæstio 5ª. — *An et quo sensu sententia libello conformis esse debeat?* — 1. « Debet esse conformis libello, ut colligitur ex « capite *Qualiter* (24, circa finem, *de Accus.*); ex Clementina 2 « (§ *Verum, de Verborum significatione*); ex lege *Ut fundus* (18, « ff. *Commun. dividund.*) » Ita Schmalzgrueber (in tit. 27, libri 2 Decr., n. 37).

2. Ad quæstionem, *Quomodo sententia debeat esse conformis libello,* respondet (ibid., n. 40) citatus auctor : « Certum est, « quod non semper debeat esse conformis conclusioni et peti-« tioni actoris ; alioquin omnis sententia deberet condemnato-« ria esse, nec unquam reus absolvi posset, cum semper in suo « libello actor petat condemnari reum. Quando ergo dicitur, « quod sententia debeat esse conformis libello, intelligendum « est, quod debeat esse conformis *quoad modum dicendi.* Debet « autem conformis esse in tribus : *in re quæ petitur.* Unde « imperator (lege finali, c. *de Fideicommiss. libert.*) stultum « appellat judicem qui, cum res in libello petitur et præstari « potest, reum condemnat in æstimationem rei. 2° *In causa* « *petendi :* ut si res ex causa donationis, venditionis, etc., pe-« tatur, non ex alia adjudicetur. 3° Denique *in actione;* ut eam

« quæ instituta est judex sequatur, esto actor aliam pinguio-
« rem habuisset. Sunt tamen plures casus in quibus judex de-
« flectere a libelli petitione potest, et aliquando plus, aliquando
« minus in sententia determinare, quam in libello petitum sit.
« Et talis est casus *primo*, si hoc necessitas vel æquitas suadeat;
« nam huic magis quam libello conformem esse sententiam
« decet, utpote quæ vel maxime debet esse ex æquo et justo
« lata. *Secundo*, potest judex ultra petita in libello et deducta in
« judicio condemnare, in iis, quæ virtualiter et tacite insunt
« rei; ut si petatur fundus, potest condemnare etiam ad fructus.
« *Tertio*, in causis criminalibus, in quibus judex reum ad pœ-
« nam quæ sibi justa videtur condemnare potest ac debet,
« quamtumvis in libello eam non expresserit, aut aliam infligi
« petierit accusator... »

Quæstio 6ª. — *Quo sensu sententia juri conformis esse debeat?* — Dupliciter sententia aliqua esse potest contra jus; nimirum vel contra jus *constitutionis*, quando nempe judex aliter judicat quam est a lege definitum; vel contra jus *litigantis;* quando judex male negat per sententiam id ad quod se jus habere satis probavit litigans. Quo prænotato, quæritur

I. *An valeat sententia contra jus constitutionis lata?* — Distinguendum : vel enim id, in quo sententia lædit legem, est quid causæ *extrinsecum* (verbi gratia, si judex, quamvis notorie excommunicatus, sententiam pronuntiet); vel quid causæ *intrinsecum* (verbi gratia, si validam pronuntiet judex electionem factam a clericis suspensis).

Si prius, sententia est ipso jure irrita : « Nam regulariter « (ait Schmalzgrueber, loco citato, n. 41), quidquid fit contra « jus est nullum. »

Si posterius, et error in sententia exprimatur (verbi gratia, si judex pronuntiet electionem esse validam *quia suspensi possunt eligere*), talis sententia est ipso jure irrita; ita ut etiam post elapsum terminum ad appellandum possit impugnari, usque ad 30 annos : constat capite *Sententia* (1, *de Sententia et re ju-*

dicata); lege *Illud* (1, ff. *Quæ sententia sine appellatione rescind.*); et lege *Si expressum* (19, ff. *de Appell. et relat.*).

Si vero error in sententia non exprimatur, dicendum sententiam, etsi legis læsivam, esse validam; ita ut nisi intra decem dies appelletur, transeat in rem judicatam. Vide id probatum apud Schmalzgrueber (in tit. 27, libri 2 Decr., n. 42).

II. *An valeat sententia contra jus litigantis lata?* — Quantumvis ejusmodi sententia iniqua sit (modo tamen iniquitas *notoria* non sit), sustinetur seu valida est; ita ut nisi condemnatus intra decendium appellet, in rem judicatam transeat. Ita tenent doctores communiter; atque ita revera tenendum, vide probatum apud Schmalzgrueber (citato loco, n. 43).

Quæstio 7ª. — *An judici aliquando liceat contra jus strictum, ex æquitate vel alia de causa pronuntiare?* — Respondendum negative quoad judicem inferiorem, idest penes quem non stat potestas legem ipsam tollendi aut mutandi. Atque ita tradunt doctores communissime. « Ratio est, quia facti solum quæstio « judicis arbitrio relinquitur; quæ autem sunt juris, legis autho- « ritati. Unde si contra jus expresse judex pronuntiet, functio- « nem judicis egressus, legislatorem se facit... » (Schmalzgrueber, in tit. 27, l. 2 Decr., n. 47.)

Quæstio 8ª. — *An ad valorem sententiæ necesse sit eam ferri citatis partibus?* — Respondetur affirmative. Et quidem trina citatione, vel una peremptoria, partes vocari necesse est. Constat ex Clementina *Pastoralis* (2, *de Sententia et re judicata*); necnon ex lege *Ea quæ* 7, et duabus sequentibus, tituli *Quomodo et quando judex*, Justinianei codicis; ex quibus textibus, sententiæ, quæ lata est altero litigantium non citato, rei judicatæ firmitas negatur.

Si pars citata, *per contumaciam* non compareat, valide pronuntiari sententia potest. Constat ex modo citata lege *Ea quæ*, necnon ex authentica *Qui semel* (Cod., *Quomodo et quando judex*). Si pars citata absit, sed *absque contumacia*, idest, ex justa causa, vel illa justa causa nota est judici, vel non. *Si prius*, et nihilominus judex pronuntiet, ejus sententia nulla est, ex ci-

tatis textibus; *si posterius*, valet sententia; sed retractari debet a judice, quando pars quæ non comparuerat probat legitimam absentiæ causam.

Quæstio 9ª. — *An ad valorem sententiæ necesse sit eam pronuntiari servato juris ordine, sive cum præscriptis processus solemnitatibus?* — Alius est ordo juris præscriptus quoad processum ordinarium; et alius quoad extraordinarium, id est, quando proceditur ex notorio, vel summarie, vel ex informata conscientia. Quando judex tenetur causam expedire per processum *ordinarium*, irrita est sententia, quæ fertur non servatis substantialibus processus ordinarii solemnitatibus. At vero quando judici licet processum *extraordinarium* adhibere, valet sententia prolata, non servatis processus ordinarii solemnitatibus, modo serventur eæ, quæ etiam in extraordinario processu requiruntur.

Quæstio 10ª. — *An ad valorem sententiæ requiratur eam pronuntiari a judice pro tribunali sedente?* — Respondetur affirmative, et constat ex capite ultimo tituli *de Sententia et re judicata*, in sexto; et consonat Justinianeum jus (novell. 82, c. 3). Estque sententia aliter pronuntiata, si causa sit ordinaria, omnino invalida, seu *nullius penitus momenti*, ut dicitur in modo citato capite. Diximus *si causa sit ordinaria :* nam in causis summariis, seu quando proceditur de plano, et sine strepitu judicii, sententia etiam a non sedente prolata valet (ex Clementina *Sæpe* 2, *de Verborum signif.*).

Quæstio 11ª. — *An ad valorem sententiæ necesse sit eam ex scripto proferri?* — Respondetur affirmative; et constat ex capite ultimo, tituli *de Sententia et re judicata*, in sexto : consonatque Justinianeum jus (lege *Hac lege* 2, et sequenti, c. *de Sententia ex brevic. recit.*). Unde nulla est sententia, quæ dicta fuit cum scripta non esset.

Excipe 1° si sententia a Papa feratur; 2° si causa sit levioris momenti; 3° si sit notoria; 4° si sit interlocutoria, quæ tamen a notario in scriptum est referenda. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 27, libri 2 Decret., n. 54.)

Quæstio 12ª. — *An ad valorem sententiæ requiratur ut proprio ore judicis pronuntietur?* — Respondetur affirmative; quod probatum vide apud laudatum auctorem, citato loco, n. 55.

Quæstio 13ª. — *Quo loco sententia ferri debeat?* — Quamvis ex jure Justinianeo teneatur regulariter judex ordinarius, qui certum tribunal habet, in eo ferre sententiam, et alias sententia non valeat; certum est ex jure canonico posse Episcopum, de causis ad forum suum pertinentibus, per se vel per alium sententias ferre in quolibet loco non exempto diœcesis suæ. Constat ex capite *Cum Episcopus* (7, *de Offic. ord.*, in 6).

Quæstio 14ª.— *Quo tempore sententia ferri debeat?*—I. Ferri debet antequam instantia sit perempta. Perimitur autem, juxta Justinianeum jus, triennio in causis civilibus, et biennio in criminalibus. Quod Justinianeum jus, utpote canonico non contrarium, in foro etiam ecclesiastico vigere censendum est, nisi alicubi aliter ex consuetudine introductum sit.

II. Ferri debet die et hora in citatione assignatis; alioquin non valet. In contumacem tamen potest judex quando vult post terminum sententiam pronuntiare. (Vide id probatum apud Schmalzgrueber, in tit. 27, l. 1 Decret., n. 58.)

III. Ferenda est die non feriato, et interdiu, non autem de nocte. (Vide probatum, ibid., n. 59.)

Quæstio 15ª. — *An sententia debeat semper continere absolutionem vel condemnationem, et causam ex qua proferatur?* — 1° Certum est sententiam semper debere aut absolutionem rei, aut ejus condemnationem continere. Constat ex capite *Illa* (3, *de Accus.*), et ex lege *Res judicata* (1, ff. *de Re jud.*). Et sequitur ex eo quod debeat ferri juxta id quod in libello petitur. In libello autem semper petitur contra reum aliquid pronuntiari. Unde vel id concedit judex, et sententia est condemnatoria, vel denegat, et est absolutoria.

2° Non tamen requiritur expressa absolutionis vel condemnationis forma; sed satis est absolutionem Rei, vel ejus condemnationem exprimi æquivalenter. Hinc si judex pronuntiet Titium nihil debere Caio, absolvisse censetur.

3° Regulariter necesse non est ut judex causam exprimat ex qua motus est ad sententiam ferendam; quia in dubio ex justa causa pronuntiasse præsumitur, ut constat ex capite *In præsentia* (6, *de Renunt.*) et ex capite *Sicut* (16, *de Sent. et re jud.*)

« Dixi *regulariter:* excipiuntur enim complures casus, in « quibus expressio causæ est necessaria : *primo*, in causis crimi- « nalibus, præsertim excommunicationis. *Secundo*, in causis ap- « pellationis, quando sententia in prima instantia lata revocatur « (capite *Cum Bertholdus* 18, *de Sent. et re judic.*). *Tertio*, « quando ab observatione judicii propter ineptam petitionem ac- « toris in libello factam reus absolvitur. *Quarto*, quando in pro- « nuntiando, a jure communi (ex speciali ordinatione vel sta- « tuto, aut consuetudine recepta) receditur. » (Schmalzgrueber, in tit. 27, lib. 2 Decret., n. 61.)

Quæstio 16ª. — *Quandonam sententia in rem judicatam transeat?* — Tunc sententia dicitur in rem judicatam transisse, quando ejus effectus nec suspensus est, nec potest amplius suspendi. Hoc autem *regulariter* evenit, quando condemnatus sententiæ acquiescit ; sive *expresse*, verbi gratia dilationem postulando ad solvendum quod debet; sive *tacite*, non appellando intra decem dies.

Diximus *regulariter :* nam plures excipiuntur casus, quorum præcipuos sic enumerat Schmalzgrueber (in tit. 27, libri 2 Decret., n. 64) : 1° « Non transit in rem judicatam sententia « quæ est irrita ipso jure (ut si a judice incompetente, vel in « falsum procuratorem mandato carentem, aut contra jus « commune sit lata); nam talis sententia nequidem decennio, « multo minus decendio elapso, authoritatem rei judicatæ « consequitur ; cum de nullitate agi, et sententia retractari, « secundum communem doctrinan, usque ad annos 30 possit. « Neque appellatio eo casu est necessaria (ut habetur lege « *Si cum inter* 2, c. *Quando provoc. non est necess.*); quia ap- « pellatio tantum interponitur quando sententia valet.

2° « Sententia lata in causa matrimoniali; sive lata sit con-

« tra matrimonium, sive pro matrimonio : quia nec contra-
« ctum valide authoritate sententiæ judicialis dissolvi, nec
« contractum invalide eadem authoritate convalescere potest :
« et ideo res judicata tantum prodesse non valet, ut ab ea
« recedere, et repertis aliis probationibus, litem de novo re-
« suscitare non liceat (capite *Lator* 7, capite *Tenor* 10, et capite
« *Consanguinei* 11, tituli 27, libri 2 Decretalium).

3° « Sententia lata in causa beneficiali. Nam etsi, qui per eam
« in causa succubuit, et intra decendium a sententia non appel-
« lavit, eo lapso opponere volens non audiatur, et sic quoad
« ipsum eatenus sententia transeat in rem judicatam, non ta-
« men decendii lapsus victorem ita securum efficit, ut non, eo
« lapso, de nullitate tituli adversus illum opponi a quocumque,
« vel inquiri a judice possit (capite *Constitutis* 46, *de Appel.*).

« 4° Sententia excommunicationis, suspensionis et inter-
« dicti. Nam etsi hoc modo censuratus, post decendium a sen-
« tentia lata appellare nequeat, petere tamen absolutionem, et
« per simplicem querelam de talis sententiæ injustitia queri
« potest. Idque sumitur ex capite *Cum contingat* (36, *de Officio*
« *judicis delegati*) ; capite finali *de Pœnis ;* capite *Sacro* (48, *de*
« *Sent. excomm.*). Ex quibus textibus constat, quod petens ab-
« solutionem, et probare volens sententiam esse injustam,
« semper audiatur. Eodem modo probari postea potest ali-
« quem esse ligatum censura, contra sententiam quæ illum
« pronuntiavit ea esse immunem ; quia pronuntiatio judicis,
« quod quis non sit excommunicatus, non mutat rei veritatem,
« si vere sit excommunicatus.

« 5° Sententia lata ex falsis instrumentis vel testimoniis.
« Nam hæc etiam post decendium retractatur, si condemnatus
« probet adversarium hujusmodi instrumentis vel testimoniis
« usum, et judicem eorum fidem secutum esse. »

« 6° Sententia lata ex juramento *necessario*, quod in supple-
« mentum probationum a judice delatum est parti. Hæc enim
« ex repertis postea instrumentis, etiam lapso decendio impu-
« gnari, et postquam falsitas juramenti sufficienter probata

« fuerit, retractari potest ac debet; ut habetur lege *Admo-*
« *nendi* (31, ff. *de Jurej.*). Aliter res se habet in sententia lata
« ex juramento, a parte parti delato coram judice....» Alias exceptiones ad supra traditam regulam generalem, vide apud eumdem Schmalzgrueber, citato loco.

Quæstio 17ª. — *Quinam sint effectus definitivæ sententiæ?* — Ad tria capita ejusmodi effectus referri possunt, prout vel judicem, vel partes, vel causam respiciunt.

I. *Effectus quoad judicem:* sententiam definitivam a se latam nequit judex revocare aut corrigere. Quæ regula generalis omnino certa est, et ab omnibus admissa. Atque id verum remanet 1° etiamsi judex manifeste agnoscat injustam esse sententiam suam; 2° etiamsi partes consentirent ut corrigeretur sententia; 3° tam in causis criminalibus quam civilibus; 4° etiamsi judex inductus ex errore fuisset ad talem pronuntiandam sententiam; 5° etiam intra decem dies ad appellandum concessos; 6° etiamsi vellet dumtaxat judex sententiam corrigere quoad accessoria, non autem quoad principale.

Diximus 1° non posse judicem *revocare* aut *corrigere* sententiam suam : nam eam potest *declarare*, et etiam eodem die supplere quæ omissa fuissent, modo hæc veniant in consequentiam principali rei decisæ.

Diximus 2° sententiam *definitivam :* interlocutoriam enim, revocare potest, modo hæc talis non sit, quæ definitivæ vim habeat.

Dantur tamen ad traditam regulam generalem duæ exceptiones : *primo*, si agatur de supremo judice, idest, de Papa, certum est eum et suam et antecessorum sententiam posse revocare et emendare. *Secundo*, item quilibet judex potest sententiam suam definitivam revocare, si hæc jure nulla et irrita foret. Vide hæc probata apud Schmalzgrueber (in titulum 27, libri 2 Decret., § 5).

II. *Effectus quoad partes litigantes.* — Sententia definitiva, modo sit valida, inter partes jus facit, et ad parendum obligat, nisi ab ea intra decem dies fuerit appellatum. Constat ex capite

Inter (13, *de Sentent. et re jud.*). Ratio est quia tunc pro veritate habetur; et pro se habet præsumptionem *juris et de jure*, quod sit justa : estque præsumptio hæc adeo fortis, ut ejusmodi sententiæ standum sit, nec instaurari postea lis ita finita possit.

III. *Effectus quoad causam ipsam.* — 1° Per sententiam definitivam finitur lis seu controversia, quoad instantiam in qua pronuntiatur; quia post latam sententiam (si valida sit) judex officio suo functus est, et desinit esse judex quoad eam causam. 2° Lata in favorem actoris, facit ut actor habeat *actionem in factum*, vi cujus persequi potest id ad quod reus condemnatus est. 3° Lata in favorem rei, facit ut reo competat exceptio *rei judicatæ* contra actorem ejusque hæredem. 4° Quandoque irrogat infamiam reo condemnato; nempe *primo*, quando agitur de delictis publicis, ut si quis condemnetur de adulterio, veneficio, etc. *Secundo*, quando reus condemnatur ob furtum, vel rapinam, vel injuriam, vel dolum. *Tertio*, quando condemnatur ob fidem non servatam in contractu depositi, vel mandati, vel tutelæ, vel societatis. 5° Sententia definitiva irritat contrarium rescriptum Papale obtentum a reo, nisi in eo de sententia contra reum prolata mentio fiat. 6° In dubio an justa sit sententia prolata, debet judex, ad quem appellatur, eam confirmare; quia præsumptionem pro se habet; unde illi standum est, nisi injusta probetur. Vide Schmalzgrueber (in tit. 27, libri 2 Decret., n. 88 et seq.).

CAPUT II.

DE SENTENTIÆ EXECUTIONE.

Quæ ad sententiæ executionem pertinent exponemus 1° quoad regiones in quibus Ecclesia pleno jure suo utitur, seu in quibus judex ecclesiasticus brachii sæcularis auxilium habet. 2° Quoad regiones in quibus judex ecclesiasticus dicto brachii sæcularis auxilio destituitur.

§ I.

De executione sententiæ, in iis regionibus, in quibus non deest judici ecclesiastico potestas, ad executionem per vim coactivam deducendi sententias suas.

Cujuslibet judicis potestas debet esse *imperio* mixta; ita nempe, ut possit, non tantum jus dicere, sed quod pronuntiavit ad executionem efficaciter deducere. Debet ergo habere potestatem et sufficientia media, ad ejusmodi executionem etiam ab invitis obtinendam. Necessarium proinde est in quolibet judice aliquod *imperium*, idest aliqua vim externam coactivam adhibendi potestas. Alioquin inaniter pro tribunali sederet judex, cujus sententias impune condemnati possent deridere.

Est quidem judicibus ecclesiasticis proprium, ut nonnullas condemnatorias sententias ferre possint, quæ suam secum executionem trahunt; eas nempe quæ reum excommunicatione, aliave censura ecclesiastica feriunt. Ast in multis causis, ad forum eorum pertinentibus, sæpe contingit ut alias ferre debeant sententias, pro quibus exequendis necessaria est aliqua externa actio. Tales sunt, verbi gratia, sententiæ quibus reum pœna pecuniaria plectunt, quibus eum damnant in expensas litis, quibus causas civiles fori ecclesiastici reum condemnando, dirimunt. Tunc nempe externe cogenda est pars condemnata, ad præstandum id, quod sententialiter statutum est. Hinc potestatis sæcularis officium est providere, ut sua sit judicibus ecclesiasticis sententias suas ad executionem deducendi facultas. Quod præstare solent catholici principes, hanc judicum ecclesiasticorum potestatem agnoscendo, et brachii sæcularis auxilium, pro efficaci ejusdem potestatis exercitio, decernendo. Atque ut ita res componatur ab iis qui temporalibus præsunt societatibus, jus habent, tum Ecclesia ipsa, tum catholici quilibet populi.

Ubi ergo viget illa, temporalem inter et ecclesiasticam pote-

statem, concordia, applicationem habent juris sacri, quoad sententiarum ecclesiasticarum executionem, nunc exponendæ dispositiones.

Quæstio 1ª. — *Quænam sententiæ executione non egeant?* — 1° Si sententia sit absolutoria, nulla executione, idest, nullo alio actu a sententia diverso, indiget. Nam per ipsammet sententiam tutus fit reus, et habet efficaciter quod volebat, idest absolutionem. Si tamen judex simul actorem condemnet ad resarciendas reo expensas, executione opus erit, ut reus ejusmodi expensarum solutionem efficaciter obtineat.

2° Neque executione indigent sententiæ condemnatoriæ quibus reus excommunicatur, aliave censura ecclesiastica feritur. Ejusmodi enim sententiæ effectum suum per seipsas producunt; efficiunt nempe de facto excommunicatum, suspensumve, aut interdictum illum, contra quem proferuntur.

3° Idem dicendum de pœna privationis, quando ad illam pœnam observandam condemnatus non habet aliquem actum ponendum, sed debet ab aliquo actu abstinere; verbi gratia, quando aliquis privatur voce activa aut passiva, vel declaratur ad aliquod officium inhabilis aut ineligibilis.

4° In cæteris vero casibus, post prolatam sententiam, sequi debet canonica executio; quia sine hac inanis remaneret sententia. Quod patet, verbi gratia, si judex ecclesiasticus pronuntiet in reum pœnam pecuniariam, vel pœnam privationis beneficii, vel depositionis ab officio, vel degradationis: et quando causa non est criminalis, si eum condemnet ad tradendam actori rem, de qua lis mota est.

Quæstio 2ª. — *A quo fieri debeat sententiæ executio?* — 1° Fieri non debet auctoritate privata, sed auctoritate judicis. Ita Justinianeum jus, quoad hoc in foro etiam ecclesiastico receptum. (Vide Leurenium, *Forum eccles.*, in tit. 27, libri 2 Decret., q. 982.) Ratio est, quia ad bonum societatis plurimi interest, ut executio sententiæ fiat auctoritate publica. Si enim privatis ipsis facienda relinqueretur, facile orirentur rixæ et tumultus, nec de ea satis in posterum constare posset.

2° Quando sententia prolata est a judice ordinario, et non in gradu appellationis, ad hunc judicem, non ad alium, spectat sententiæ executio. Potest autem sententiam exequi, vel per se ipsum, vel per alium ad hoc deputatum, aut requisitum.

3° Si judex qui sententiam tulit sit delegatus Papæ, ad eum pariter pertinet executio. Si vero sit delegatus, sed non Papæ, an sententiam suam ipse exequi possit, vel ad delegantem recurrendum sit, inter doctores controvertitur. Si tamen ipsi specialiter a delegante demandata est executio, evanescit difficultas, quia tunc certo poterit executionem facere. (Vide id discussum apud Schmalzgrueber, in tit. 27, libri 2 Decret., n. 95.)

4° Arbitri sententiam suam exequi nequeunt; quia ad pronuntiandum tantum censentur constituti; sed executio tunc ad judicem ordinarium pertinet. (Schmalzgrueber, loco citato.)

5° Quoad judicem appellationis, distinguendum est : vel ejus sententia est *reformatoria* sententiæ judicis a quo, vel *confirmatoria*. Si *reformatoria*, executio ejus spectat ad judicem appellationis. Si *confirmatoria*, executionem relinquendam esse judici *a quo* putarunt multi doctores; sed negant alii, ex ea ratione quod per appellationem, suspenditur jurisdictio judicis a quo, et ad judicem ad quem devolvitur. (Vide Leurenium, *Forum ecclesiastic.*, in tit. 27, libri 2 decret., q. 982, n. 3.)

Quæstio 3ª. — *Quando fieri possit sententiæ executio?* — 1° In criminalibus potest fieri statim post sententiam, non expectato etiam decendio ad appellandum concesso. Unde tunc si condemnatus velit executionem suspendere, debet statim appellare. Sed universaliter id non admittunt aliqui auctores, et putant expectandum esse lapsum decem dierum ad appellandum reo concessorum. (Vide Leurenium, loco cit., n. 4.

2° In actionibus realibus, tunc tantum fieri potest executio, quando sententia in rem judicatam transit; id est, post decem dies, si non fuerit appellatum.

3° In actionibus personalibus, fieri non debet ante quatuor menses ; quia nempe conceditur condemnato quadrimestre ad solvendum. (Capite *Quoad consultationem*, tituli 27, libri 2 Decret. ; et capite *Quærenti, de Officio delegati.*)

Quæstio 4ª. — *An executor sententiæ possit contra eam exceptiones admittere ?* — « Respondeo distinguendum inter exe- « cutorem merum et mixtum. *Merus* est, cui nulla cognitio, « sed sola executio causæ, jam plane cognitæ et decisæ, cōm- « mittitur. *Mixtus* est, cui non mera executio, sed etiam co- « gnitio de facienda executione committitur.

« *Posterior* admittere potest exceptiones, quæ solum ten- « dunt ad impediendam aut retardandam executionem, et de « his pronuntiare. At de exceptionibus quæ merita causæ con- « cernunt, vel directe impugnant sententiam, etsi summarie « possit executor cognoscere, ut (si frivolas esse cognoverit) « illas rejiciat, si tamen ratione nixas repererit, plenam de illis « cognitionem remittere debet ad superiorem, et interea exe- « cutioni sententiæ supersedere, ut colligitur ex lege *Si prætor* « (74, ff. *de Judic.*). Excipitur si sententia arbitri aut delegati « sui sit executioni danda ab ipso judice ordinario : nam hoc « casu cognoscere potest de exceptionibus etiam ut negotium « definiat ; et sententiam, si nullam illam repererit, rescindat « per modum restitutionis in integrum.

« *Posterioris generis executor*, seu *merus*, nullas exceptiones « potest admittere, nec de illis cognoscere (lege *Si ut proponis* « 6, et lege *Executorem* 8, c. *de Executione rei judic.*). Idque « procedit tametsi executor sententiam a judice latam sciat « esse injustam. Nam postquam illa in rem judicatam trans- « iit, exequi eam debet, ut constat ex capite *Pastoralis* (28, *de* « *Officio jud. deleg.*). Plures tamen faciendæ sunt exceptiones « in quibus executor merus exequi non tenetur sententiam « quam ipse scit injustam esse. 1° Si lata sit in causa criminali, « in qua agitur de occisione vel mutilatione innocentis ; quia « occidere hominem innocentem est intrinsece malum, adeo- « que nec executori permissum. 2° Si lata sit *nulliter*, et hoc

« sit certum ; quia tunc non transiit in rem judicatam, et con-
« sequenter executioni dari non potest. 3° Si sit injusta quidem,
« sed tamen valida..., ego cum Pirrhing utor distinctione, inter
« sententiam quæ materialiter solum, et eam quæ formaliter
« injusta est : si *materialiter* solum injusta sit, eo quod judex
« eam ferendo secundum allegata et probata processerit, tunc
« executor (saltem in causa civili) sententiam ejusmodi licite
« exequitur, imo debet exequi si superior præcipiat..... At si
« sententia lata sit *formaliter* injusta, quia judex non processit
« secundum allegata et probata, sed ex imperitia vel dolo ita
« judicavit, tunc executor, si hoc ei certum sit, nec debet nec
« potest talem sententiam exequi. » (Schmalzgrueber, in tit. 27, libri 2 Decr., n. 104.)

Quæstio 5ª. — *An ab executione appellari possit ?* — « Re-
« spondeo cum communi negative ; nisi forte excedatur modus
« in exequendo ; tunc enim appellari potest, sed exprimi debet
« causa excessus et gravaminis. » (Leurenius, *Forum ecclesiast.*, in tit. 27, libri 2 Decret., q. 991.

Quæstio 6ª. — *An ad executionem requiratur citatio ?* — 1° Quando a sententia fuit appellatum, et dein deserta appellatio, in executione debet pars citari ; alias non valet executio. Ita doctores communiter. 2° Extra casum desertæ appellationis, vel executio facienda est in ipsa re, de qua lata fuit sententia, vel in re diversa : *si prius*, citatione opus non est ; *si posterius*, citanda est pars ad allegandum quare sententia non debeat mandari executioni. (Vide Leurenium, citato loco, quæst. 992.)

Quæstio 7ª. — *Ad quas expensas litis condemnandus sit temerarius litigator, et quis litigator temerarius censendus sit?* — I. Expensæ litis aliæ sunt voluntariæ, aliæ necessariæ. *Voluntariæ*, quæ et *delicatæ* vocantur, sunt ii sumptus, qui causa non exigente fiunt ; ut si litigans spe obtinendæ victoriæ, liberaliorem solito erga advocatos aliosve sese exhibeat. *Necessariæ* vero, quæ et *legitimæ* seu moderatæ dicuntur, sunt ii sumptus, qui juxta curiarum morem ad commodam litis expeditionem

necessarii sunt : verbi gratia, quæ dari solent advocatis et procuratoribus pro conficiendis libellis aliisque scripturis : notariis pro conficiendis instrumentis : testibus ad resarciendum ipsis tum expensas, tum lucri amissionem, si quam subire debuerint ex necessitate ferendi testimonii. Ad refundendas victori *voluntarias* expensas nunquam pars victa condemnari debet. Unde quæstio est dumtaxat de expensis necessariis.

II. Qui causa cecidit, et temere litem intentavit, vel contra se intentatam suscepit, ad expensas necessarias est a judice condemnandus : alioquin ipse judex teneretur eas expensas solvere. Constat ex capite *Finem litibus, de Dolo et contumacia ;* et ex capite *Contumaciam, de Pœnis.* Consonat Justinianeum jus lege *Properandum* (c. *de Jud.*), in qua sic habetur : *Omnes judices sciant victum in expensarum causa victori esse condemnandum, quantum pro solutis expensis litium juraverit : non ignorantes quod si hoc prætermiserint, ipsi de proprio hujusmodi pœnæ subjacebunt, et reddere eas parti læsæ coarctabuntur.* Et de hac generali regula, quod nempe temerarius litigator ad necessarias expensas damnandus sit, nulla est inter doctores dissensio. Quis autem sit pro temerario litigatore habendus, determinandum remanet.

III. Temere litigasse nunquam censetur, qui sese defendit in causa criminali, in qua de pœna sanguinis vel alia corporis afflictiva agitur ; quia nempe jura concedunt ut quisque quovismodo sanguinem suum tueatur (lege ff. *de Bonis eorum qui ante mort.*).

IV. Temere litigare dicitur, non tantum qui dolo et malitia, sed etiam qui *imprudenter* et *inconsulto* litem alteri movet, vel ab eo sibi motam suscipit. Qui autem justam causam habuit litigandi, putans nempe ex gravibus rationibus, sibi jus favere, etiamsi condemnetur, non fuit temerarius litigator ; unde nec est ad expensas alteri parti refundendas condemnandus.

V. Sed quis tandem censeri debeat *prudenter* et *consulto* litigasse, certa regula determinari nequit, estque judicis æsti-

mationi relinquendum. (Vide Leurenium, qui fuse de expensis tractat in suo *Foro ecclesiastico*, in tit. 27, libri 2 Decretalium, q. 994 et sequentibus.)

Quæstio 8ª. — *Quomodo fieri a judice possit aut debeat condemnatio in expensas, et an ab ea detur appellatio?* — 1° Potest judex hanc condemnationem pronuntiare ante sententiam definitivam, seu per sententiam interlocutoriam : et tunc eam potest judex corrigere aut revocare, nec datur regulariter ab ea appellatio.

2° Si vero condemnatio hæc fiat simul cum definitiva sententia, pars illius censetur ; ac proinde appellari ab ea poterit antequam definitiva sententia in rem judicatam transierit.

3° Debet insuper judex expensas eas taxare, quæ ex constitutione, vel stylo curiæ, taxatæ non forent.

4° A *taxatione* per judicem facta, non datur appellatio ; quia taxatio censetur pars *executionis ;* ab executione autem non appellatur. (Vide quoad hæc Leurenium, loco citato, q. 100 et sequentibus.)

§ II.

De executione sententiæ, in iis regionibus, in quibus judex ecclesiasticus brachii sæcularis auxilio destituitur.

Etsi in iis regionibus coactionem externam adhibere nequeat judex ecclesiasticus, existimandum non est inde præpediri, atque prorsus inermem remanere judiciariam Ecclesiæ potestatem. Nam

I. Potest etiam tunc judex ecclesiasticus eas sententias ferre, quæ executionem secum trahunt. Sententiæ scilicet excommunicationis, suspensionis et interdicti, absque ullo sæcularis brachii auxilio, ullave externa coactione, effectum suum operantur ; quem nulla mundana potestas impedire valet.

II. Item depositionis ab officio sententia in clericum pro-

nuntiata, absque ullo sæcularis brachii, aut externæ coactionis interventu, effectum suum obtinere potest. Satis enim est ejusmodi sententiæ notitiam perferri ad populum catholicum, apud quem clericus ille officio fungebatur; jam enim populus ille a tali clerico refugiet, et ea, quæ ad ejus officium pertinebant, ab eo recipere recusabit; per quod sufficienter in executionem transibit prolata depositionis sententia.

III. Item pœnam pecuniariam aliasque sententias in causis civilibus fori ecclesiastici, poterit sæpe judex ecclesiasticus ad executionem deducere, censuras ecclesiasticas in rebelles comminando. Tunc enim catholici litigantes, nisi Dei timorem prorsus abjecerint, sponte et absque ullo sæcularis brachii auxilio sententias exequentur. Ex qua etiam censurarum comminatione efficaciam sæpe habebit citatio rei et testium.

IV. Tunc solummodo in dictis regionibus irretita remanebit judicis ecclesiastici potestas, quando ii (quibus jus dicere debebit, aliter quam per sententiam quæ effectum secum trahat) censuras ecclesiasticas contemnentes, soli externæ coactioni cedere parati sunt. In quibus casibus, num ad dictas censuras devenire, an potius ab eis abstinere expediat, Episcoporum est, pro variis locorum et temporum, personarumve circumstantiis decernere.

V. Hodie in Gallia, præstatur sæcularis brachii auxilium ad exequendas sententias depositionis et privationis in clericos prolatas. Episcopus nempe gubernio notum facit fuisse talem clericum a suo officio parochi, capellanive remotum. Ex quo jam clericus ille, nisi a parochiali ecclesia et presbyterio capellave sponte recederet, vi publica gubernii recedere cogeretur; et insuper gubernii pensio, eidem clerico solvi solita, retrahitur, et successori ejus assignatur.

VI. Cum autem prædicta notitia ab Episcopo ad gubernium transmissa, vera sit sententiæ in clericum prolatæ executio, sequitur ad eam non posse Episcopum legitime devenire, nisi quando ad sententiæ executionem devenire ex jure communi licitum est.

CAPUT III.

DE APPELLATIONIBUS.

De appellationibus quamplurimæ, eæque gravissimæ quæstiones moveri solent. De quibus singulis quid tenendum tradat communis et probata canonistarum doctrina, in sequentibus paragraphis expenditur.

§ 1.

De appellationis natura et institutione.

I. Definiri solet appellatio, *ab inferiori ad superiorem judicem provocatio, ratione illati vel inferendi gravaminis.*

Distinguitur 1° in *judicialem* et *extra-judicialem*, prout ab aliquo actu in judicio vel extra judicium peracto appellatur. Sed extra-judicialis non est appellatio proprie dicta, et potius *provocatio ad causam* dicenda est, prout habetur capite *Cum sit Romana* (5, tit. 28, libri 2 Decretalium) his verbis : *Si vero a gravamine et ante litis ingressum fuerit appellatum, hujusmodi audietur appellans; quoniam sacri canones etiam extra judicium passim appellare permittunt : nec solent hujusmodi dici appellationes, sed provocationes ad causam.* Dividitur 2° in *rationabilem* et *frivolam*, quæ denominationes satis per se patent.

II. Triplici potissimum de causa introducta et ubique gentium recepta fuit appellationum institutio : 1° ut gravamen inique oppressis illatum removeatur ; 2° ut judicantium iniquitas vel imperitia corrigatur ; 3° ut litigator qui, ex ignorantia vel negligentia jus suum non satis probavit, et sic per sententiam primæ instantiæ læsus est, in secunda instantia defectum hunc reparare possit.

III. Quoad quæstionem, utrum ad jus naturale referenda

sit appellationum institutio, an vero ad jus dumtaxat positivum, distinguendum est inter appellationis substantiam, et ejusdem formalitates. Quoad *formalitates* quidem, esse eam juris positivi concedunt canonistæ omnes. Quod *substantiam* vero, diversimode sentiunt. (Vide *Forum ecclesiasticum* Leurenii, in tit. 28, libri 2 decret., q. 1006.) Est autem omnino certum, sæpe a Romano Pontifice causas judicandas committi cum clausula, *omni appellatione remota;* nec sine summa temeritate diceretur id juri naturali adversari. Item in certis casibus, ut infra videbitur, appellationis beneficium denegant ecclesiasticæ leges. Unde si quis sustinere velit ad jus naturale quoad substantiam pertinere appellationem, ita sententiam suam accommodet, ut præfata Sedis Apostolicæ praxis, nec non memoratæ canonicæ leges injustitiæ non insimulentur.

§ II.

Quinam possint appellare.

1. Appellare nequit qui sententiam contra se latam approbavit, sive expresse, sive etiam tacite, idest, non appellando intra temporis spatium ad appellationem interponendam concessum.

2. Neque appellare potest qui fuit ad contumaciam condemnatus.

3. Neque qui condemnatus est tanquam notorii criminis reus.

4. Neque qui simul et confessus et convictus est. Secus vero si fuerit solummodo confessus, aut solummodo convictus.

5. Neque is contra quem tres conformes sententiæ in eadem causa eodemque articulo latæ sunt. Hæc juris textibus firmata vide apud Schmalzgrueber, ubi titulum 28, libri 2 Decretalium illustrat, n. 10 et sequentibus.

6. Excommunicatus interponere potest appellationem judicialem, non vero extra-judicialem. (Vide citatum auctorem dicto loco, n. 11.)

7. An appellare possit, qui juravit se non appellaturum, non plane liquet, ob contrarietatem quam præ se ferunt juris canonici textus; siquidem in capite *Quæstione* (21, *de Appell.*) statuitur non esse admittendam appellationem illius, qui priusquam ferretur sententia, juravit se illi sententiæ pariturum; in capite vero *Ad hæc* (20 ejusdem tituli) appellantibus injungitur ut, *vel servent quod jurant, vel intra* 40 *dies post appellationem interpositam iter arripiant ad ipsam prosequendam.* Sed communius tenent doctores, etiam tunc recipiendam esse appellationem, modo non sit frivola. (Schmalzgrueber, loco cit., n. 13.)

8. Exceptis autem præfatis, quibus appellationis beneficium a jure denegatur, regulariter appellare possunt ii omnes, qui non ex frivolis, sed ex gravibus rationibus sese gravatos existimant.

9. Si in causa pluribus communi, a sententia contra omnes lata unus tantum appellavit, et in judicio appellationis vicit, etiam ad reliquos, qui non appellarunt, victoriæ emolumentum, extenditur. Constat expresse ex capite *Una* (72, *de Appellationibus*); et consonat Justinianeum jus (lege *Si qui* 10, ff. *de Appel.*; — lege *Si judici* 1, et sequenti, c. *Si unus ex pluribus app.*).

Ut autem victoriæ beneficium sic ad alios extendatur, « requiritur 1° ut sint correi, sive eadem causa per eamdem « sententiam condemnati. 2° Ut sententia lata sit pro uno in « *causa appellationis:* nam si lata sit tantum in prima instantia, « ordinarie pro uno lata aliis non prodest, etsi eadem sit causa « omnium: et hoc est discrimen inter sententiam latam in « prima, et inter latam in secunda instantia. 3° Ut correi com- « muni omnes jure utantur: nam si unus contra sententiam « juvetur jure speciali, exempli gratia, favore ætatis..., vi- « ctoria unius non prodest alteri.... 4° Ut sit idem negotium...;

« 5° Ut sit eadem defensionis causa.... 6° Ut alter ex correis « qui non appellavit, sententiam primæ instantiæ expresse vel « tacite non approbaverit. » (Schmalzgrueber, in it. 28, libri 2 Decret., n. 15.)

§ III.

In quibus causis detur vel non detur appellatio.

Quæstio 1ª. — *An recte pro regula generali ponatur, posse appellari a quocumque gravamine, sive judiciali, sive extra-judiciali?* — Respondendum affirmative; quia, cum appellatio sit quædam defensio contra quemcumque actum injuste gravantem, censeri debet personis omnibus, atque omnibus in causis concessa, nisi expresse jus aliquam personarum aut causarum speciem ab hoc appellandi beneficio excludat. Unde ut constet aliquem posse in tali casu determinato appellare, necesse non est ut jus expresse in hoc casu appellationem concedat, sed satis est ut appellationis denegatio quoad hunc casum in jure expressa non reperiatur. « *Regulariter*, ait Leurenius, ab omnibus grava- « minibus, tam judicialibus quam extra-judicialibus, conce- « ditur appellatio, utpote quæ est defensio quædam contra « quemcumque actum injuste gravantem. » (*Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, libri 2 Decret., q. 1082.) Atque in hac admittenda generali regula omnino doctores concordant.

Nemo tamen non videt multis in casibus appellandi facultatem, non in bonum Ecclesiæ cessuram, sed in ejus perturbationem potius atque ruinam. Hinc plurimæ ad præfatam generalem regulam in jure canonico sancitæ exceptiones; quibus scilicet, vel omnino denegatur appellandi facultas, vel ad effectum devolutivum dumtaxat, non vero suspensivum, appellatio conceditur. Eæ nunc exceptiones diligenter recensendæ, et solvendæ quæ de iisdem occurrere possunt difficultates.

Quæstio 2ª. — *An detur appellatio a sententia invalida seu ipso jure nulla?* — « Ab invalida et notorie irrita sententia

« frustra appellatur (lege *Si expressim* 19, et lege *Ex consensu* « 23, ff. *de Appellationibus;* lege *Illud* 1, et sequentibus, ff. « *Quæ sententia sine appellatione rescind.;* lege *Latam* et seq., « c. *Quando provocare non est necesse*); idque ex duplici ra- « tione : *una* est, quia per talem sententiam læsus remedium « ordinarium ad manus habet, videlicet *querelam nullitatis*, « quam coram judice *a quo* proponere potest : *altera*, quia ap- « pellatio sententiam prius latam suspendit, et ad eam rescin- « dendam tendit ; quod autem nullum est, suspendi et rescindi « non potest. Addidi *notorie irrita*, nam in dubio de nullitate, « alternative peti potest, ut sententia declaretur nulla, vel (si « valida sit) corrigatur. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 17.)

De querela nullitatis vide plenius tractatum infra (sectione 5, capite 2, § 1). Ibi expenditur quæstio an querela de nullitate sententiæ deferri possit, non tantum ad judicem appellationis, sed etiam ad ipsummet judicem, qui sententiam nullam protulit. Concluditur autem, ob generalem quæ jamdudum obtinuit consuetudinem, proponendam esse querelam nullitatis coram judice appellationis dumtaxat, non autem coram illo, qui nulliter judicavit ; quamvis paulo antiquiores canonistæ, communiter contrarium tradant, attento jure communi ; nempe proponi etiam posse querelam de nullitate sententiæ coram judice ordinario, qui sententiam tulit.

Quæstio 3ª. — *An detur appellatio a gravaminibus extra-judicialiter illatis, et quodnam tribunal sit tunc adeundum?* — Jam supra (§ 1 hujus capitis) adnotavimus improprie appellationem dici, quæ fit ab aliquo gravamine extra judicium illato ; et rectius vocari provocationem ad causam. Sed quocumque nomine vocetur, magni interest scire, an ejusmodi appellationem concedat jus canonicum. Dum autem dicitur eam revera concedi (ut statim dicturi sumus) sensus non est dari appellationem ab omnibus omnino actibus extra-judicialibus, hoc ipso quod extra-judiciales sint : sunt enim certæ materiæ (ut infra ostendimus), in quibus nec judicialis, nec extra-judicialis ap-

pellatio permittitur. Sed sensus est non prohiberi appellationem, ex eo præcise quod fiat ab actu *extra-judiciali*, id est a gravamine extra judicium illato. Quibus prænotatis ad quæstionem respondetur.

I. *Tanquam regula generalis admittendum est appellari posse a gravaminibus extra-judicialiter illatis.* — Constat ex capite *Cum sit Romana* (5, *de Appellationibus*), ubi expresse decernitur appellantem a gravamine ante litis ingressum, esse audiendum ; et ejusmodi appellationes passim a sacris canonibus permitti ; quamvis subjiciatur eas dici potius provocationes ad causam, quam appellationes. Idem constat ex capite *Concertationi* (8, tit. 15, libri 2, in 6), ubi sic decernitur : *Statuimus ut ab electionibus, postulationibus, provisionibus et quibuslibet extra-judicialibus actibus* (*in quibus potest appellatio interponi*), *quisquis ex eis gravatum se reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, intra decem dies* (*postquam sciverit*), *si velit, appellet.* Idem iterum colligitur ex capite *Bonæ memoriæ* (51, *de Appellationibus*). Doctores autem in hac firmanda thesi omnino concordant. (Vide Leurenium, *Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, lib. 2 Decret., q. 1082.) Et intelligitur de gravaminibus illatis a quocumque, id est non tantum a superiore, sed etiam ab aliis.

II. *Appellatio a gravamine extra-judicialiter illato debet interjici intra decem dies post cognitum gravamen.* — Id nempe expresse decernitur citato capite *Concertationi* (8, *de Appellationibus*, in 6). Unde elapso hoc termino, gravatus appellandi beneficio destituitur.

III. *Dicta appellatio fieri debet ad illum judicem, qui deberet adiri, si gravans in judicium tanquam reus vocaretur.* — « Notandum (ait Leurenius, citato loco) quod a gravamine extra-« judiciali, seu extra judicium illato, non possit appellari, nisi « ad eum superiorem, qui potest adiri per modum querelæ ; « eo quod appellatio extra-judicialis aliud non sit quam pro-« vocatio ad causam, vimque conventionis habeat. » Hinc, verbi gratia, si quis appellare velit a gravamine per parochum

sibi illato, adire debet Episcopum seu ordinarium parochi : si gravans sit ipse Episcopus, adeundus erit Metropolita : et sic de aliis.

IV. *A regula generali supra stabilita, excipiendæ sunt Episcoporum sententiæ ex informata conscientia prolatæ.* — Ejusmodi enim sententias, quæ feruntur extra-judicialiter, sufficit proferri in vim capitis *Cum honestius* (1, sess. 14, *de Ref.*) Tridentinæ synodi, ut nequeant per tribunal superius reformari. Restringuntur autem sententiæ ex informata conscientia ad hæc duo : *primo*, ad prohibitiones ab ascensu ad ordines; *secundo*, ad suspensionem a jam susceptis ordinibus. Porro in dicto capite expresse sancivit Tridentina synodus, ut illi, cui ascensum ad ordines prohibuit Episcopus, nulla recipiendorum ordinum licentia suffragaretur. Et pariter ut ille, quem Episcopus a susceptis ordinibus suspendit, in eorumdem ordinum exercitio a nemine restitui posset. Unde appellatio ad superius tribunal, quoad ejusmodi sententias, aperte fuit a Tridentinis Patribus sublata. Et relinquitur dumtaxat recursus ad Sedem Apostolicam; qui recursus semper patet, nec debet censeri per dictum Tridentinum decretum exclusus. Quod vero hoc sensu intelligenda sit memorata Tridentina dispositio, vide fuse probatum infra (parte 2, sectione 4, subsectione 3), ubi ex professo de sententiis ex informata conscientia disserimus.

Quæstio 4ª. — *An detur appellatio a futuris etiam gravaminibus?* — Diversimode solvenda est quæstio hæc, prout agitur de gravaminibus in judicio vel extra judicium inferendis.

I. *A gravamine judiciali futuro, idest nondum illato, appellari nequit.* — « In judicio, ait Leurenius (*Forum ecclesiasti-*« *cum*, in tit. 28, lib. 2 Decr., q. 1083), appellari nequit a gra-« vamine nondum præsente, sed solum a gravamine illato; eo « quod appellatio interponitur ad gravamen tollendum. » Atque in ea tradenda regula concordant doctores, eam deducentes ex nonnullis juris textibus, quos vide apud citatum Leurenium.

II. *A gravamine tamen judiciali comminato appellari potest.* — Id aperte supponunt hæc verba capitis *Cum cessante* (60, *de Appell.*) : « Sive judex ordinarius, sive delegatus aliquid com-« minando protulerit, quo executioni mandato alter litigantium « gravaretur, si a tali comminatione fuerit appellatum, etc. » Neque hoc contradicit præmissæ regulæ, nimirum non appellari a gravamine in judicio inferendo, sed tantum ab illato ; nam gravamen a judice comminatum non est mere futurum, sed jam hic et nunc gravat, et pro præsenti habetur. Si tamen judex post comminationem factam eam retractaret, posset in causa pergere, nonobstante appellatione a comminato gravamine, prout expresse decernitur in modo citato capite *Cum cessante.*

III. *A gravamine extra-judiciali, etiam futuro et non comminato, appellari potest.* — Ita concludunt ex Clementina *Sicut* (3, *de Appellat.*), tum glossa (in verbo *Futuro*), tum doctores communiter.

Tota ergo quæstio de appellatione a *futuris* gravaminibus, potest sic breviter exponi cum Schmalzgrueber : « Distinguen-« dum est inter appellationem in judicio et extra judicium : nam « extra judicium appellari potest etiam a gravamine futuro et « nondum illato nec comminato. At in judicio appellari solum « potest a gravamine jam inflicto, et a comminatione grava-« minis inferendi, injuste facta per judicem. » (In tit. 28, lib. 2 Decret., n. 17.)

Quæstio 5ª. — *An detur appellatio a censuris excommunicationis, suspensionis et interdicti?* — I. Si judex censuram pronuntiet *post* interjectam appellationem ab ejus sententia, censura hæc omnino nulla est, et appellatio a sententia nullatenus per eam censuram impeditur. Casus nempe ille est : supponamus pronuntiatam ab Episcopo fuisse sententiam contra aliquem clericum, non tamen ullam censuram : clericum vero appellasse ab hac sententia. Tunc si Episcopus contra hunc clericum censuram pronuntiet, irrita erit istiusmodi censura : quia per interjectam legitimam appellationem, suspensa remansit

quoad hunc clericum jurisdictio Episcopi. Unde ad talem censuram attendendum non est; et judex metropolitanus debet causam appellationis recipere et dirimere, perinde ac si dicta censura non supervenisset. Ipse vero clericus, si missam celebret post dictam censuram, irregularitatem non incurrit. Ad cautelam tamen solet absolvi a judice ad quem. Ita nempe decisum reperitur in capite *Ad præsentiam* (16, *de Appellationibus*), cui hæc rubrica præfigitur : *Excommunicatus, pendente cognitione appellationis, absolvi potest ad cautelam* ; *et si apparet eum legitime appellasse, non punitur pro eo quod interim celebravit divina.* In textu vero ipso sic habetur *: Mandamus quatenus prædictum presbyterum, pro eo quod, post excommunicationem contra appellationem factam, divina cantavit, nullatenus inquietes, sed ad eum statum reducas omnia, in quo erant tempore appellationis emissæ.* (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, l. 2 Decret., n. 24.)

II. Si vero censuræ fulminentur *ante* interjectam appellationem, ab iis censuris non datur appellatio quoad effectum suspensivum, datur autem quoad effectum devolutivum. Ita doctores unanimiter. Et constat quoad excommunicationem et suspensionem a divinis, ex capite *Is cui* (20, *de Sententia excomm.*, in 6) : quoad interdictum, ex capite *Ad hæc* (37, *de Appellationibus*), juncta glossa, verbo *Interdictum.*

Diximus in hoc casu non dari appellationem quoad *effectum suspensivum ;* id est, per appellationem tunc nequaquam suspendi effectum censuræ. Unde sic excommunicatus, suspensus, aut interdictus, quantumvis legitime appellet, statim tenetur a divinis officiis, ab ingressu Ecclesiæ et cæteris spiritualibus abstinere; et si clericus sit, et divina mysteria celebret, irregularitatem incurrit. Nam ecclesiasticæ censuræ executionem sententiæ secum trahunt, et statim ac latæ sunt animam ligant.

Diximus dari e contra appellationem a dictis censuris quoad *effectum devolutivum;* id est, appellari posse ad superiorem, ut is de justitia censuræ latæ cognoscat ; et per talem appellationem

devolvi ad eumdem superiorem jus dictas censuras irritandi et annulandi, si injustas eas reperiat.

Ex dictis conclude : si is contra quem Episcopus sententiam tulit, parere non vult, et Episcopus ob hanc inobedientiam eum excommunicet vel suspendat, non poterit interjecta postea appellatio ab his censuris earum effectum suspendere, etiamsi Episcopus eas tulerit intra decendium ad appellandum concessum ; modo tamen, quando censuram fert Episcopus, nondum a sententia prius lata condemnatus appellaverit. An vero id possit Episcopus, non tantum ad puniendam inobedientiam sententiæ a se latæ, sed etiam ob aliquod delictum præteritum, controvertitur inter doctores. (Vide Leurenium, *Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, lib. 2 Decr., q. 1089, n. 9.)

III. Quando dicitur appellationem a suspensione et interdicto non habere effectum suspensivum, id intelligitur de suspensione et interdicto proprie dictis, idest, a *divinis officiis*. Unde aliter dicendum de suspensione et interdicto improprie dictis, scilicet : de interdicto ab ingressu in possessionem beneficii ; de suspensione a fructibus beneficii, a voce activa et passiva, a pontificalibus, ab administratione beneficii, imo probabiliter ab ipso beneficio. (Vide Leurenium, loco citato, n. 10.)

IV. Quamvis appellatio a censuris non habeat effectum suspensivum, illum effectum habet appellatio a depositione et degradatione ; quia depositio et degradatio non sunt proprie censuræ. (Vide id probatum apud Leurenium, loco citato.)

V. Si censuræ ferantur sub conditione (verbi gratia, si Episcopus pronuntiet talem clericum fore suspensum, nisi intra tot dies parochiam suam reliquerit, aut tale aliud præstiterit), si ante tempus pro explenda conditione assignatum fiat appellatio, per hanc appellationem, suspenditur censuræ effectus ; unde si clericus ille conditionem non impleat, et post tempus ad id assignatum missam celebret, irregularitatem non incurrit. Nam in hoc casu censura vere non existit nisi elapso conditionis tempore ; et tunc jam est appellatum ; unde redit casus

supra positus censuræ post appellationem fulminatæ. (Vide *Forum ecclesiasticum* Leurenii, in tit. 28, libri 2 Decret., quæstio 1089, n. 11.)

Quæstio 6ª. — *An appellari possit a publicatione seu denuntiatione censurarum?* — 1° Certum est posse judicem *a quo* devenire ad publicationem seu denuntiationem excommunicationis, quamvis excommunicatus a sententia contra se lata jam appellaverit. Id omnino constat ex capite *Pastoralis, de Appellationibus.* Nec inutile est ut, pronuntiata excommunicatione, ad ejusdem publicationem deveniatur; nam per adjectam ejusmodi publicationem excommunicatus evadit *vitandus*, idest, tenentur fideles eum devitare; qui effectus locum non habet quando pronuntiatur dumtaxat excommunicatio, non autem publicatur.

2° Posse appellari a publicatione censurarum, et per appellationem suspendi *effectum* factæ *publicationis*, tenent communiter doctores. (Vide *Forum ecclesiasticum* Leurenii, in tit. 28, libri 2 Decret., q. 1090.)

3° Imo appellari potest a *futura* publicatione seu declaratione censuræ. Quando, verbi gratia, citatur excommunicatus ad videndum declarari ipsum incurrisse excommunicationem, potest is a tali comminata publicatione appellare. Et postquam appellavit, jam nequit judex ecclesiasticus ad publicationem excommunicationis devenire; vel si fiat tunc hæc publicatio, est omnino irrita. (Vide Leurenium, citato loco.)

Quæstio 7ª. — *An detur appellatio ab actibus superioris, qui pertinent ad visitationem et correctionem morum?* — Quæstionem hanc expendunt canonistæ, tum quoad religiosos ordines, tum quoad sæculares superiorum ecclesiasticorum subditos. Nos vero, ea quæ regulares respiciunt, eorumque per prælatos suos visitationem et correctionem, ad tractatum *de Ordinibus religiosis* remittentes, jus appellandi ab actibus *in visitatione* vel *pro morum correctione* gestis, expendemus dumtaxat quoad sæcularem clerum, aliosque sæculares Ordinariorum subditos. Quæ res ut melius enucleetur, præmittemus juris textus qui

eam respiciunt, tum ad ipsam quæstionis solutionem procedemus.

I. *Textus juris qui appellationem ab actibus in visitatione vel pro morum correctione gestis concernunt.* — « In causis visitationis et correctionis, sive habilitatis et inhabilitatis, nec« non criminalibus, ab Episcopo, seu illius in spiritualibus « Vicario generali, ante definitivam sententiam, ab interlocu« toria, vel alio quocumque gravamine, non appelletur : nec « Episcopus, seu Vicarius appellationi hujusmodi, tanquam « frivolæ deferre teneatur : sed ea, ac quæcumque inhibitione « ab appellationis judice emanata..., non obstante..., ad ulte« riora valeat procedere : nisi gravamen hujusmodi per defi« nitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari « non possit; quibus casibus sacrorum et antiquorum cano« num statuta illibata persistant. » (Conc. Trid., sess. 13, c. 1, *de Ref.*)

« Nec appellatio executionem hanc quæ ad morum corre« ctionem pertinet suspendat. » (Conc. Trid., sess. 22, c. 1, *de Ref.*)

« Episcopi... in omnibus iis, quæ ad visitationem, ac morum « correctionem subditorum suorum spectant, jus et potestatem « habeant, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ea ordi« nandi, moderandi, puniendi et exequendi, juxta canonum « sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emen« datione, ac diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec « in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exem« ptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Se« dem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his « mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquomodo impediat « aut suspendat. » (Concilium Tridentinum, sess. 24, c. 10, *de Ref.*)

« Reprehensibilis consuetudo in quibusdam partibus ino« levit ut...; alii etiam, dum superioris sententiam et disci« plinam canonicam reformidant, sine ullo gravamine appel« lationem objiciunt, et ad defensionem iniquitatis usurpant,

« quod ad præsidium innocentium dignoscitur institutum. « Quocirca... præsenti decreto statuimus ut, nec Prælati, nisi « canonica monitione præmissa, suspensionis vel excommuni- « cationis sententiam proferant in subditos...; nec subjecti « contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis « erumpant... Præcipue vero hoc in religiosis volumus obser- « vari, ne religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, « contra regularem Prælati sui et capituli disciplinam appellare « præsumant; sed humiliter ac devote suscipiant quod pro sa- « lute sua fuerit eisdem injunctum. » (Caput *Reprehensibilis* 26, *de Appellationibus*.)

II. *Quæstionis propositæ resolutio.* — Distinguendæ sunt variæ appellationes, quæ fieri possunt in causis visitationis et correctionis morum : vel enim quis appellat contra legem ipsam, quam ipsi applicat Episcopus, cum cæteroquin notorium sit eum esse in casu a lege præviso, neque hoc ipse neget : vel appellat ab ipso actu episcopali extra-judicialiter gesto : vel a sententia definitiva Episcopi in judicio prolata : vel tandem a sententia episcopali interlocutoria. Porro attentis præmissis juris textibus, videntur varii illi casus resolvi debere sequenti modo :

1° *Si quis appellet contra legem ipsam quæ ipsi applicatur, ejus appellatio nec suspensivum nec devolutivum effectum regulariter habet ; sed frivola est, et a judice ad quem appellatur prorsus rejicienda.* — Supponamus, verbi gratia, Titium clericum solitum esse absque habitu clericali incedere ; hincque contra ipsum ab Episcopo pronuntiatam esse pœnam, quam jus commune, vel etiam diœcesana constitutio, contra istiusmodi deordinationem decrevit. Tunc, si notoria sit prædicta Titii prava consuetudo, neque illam ipse neget, appellando a pœna sibi inflicta, contra *ipsam disciplinam ecclesiasticam* appellare censetur. Et hic videtur esse casus in citato capite *Reprehensibilis* prævisus. Dicimus autem in hoc casu appellationem, regulariter loquendo, esse frivolam et non admittendam. Appellatur enim dumtaxat ab injusto gravamine : lex autem, regulariter

loquendo, justa est ; nec proinde quemquam injuste gravat ; et consequenter nec Titium gravavit Episcopus meram legis executionem contra ipsum urgendo ; unde nullus datur tunc appellationi locus.

Diximus tamen *regulariter*. Nam *primo*, si lex disciplinaris quæ applicatur non sit universalis, sed particularis (puta alicujus dumtaxat diœceseos, vel provinciæ ecclesiasticæ), absolute fieri potest ut sit injusta vel prava. Quo casu ab applicatione talis legis licita erit appellatio ; sed tunc producet effectum devolutivum tantum, non autem suspensivum : nam ex citatis Tridentinis textibus, cavetur ne *in causis visitationis et correctionis morum*, appellationes, etiam quando licite interjici possunt, suspensivum effectum habeant. *Secundo*, posita etiam legis justitia, potest quis in talibus versari particularibus circumstantiis, ut nequeat ea lex juste ipsi applicari : verbi gratia, si Titius in regione quam incolit, nequeat absque gravi periculo vel incommodo clericalem habitum gerere. Qua ratione nixus, poterit ab Episcopo, legem contra ipsum urgente, appellare. Sed tunc in actu appellationis exprimere debet specialem causam, ob quam lex, cæteroquin justa, ipsi applicanda non est. Alioquin ipsius appellatio tanquam frivola rejicietur.

2° *Ab actu episcopali extra-judicialiter gesto, et ab ejusdem sententia judiciali definitiva* (*quamvis hæc in visitatione, vel pro morum correctione fiant*) *appellari potest ; sed ad effectum dumtaxat devolutivum, non autem suspensivum.* — Constat ex citatis Tridentinis textibus. Nam capite 1 sessionis 22, et capite 10 sessionis 24, expresse decernitur ne, in causis visitationis et correctionis morum, appellatio *suspensivum* effectum habeat : cum autem synodus non addiderit *neque devolutivum*, hunc ultimum effectum appellationi reliquisse censenda est. Atque ita intelligendos esse dictos Tridentinos textus declaravit Sacra Congregatio Concilii, testante id Leurenio, his verbis : « Sacra Congregatio Concilii consulta, an in causis visitationis « et correctionis, appellari possit post definitivam, respondit

« posse; ita tamen ut appellatio non suspendat executionem, « contra quod sancitum est sessionis 24 capite 10, et sessionis 22 « capite 1. Item consulta, num decretum illud capitis 10 (ses- « sionis 24) sustulerit appellationem devolutivam, censuit non « sustulisse, sed suspensivam tantum. » (*Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, libri 2 Decretalium, q. 1087.)

3° *Dum in causis visitationis et correctionis Episcopus procedit judicialiter, appellatio ab interlocutoria, aut a quocumque gravamine ante definitivam sententiam, neque devolutivum, neque suspensivum effectum habet, nisi in certis quibusdam casibus.* — Id expresse decernitur sessionis 13 capite 1. Nam ibi primo dicitur generaliter : « Ante definitivam sententiam, ab « interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur. » Tum ab hac regula generali excipiuntur sequentes casus : « nisi « gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, « vel ab ipsa definitiva appellari non possit; » pro quibus casibus vult synodus vigere jus antea stabilitum ; id est, ab appellatione tum produci, et devolutivum, et suspensivum effectum.

Quæstio 8ª. — *An detur appellatio a sententiis interlocutoriis ?* — Quæstionem illam, etsi, ex modo dictis circa causas visitationis, et correctionis, soluta jam videri possit, plenius tamen huc expendendam, pro rei gravitate, revocamus. Exponemus autem, 1° quid Justinianeo jure statutum sit de hujusmodi a sententiis interlocutoriis appellatione ; 2° quid de eadem re, ex jure canonico, ante Tridentinam synodum, viguerit; 3° quamnam generalem regulam dicta synodus sanxerit; 4° tandem quosnam casus ab ea regula exceptos voluerit.

I. Juxta Justinianeum jus, regula generalis est, non dari a sententiis interlocutoriis appellationem. Casus autem ab ea regula generali excipiendi sunt, 1° nisi interlocutoria vim definitivæ habeat; 2° nisi interlocutoria inferat gravamen per definitivam irreparabile ; 3° nisi per interlocutoriam tollatur spes obtinendæ definitivæ ; verbi gratia, si judex sese incompetentem

interloquendo declaret (textus ejusdem Justinianei juris qui hæc probant, indicatos vide apud Leurenium, *Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, libri 2 Decret., q. 1091).

II. E contra, de jure canonico, ante Tridentinam synodum, appellare licebat ab omni sententia interlocutoria, et a quocumque gravamine, sive ante, sive post definitivam sententiam illato; prout constat ex capite *Super eo*, et ex capite *Cum sit, de Appellationibus*. Hinc sæpe contingebat ut appellaretur, non tantum ab interlocutoriis, sed ab interlocutoriarum interlocutoriis; et sic causæ principalis decisio diutius impediebatur, et lites æternæ evadebant, non sine notabili disciplinæ ecclesiasticæ detrimento.

III. Cui malo ut mederentur Tridentini Patres, generali regula appellationes ab interlocutoriis sublatas voluerunt. Quod duplici decreto præstiterunt, primo scilicet capite sessionis 13, hanc regulam statuerunt quoad causas *visitationis et correctionis, habilitatis, et inhabilitatis, necnon criminalibus*. Sed postea, capite 10 sessionis 24, id extenderunt ad *omnes* causas ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes.

IV. Exceptos autem ab ea generali regula casus expresserunt his verbis : *Nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit* (sessione 13, c. 1). *Nisi a definitivæ vim habente, et cujus gravamen a definitiva reparari nequeat* (sess. 24, c. 10). Unde casus excepti sunt, 1° si non possit a definitivâ appellari ; 2° si interlocutoria vim definitivæ habeat; 3° si gravamen, ex interlocutoria proveniens, per definitivam reparari non possit.

Quæstio 9ª. — *An detur appellatio in causis notoriis ?* — Quando ex notorietate publica constat aliquem deliquisse, potest judex damnationis sententiam ferre, non servatis ordinarii judicii formis; quia, quæ notoria sunt, investigatione non indigent. Porro a sententiis ejusmodi *ex notorietate* prolatis, non dari appellationem, pro generali regula doctores ponunt. Eam autem conclusionem deducunt ex capite *Cum sit* 5, ex capite *Pervenit* 13, et ex capite *Consuluit* 14, tituli 28, libri 2

Decretalium. « Ratio est, quia constat reum de crimine notorio « condemnatum, si appellet, tantum appellare pœnæ differendæ « causa ; quod admitti non debet, cum (ut capite *Cum speciali* 61, « *de Appellationibus*, dicitur), *appellationis remedium non sit « ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ « institutum.*

« Excipitur, nisi in appellatione exprimatur legitima causa, « per quam delictum notorium aliquo modo defendatur ; ut si « quis aliquem occidit in conspectu populi, sed alleget illum se « occidisse ad sui defensionem. Tunc enim admitti appellatio « debet. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 21.)

Quæstio 10ª. — *An detur appellatio in causis minoribus et levioribus ?* — « Respondeo : in causis minoribus et levioribus, « imo minimis, non minus quam in majoribus, datur appella- « tio. » (Leurenius, *Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, lib. 2 Decret., q. 1102.) Id nempe expresse sancivit Alexander III his verbis : *De appellationibus, pro causis minimis interpositis, volumus te tenere, quod eis (pro quacumque levi causa fiant) non minus est, quam si pro majoribus fierent, deferendum* (caput 11, tituli 28, libri 2 Decret.). Unde, verbi gratia, si Episcopus (sive in judicio, sive extra judicium) præcipiat alicui clerico, ut in aliqua religiosa domo exercitiis spiritualibus vacet, vel eumdem publice redarguat, vel quodlibet aliud (quamvis leve) gravamen, verbo aut facto, eidem inferat, potest is ad Metropolitanum appellare ; debetque judex Metropolitanus ejusmodi appellationem recipere ; quam si justam reperiat, convenientem illati gravaminis reparationem sententia sua injunget : sufficiens autem plerumque erit reparatio (ob suppositam causæ levitatem) si judex Metropolitanus pronuntiet Episcopum indebite egisse. Et notetur, semel interjecta dicta appellatione, regulariter suspendi effectum dispositionis episcopalis, a qua fuit legitime appellatum ; ita ut, verbi gratia, non teneatur clericus vacare exercitiis spiritualibus, juxta injunctionem Episcopi ; nec possit Episcopus, appellatione pendente, hujus sui præcepti a quo appellatum est, adimpletionem urgere.

Item notetur, in hujusmodi levioribus causis non tutari Episcopum contra interventum metropolitanæ curiæ, ex eo titulo quod *ex informata conscientia* processerit. Nam duplicis dumtaxat generis sententias potest Episcopus *ex informata conscientia*, seu in vim capitis *Cum honestius* (1, sess. 14) Tridentinæ synodi, proferre : *prohibitiones* scilicet suscipiendi sacros ordines, et *suspensiones* a susceptis iisdem ordinibus : a quibus quidem prohibitionibus et suspensionibus non datur appellatio ad Metropolitanum, sed recursus dumtaxat ad Sedem Apostolicam. Sed ejusmodi prohibitiones et suspensiones de gravissimis causis sunt, non de levioribus. Unde remanet in levioribus causis, non posse Episcopum opponere metropolitanæ curiæ, ad quam appellatum est, incompetentiam.

Dum autem diximus appellationem incausis levioribus habere effectum *suspensivum*, addidimus *regulariter ;* nam si forte Episcopus processerit *in visitatione*, vel pro *correctione morum*, inconcussum remanet quod supra stabilivimus ; tunc scilicet dari appellationem dumtaxat ad effectum devolutivum, non autem ad suspensivum.

Quæstio 11ª. — *An detur appellatio a sententia judicis delegati, cui causa commissa est cum clausula, omni appellatione remota?* — Contingit identidem ut Summus Pontifex causam judicandam alicui committat, decernendo simul, ut ab ipsius sententia nulla detur appellatio ; pro quo apponi solet clausula *omni appellatione remota*. Quam tamen clausulam nullus præter Papam Ordinarius in delegando adhibere potest, cum ad hoc requiratur potestas, ipsis legibus universalibus (quæ appellationem concedunt) superior. Quæstio ergo est, quando a Papa alicui commissa est causæ definitio cum additione dictæ clausulæ, an, non obstante hac clausula, possit adhuc appellatio interjici.

1° Dicta clausula non impedit appellationem in iis casibus, pro quibus appellatio *expresse* in jure permittitur. Ita doctores unanimiter : et constat ex decretali *Pastoralis* (53, tit. 28, lib. 2 Decret.) Innocentii III. Cum enim a dicto Pontifice quæ-

situm fuisset, num per clausulam *omni appellatione remota*, tollerentur dumtaxat appellationes *frivolæ* seu frustratoriæ, an vero etiam appellationes legitimæ, rescripsit his verbis : *Quæsivisti utrum, quando inhibetur appellatio in rescripto, frustratoria tantum inhibita videatur? Nos igitur attendentes, quod per appellationem frustratoriam, etiamsi non fuisset inhibita, negotium non debeat impediri, respondemus ; quod quælibet provocatio intelligitur removeri, quæ a jure non indulgetur expresse.*

Indicandum remanet, quibus in casibus appellatio in jure *expresse* concedatur. Sunt autem sequentes :

Primo, si judex nolit recipere exceptionem consanguinitatis, vel alterius justæ causæ, ob quam ipse tanquam suspectus recusari a parte potest. Constat ex decretali *Postremo* (36, tit. 28, lib. 2 Decret.), tenoris hujuscemodi : *Fraternitati tuæ litteris præsentibus intimamus quod, si causa alicui fuerit delegata, qui consanguineus sit illius, qui litteras impetravit, aut in eodem negotio advocati officio defunctus, vel ex alia justa causa suspectus ; hujusmodi delegatus non immerito poterit recusari, quamvis* appellatione remota *fuerit eidem negotium delegatum.*

Secundo, si judex non admittat exceptionem citationis factæ ad locum *non tutum*. Constat ex decretali *Ex parte* (47, *de Appellat.*).

Tertio, si res petita in libello non designetur in specie seu determinate, et judex non deferat parti, hanc determinatam designationem postulanti. Constat ex decretali *Significantibus* (49, *de Appellationibus*).

Quarto, si spoliato deneget restitutionem. Constat decretali *Ex conquestione* (10, *de Restit. spoliat.*).

Quinto, si gravamen propter quod appellatur sit *notorium ;* quia Papa non censetur posuisse clausulam *omni appellatione remota*, nisi ex præsumptione, quod delegatus ab ipso judex processurus sit sine injusto gravamine ; quæ præsumptio stare nequit quando gravamen est notorium. (Vide glossam in citatum caput *Ex conquestione* (10, *de Restit. spoliat.*).

Sexto, putant præterea doctores communiter, per dictam

clausulam non impediri appellationem, in iis omnibus casibus, pro quibus appellationem jura expresse concedunt, quamvis non addant, *non obstante quod causa commissa sit cum clausula, omni appellatione remota.* (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, lib. 2 Decret., n. 30.)

2° Quando clausula *omni appellatione remota*, impedit appellationem, eam non impedit quoad effectum devolutivum, sed quoad suspensivum tantum. Constat ex citata decretali *Pastoralis* (53, *de Appell.*) : nam ibi, postquam declaravit Innocentius III per dictam clausulam tolli appellationem omnem in jure *expresse* non concessam, addit : *Sed si appellans fuerit gravatus injuste, gravamen hujusmodi per superiorem poterit emendari.* Ex quibus verbis legitime infertur, posse gravatum ad superiorem judicem confugere ; per hunc vero rescindi posse prioris sententiam. Cum tamen ob clausulam *omni appellatione remota*, judex *a quo* non teneatur appellationi deferre, gesta ab ipso post appellationem interpositam, non sunt ipso jure irrita, sed tantum per judicem *ad quem* rescindibilia.

3° Clausula prædicta, afficit tantum appellationem a sententia *definitiva*, in causa principali pronuntiata ; non autem appellationes ab interlocutoriis. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, lib. 2 Decret., n. 31.) Unde ea clausula non obstante, appellari poterit ab interlocutoriis, etiam quoad effectum suspensivum, in iis casibus, in quibus de jure communi patet quoad utrumque effectum appellatio ab hujusmodi sententiis interlocutoriis.

4° Quamvis dicta clausula præfato modo appellationem impediat, non tamen impedire censenda est supplicationem, petitionemve restitutionis in integrum, et alia remedia. Hujusmodi enim clausula, utpote juri communi derogans, stricte interpretanda est. (Videsis Schmalzgrueber, citato loco.)

5° Ex dictis patet, quam immerito Sedes Apostolica injustitiæ insimuletur, ex eo quod causas quandoque judicandas committat cum dicta clausula, *omni appellatione remota ;* quasi tunc innocentia omni defensionis præsidio destituatur, et in manus iniqui judicis (si forte talem deputari accidat) oppri-

menda tradatur. Cum enim hac clausula nunquam removeatur (ut diximus) appellatio *quoad effectum devolutivum*, suum oppressis remanet sufficiens tutamen, contra quælibet sibi injuste illata gravamina.

Quæstio 12ª. — *An detur appellatio, quando causa ope juramenti decisa est?* — Distinguendum est inter juramentum *suppletorium*, quod nempe judex in supplementum deficientis probationis alteri partium emittendum præcipit, et juramentum *decisorium*, quod una pars alteri defert.

1° Si adhibitum sit juramentum suppletorium, datur a sententia appellatio.

2° Si vero intervenit juramentum decisorium, appellare nequit qui juramentum detulit, bene vero pars cui delatum est. Quæ vide probata apud Schmalzgrueber (in tit. 28, lib. 2 Decret., n. 33).

Nota 1. Quando quis electus est ad officium beneficiumve aut dignitatem aliquam, non datur appellatio ad effectum impediendi executionem ejusmodi electionis; quamvis, secuta executione, possit quilibet crimina aliave impedimenta electo objiciendo, ipsius exauctorationem in judicio petere, et talis instantia audiri debeat.

2. Quando in judicio possessorio, alteri partium asseritur *ordinaria* rei litigiosæ possessio, ab hac sententia appellari potest: secus si adscribatur dumtaxat possessio *momentanea*.

3. Vicario generali, notario, nuntio curiæ, aliisve officialibus, ob male gestum officium a judice condemnatis, non conceditur appellatio ad effectum suspensivum. Quæ tria hujus notæ capita, reperies probationibus firmata apud laudatum Schmalzgrueber (in tit. 28, l. 2 Decret., § 3).

§ IV.

A quibusnam judicibus appellari nequeat, ob ipsam judicum qualitatem.

1. *Regula generalis est, a quolibet judice, qui sententiam tu-*

lit, appellari posse. — « Ratio est, quia appellatio est species « quædam defensionis, quæ datur oppressis contra injuriam ju- « dicis... Igitur permissa esse debet ab omni judice quia grava- « men injustum inferre potest : neque facit injuriam judici, « qui ab ejus sententia appellat... Dixi autem *regulariter ;* nam « plures sunt judices a quibus vel simpliciter, vel in certis « causis non permittitur appellatio. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decr., n. 36.)

II. *A sententia Papæ non datur appellatio ad concilium generale, nec a fortiori ad ullum aliud tribunal.* — Ratio est quia appellatio esse nequit nisi ad superiorem ; superior autem Papæ nemo in Ecclesia esse potest : nam repugnat ulli tribunali superiorive ecclesiastico subjici illum judicem, cui a Christo collata est *universalem Ecclesiam pascendi, regendi, atque gubernandi plena potestas ;* atqui de fide est, ex œcumenici Florentini concilii definitione, ejusmodi potestatem Romanis Pontificibus a Christo, in Beati Petri persona, fuisse collatam ; ergo repugnat a sententiis ecclesiasticis Romanorum Pontificum ad ullum unquam tribunal appellari posse. Quod insuper ex scriptura sacra, totaque Patrum traditione, necnon perpetuis Ecclesiæ Romanæ, omnium matris et magistræ declarationibus, aperte demonstrare solent sinceræ et probatæ doctrinæ theologi.

Hinc a Papa ad futurum generale concilium appellantes, necnon ii, quorum auxilio et favore sic provocatur, non tantum inaniter, sed et flagitiose id attentare censendi sunt. Imo incurrunt ipso facto excommunicationem contra ipsos latam a Pio II constitutione *Execrabilis* (edita calendis februarii 1459), confirmatam a Julio II constitutione *Suscepti* (edita calendis julii 1509), et reservatam Sedi Apostolicæ in bulla *Cœnæ*, casu 2.

III. *A sententia concilii generalis legitime congregati, et capiti suo uniti, non datur appellatio.* — Si enim a Romano Pontifice appellari nunquam potest, ergo neque quando synodaliter pronuntiat. Cumque generale concilium, Papæ unitum,

totam repræsentet Ecclesiam, absurdum est aliquem, extra talem synodum, supponere superiorem, ad quem appellari possit.

IV. A sententia totius collegii Cardinalium, et ab ultima Rotæ Romanæ sententia, non datur appellatio. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decr., n. 38.)

V. A sententia arbitrorum *compromissariorum*, idest, quos sibi libere partes elegerunt, appellari nequit : bene vero a sententia arbitrorum *juris*, idest, quos sibi ex præscriptione legis partes eligere coactæ sunt ; prout jam supra adnotavimus.

§ V.

Coram quo interponenda sit appellatio.

1° Est regula generalis a doctoribus communiter tradita, coram judice, a quo appellatur, esse interponendam appellationem ; alioquin neque suspensivum, neque devolutivum effectum ab appellatione produci. Proceditque generalis hæc regula, sive in judicio, sive extra judicium gestus sit actus, a quo appellatur. In probationem adduci solent varii, tum Justinianei, tum canonici juris textus ; præcipue vero caput *Ut debitus* (59, *de Appell.*), et Clementina *Si a judicibus* (1, tit. 12, libri 2). De quo videri potest *Forum ecclesiasticum* Leurenii (in tit. 28, libri 2 Decret., quæst. 1027). Ratio est, prout adnotat Schmalzgrueber, quia appellatio debet judici *a quo* innotescere, ne ulterius procedat, atque ut possit tanquam attentatum revocari, quidquid gesserit post interpositam et ipsi notificatam appellationem. (Schmalzgrueber, in tit. 28, l. 2 Decr., n. 42.)

In sequentibus tamen casibus, a præmissa regula recedi potest, quin appellatio vim amittat.

2° Quid agendum quando nequit appellatio proponi coram judice *a quo*, eo quod sit absens, vel, alia de causa, copia ejus haberi non possit ? — « Respondeo tunc appellandum coram

« judice *ad quem* si hujus copia haberi possit. Si vero nec « hujus copia haberi potest, appellari potest coram viris « honestis; vel etiam uno honesto, adhibitis testibus; vel co- « ram notario, qui, testibus adhibitis, conficiet super eo in- « strumentum, quod nimirum coram ipso appellatum fuerit, « in præsentia talium testium. Sumitur ex canone *Biduum* « (29, causæ 2, q. 6), et lege *Si quidem* (10, ff. *Quando ap- « pelland.*).

« Ubi tamen duo sunt advertenda : *unum* est, ut si appellatio « fiat in absentia judicis *a quo*, hæc postea eidem intimetur; « nisi vel aliunde jam notitia illius ad ipsum pervenerit, vel « idem metus qui excusabat ab interpositione appellationis co- « ram ejusmodi judice, etiam excuset ab intimatione coram « eodem facienda. *Alterum*, ut, casu quo pars appellaverit (in « absentia utriusque judicis) coram notario, vel alio viro honesto, « coram iisdem protestetur, quod coram judice *a quo*, vel *ad « quem* appellasset, si alterutrius copia, seu præsentia commode « haberi potuisset. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 43.)

3° Quid agendum casu quo sententiam, a qua appellandum est, non unus, sed plures judices tulerint? — « Respondeo : « tunc coram omnibus simul congregatis appellatio fieri debet. « Si vero omnium copia simul haberi facile nequit, appellari « potest coram singulis separatim, vel coram majore parte « eorum; et tunc valebit appellatio, ac si coram omnibus ju- « dicibus præsentibus fuisset appellatum (clementina *Si a ju- « dicibus* 1, *de Appellationibus*). Ratio est quia alias sæpe non « posset fieri appellatio intra 10 dies a jure concessos... Quod « si majoris partis judicum præsentia haberi nequeat, sufficiet « appellare coram eo, vel iis, cujus vel quorum copia haberi « potest. Si nullus ex eis præsens reperiri possit, appellandum « erit coram judice *ad quem*. Si vero neque istius possit ha- « beri copia, appellabitur coram honestis personis, ut dictum « est.

« Coram quocumque autem appellatio facta sit, intimari

« judici vel judicibus *a quo* debet, si facile id fieri possit, ne « ulterius procedant. » (Schmalzgrueber, citato loco, n. 44.)

4° Quid agi possit in casu quo quis ex metu gravi (id est cadente in constantem virum) impeditur quominus appellet? « Respondeo : is coram judice a quo protestari potest, quod ob « talem causam seu gravamen appellare vellet, nisi prohiberetur. « Vel si coram illo judice protestari non audet, vel ejus copiam « habere non potest, tunc protestationem istam facere potest co- « ram honestis viris, causa appellationis expressa. Habetque hæc « protestatio eumdem effectum, quem appellatio. » (Schmalz-grueber, in tit. 28, l. 2 decr., n. 45.) Constat ex Decretali *Si justus* (73, *de Appellationibus*), in qua sic Gregorius IX : *Si justus metus, quominus appellaveris, te excusat, ad appellationis reputaris beneficium convolasse; dummodo intra tempus quo licite provocatur, coram judice a quo appellasse volueris : vel si habere ipsius copiam nequivisti, in præsentia bonorum virorum, protestatione super hoc proposita, causas appellationis duxeris exprimendas.*

§ VI.

Ad quem judicem appellatio fieri possit aut debeat.

Propositio I^a^. — *Secluso casu appellationis ad Papam, appellandum est a judice inferiore ad proxime seu immediate superiorem; non autem, hoc prætermisso, ad mediatum.* — Probatur capite *Dilecti* (66, *de Appellationibus*), in quo sic Honorius III : « Ex parte dictorum prioris et conventus fuit exci- « piendo propositum : quod, cum omisso diœcesano Episcopo « fuisset ad Archiepiscopum appellatum, ad quem gradatim « fuerat appellandum, in causa ipsa de jure procedere non de- « bebat : sed quia officialis Archiepiscopi hujusmodi excep- « tionem admittere denegabat, ipsi ad nostram audientiam « appellarunt. Quocirca mandamus quatenus sententias post hu- « jusmodi appellationem latas in eos, denuntietis penitus non

« tenere. » Idem constat ex capite *Romana* (3, *de Appell.*, in 6), ubi statuitur, a prælatis, qui subjacent jurisdictioni suffraganeorum Archiepiscopi Rhemensis, appellandum esse *ad suffraganeos ipsos, et non ad eamdem* (Rhemensem) *curiam, omissis dictis suffraganeis.* Et consonat Justinianeum jus (lege *Imperatores* 21, ff. *de Appellationibus ;* et lege *Addictos* 29, c. ejusdem tituli). Fuitque norma hæc appellandi utroque jure sancita, triplicem præcipue ob causam : ne jurisdictiones confundantur : ne immediatus superior contemni videatur, si eo prætermisso provocetur ad mediatum : tandem ut parcatur expensis.

Corollaria ex præmissa propositione. — 1° A Vicario foraneo, aliove judice Episcopi jurisdictioni subjecto, appellandum est ad Episcopum, ipsiusve generalem Vicarium, sede plena : sede autem vacante, ad capitulum, antequam deputatus sit Vicarius capitularis : ad Vicarium capitularem statim ac constitutus is fuit. 2° Ab Episcopo ipsiusve Vicario generali (item, sede vacante, a capitulo vel Vicario capitulari) appellandum est ad Archiepiscopum. 3° Ab Archiepiscopo successive ad Primatem, Patriarcham et Papam. 4° Non autem appellandum est a Vicario generali Episcopi ad Episcopum, quia efficiunt idem tribunal, et esset appellare ab eodem ad eumdem. 5° Appellare ad Congregationem aliquam Romanam, idem est ac appellare ad Papam, quia ejusmodi Congregationes unum et idem tribunal cum Papa efficiunt. 6° A delegato appellandum est ad delegantem. 7° Ab subdelegato, si ei tota jurisdictio quoad causam commissa sit, appellandum est ad primum delegantem, non autem ad delegatum : secus si delegatus aliquam tantum jurisdictionis partem subdelegaverit. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, l. 2 Decr., n. 53.) 8° An a delegato Episcopi appellari possit ad Vicarium generalem ejusdem Episcopi, controvertitur ; sed probabilius respondendum affirmative. (Vide ibid., modo citatum auctorem.) 9° Ab Episcopo exempto et Sedi Apostolicæ immediate subjecto, appellandum est ad Papam, non autem ad Archiepiscopum : quia tunc Papa est immediate proximus superior relative ad Episcopum. 10° Si una pars appellet ad

Archiepiscopum, et altera ad Papam (nam ad Papam appellari potest omisso medio), qui appellat ad Papam debet de hoc certiorem facere Archiepiscopum : alioquin is valide procedet. (Schmalzgrueber, loco cit., n. 55.)

Propositio II^a^. — *Ad Papam, omissis intermediis omnibus tribunalibus, appellari potest, nisi Papa ipse contrarium alicui regioni indulserit.* — « A quocumque judice (ait Leurenius in « *Foro ecclesiastico*, in tit. 28, l. 2 Decret., q. 1063) *immediate* « ad Papam appellari potest ex toto orbe, in causis ecclesiasticis « et spiritualibus. Cujus ratio est plenitudo potestatis residens « in Papa, quodque Papa sit Ordinarius Ordinariorum om- « nium judicum inferiorum, concurrentem cum illis in dictis « causis jurisdictionem habens. Neque communicando juris- « dictionem tam Ordinariam quam delegatam aliis, a se abdicat « suam. »

« Excipitur casus quo appellatur a subdelegato delegati Papæ, « qui subdelegavit, *non in totum*, sed aliquid sibi reservando. « Tunc enim, cum delegatus Papæ repræsentet personam ejus- « dem, non debet appellari ad ipsum Papam, sed ad delegan- « tem. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, l. 2 Decr., n. 51.) Multiplices juris textus, quibus præsens thesis, necnon memorati casus exceptio, firmari solent, indicatos habes apud laudatos auctores, citatis locis.

Nos fusius probandam, pro ipsius gravitate, eamdem thesim, ad tractatum *de Papa* remittentes, hic dumtaxat adnotabimus, contrariam doctrinam nequaquam a viro catholico admitti posse; utpote quæ omnino erronea est, in schisma inducens, et sapiens hæresim.

Propositio III^a^. — *De facto quoad Galliam per concordatum cum Francisco I initum, Sedes Apostolica indulserat, ut ad ipsam omissis intermediis judicibus non posset appellari.* — Vide id in ipso dicti concordati textu expressum. Perdurasse autem dictam dispositionem usque ad novum cum Gallicana republica concordatum anni 1802, dubium non est. Ab ea tamen exceptæ remanserant (de jure saltem, quidquid in facto attentatum

sit) eæ Galliarum partes, quæ, post dictam cum Francisco I conventionem, Gallorum ditioni accesserant, et quæ ideo *de obedientia* (*pays d'obédience*) dicebantur.

Propositio IV^a^. — *Sublatum est a Pio VII præfatum indultum, ita ut certum sit hodie in Gallia posse ad Sedem Apostolicam, omisso medio, appellari.* — Nam in bullis, concordatum anni 1802 respicientibus, dictus Pontifex omnes Galliarum Ecclesias suppressit atque penitus extinxit, cum omnibus earum juribus et privilegiis. Unde hoc ipso extinctum fuit particulare jus earumdem Ecclesiarum, quodcumque illud fuerit, et antea legitime viguerit (prout fuse in meo tractatu *de Principiis juris canonici* probavi). Dum autem iisdem constitutionibus præfatus Pontifex novas Galliarum diœceses erexit et creavit, nequaquam renovavit dispositionem, vi cujus nequiret, omisso medio, ad Sedem Apostolicam appellari. Ergo priscum illud indultum penitus antiquatum et sublatum hodie censendum est. Unde mirari nemo debet directos e Galliis, omisso medio, recursus et appellationes a Romana curia recipi.

Tenentur proinde hodierni Galliarum præsules ejusmodi appellationibus, prout de jure communi, deferre. Et neque tutum, neque temeritate vacans existimo, si quis hodie Galliarum ecclesiasticus judex, post legitime interjectam dictam appellationem, in causa ulterius procedere audeat, sub prætextu omissi tribunalis intermedii, et nullitatis inde appellationem afficientis. Certum e contra puto, ab appellante, omisso medio, ad Sedem Apostolicam, pro attentato et irrito haberi posse quidquid, post interjectam hanc suam appellationem, a curiis ecclesiasticis Galliæ in ipsius causa pronuntiaretur.

§ VII.

Quomodo seu qua forma appellatio fieri debeat.

Quæstio 1^a^. — *Utrum appellatio a sententia definitiva viva*

voce, an vero in scriptis facienda sit? 1° Si appelletur *incontenenti*, seu stante pede, ut loquuntur pragmatici, idest, statim, et judice adhuc pro tribunali sedente, fieri potest appellatio viva voce : et sufficit tunc dicere, *appello* vel *provoco*, prout habetur in Justinianeo jure, quoad hoc in foro ecclesiastico recepto (lege *Sed si* 2, ff. *de Appellationibus*).

2° Si appelletur *post intervallum*, appellatio in scriptis fieri debet, appellatorium nempe libellum porrigendo. (Lege *A sententia* 5, ff. *de Appellationibus;* et lege *Eos qui* 6, c. ejusdem tituli.)

Quæstio 2ª. — *Quid in libello appellatorio a sententia definitiva exprimi debeat?* — « Exprimi debet quis appellet, contra « quem, et a qua sententia. (Canone *Post appellationem* 31, « causæ 2, q. 6 ; lege *Appellandi* 1, ff. *de Appell.*)

« Omitti in eo possunt : 1° nomen judicis *ad quem*, quia « censetur appellatum ad eum ad quem de jure provocari « debet ; 2° nomen judicis *a quo*, quamvis in usu sit illud expri- « mere ; 3° allegatio causæ appellandi *in specie :* sufficit enim « si appellans in genere dicat se gravatum esse, vel sententiam « esse injustam, vel si dicat *appello*. Et ratio est quia tunc « frustra allegaretur causa in specie, cum judex *a quo* de illa « cognoscere non debeat, quippe jam functus officio suo. *Exci-* « *pitur*, si appellatio fiat in casibus a jure vel ab homine prohi- « bitis ; nam cum eo casu appellans habeat juris præsumptio- « nem contra se, non tenetur judex appellationi ejus deferre, « nisi alleget causam rationabilem, ob quam cesset ista præsum- « ptio. » (Ita Schmalzgrueber, in tit. 28, l. 2 Decret., n. 59.)

Qui appellando a sententia definitiva expressit aliquam appellationis causam, potest coram judice *ad quem* alias etiam causas non expressas prosequi : imo etiam nova instrumenta, vel novos testes producere, et prius non allegata allegare, et non probata probare ; prout constat ex capite *Joannes* (10 *de Fide instrumentorum*) ; ex lege *Eos qui* (6, c. *de Appell.*) ; ex lege *Per hanc* (4, c. *de Temp. appell.*). Secus autem in appellatione ab interlocutoria, ut statim dicetur.

Quæstio 3ª. *Quomodo sit appellandum a sententia interlocutoria?* — Quando interlocutoria vim habet definitivæ, idem observandum quod in appellatione a definitiva. « Quia hæc sen-« tentia definitivæ per omnia æquiparatur, non solum quoad « formam interponendæ appellationis, sed etiam quoad alios « juris effectus. Paria enim sunt sententiam esse definitivam, et « habere vim definitivæ. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, lib. 2 Decret., n. 61.) Unde remanet tantum indicanda forma appellandi ab interlocutoria *simplici*, id est, quæ vim definitivæ non habet. Quoad hanc vero tria requiruntur.

1. Debet fieri in scriptis, porrecto libello appellatorio (capite *Cordi* 1, *de Appell.*, in 6). Proceditque hoc, sive appelletur incontinenti, sive ex intervallo ; nam semper in scriptis porrigenda est appellatio ab interlocutoria; prout notat glossa in citatum caput *Cordi* (1, *de Appell.*, in 6), verbo *Interlocutoria*. Nonnulli tamen doctores putarunt præfatam constitutionem intelligendam solum esse de casu, quo appelletur ad Papam ; ita ut extra hunc casum possit appellatio ab interlocutoria, quando incontinenti interponitur, fieri viva voce. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, lib. 2 Decret., n. 61.)

2. Debet in ea exprimi causa appellationis. Constat ex citata decretali *Cordi* (1, *de Appell.*, in 6), in qua sic statuit Innocentius IV : *Sancimus, ut si quis in judicio vel extra, super interlocutoria vel gravamine aliquo ad nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignare deproperet, petat apostolos, quos ei præcipimus exhiberi : in quibus appellationis causam exprimat.* Idem constat ex decretali *Ut debitus* (59, *de Appell.*), qua sic ab Innocentio III injungitur : *Statuimus ut, si quis coram idoneo judice convenerit adversarium, ille ante sententiam ad superiorem judicem absque rationabili causa non provocet... Cum autem ex rationabili causa putaverit appellandum, coram eodem judice causa probabili appellationis exposita* (*tali scilicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari*), *superior de appellatione cognoscat.*

3. Appellatio ab interlocutoria justificari nequit ex novis,

et de novo probandis, sed solummodo ex causis quæ in ipsa appellatione nominatim expressæ sunt. Constat ex capite *Cum causam* (62, *de Appell.*), et ex Clementina 5 ejusdem tituli, juncta glossa in verbum *Dummodo*. Excipe tamen ab hac generali regula : *primo*, si nova causas post appellationem interpositam primum orta aut cognita fuerit ; *secundo*, si alias gravaminis causa ab appellante oblatas judex *a quo* admittere noluerit ; *tertio*, si gravamen a quo appellatur, per definitivam sententiam non sit reparabile. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, lib. 2 Decret., n. 64.)

Quæstio 4ª. — *An appellatio fieri possit verbis vel factis, quæ vocabulis* appello *vel* provoco *æquivaleant?* — Respondendum affirmative. Sic, verbi gratia, posset quis appellare ab Episcopo hac vel simili formula : *Committo me judicio Papæ,* vel *Archiepiscopi*. Constat ex decretali *Ad audientiam* (34, *de Appell.*). Item loco verborum, sufficit iter arripi ad superiorem appellandi causa. Constat ex decretali *Dilecti* (52, *de Appell.*), necnon ex decretali *Cum olim* (7, *de Dolo et contum.*). Vide Schmalzgrueber (in tit. 28, lib. 2 decret., n. 65).

§ VIII.

Quid sint Apostoli, quomodo petendi et concedendi.

Quæstio 1ª. — *Quidnam in jurisprudentia intelligatur* Apostolorum *nomine?* — Hoc vocabulo designantur litteræ, quas judex a quo, ad instantiam appellantis, transmittit ad judicem ad quem, in testimonium et fidem appellationis interpositæ. Quæ denominatio (ex græca voce ἀπόστολοι, *missi*, deducta) passim in jure tum canonico, tum etiam Justinianeo usurpata occurrit ; quamvis identidem etiam eædem litteræ *libelli dimissorii* vocabulo appellentur.

Quæstio 2ª. — *Quotuplex sit apostolorum species?* — Plures sunt apostolorum species, nempe : 1° *Dimissorii,* quibus judex a quo testatur de appellatione interposita et admissa. 2° *Re-*

verentiales, quibus judex a quo testatur se appellationem admisisse, non ob ejus justitiam, sed dumtaxat ob reverentiam superioris. 3° *Refutatorii*, quibus judex a quo testatur se non admisisse appellationem ; et in his debet exprimere causam, cur eam non admiserit, prout constat ex lege *Sciendum* (6,ff. *de Appell. recipiend.*) ; si enim appellationem rejiciat causam non allegando, punitur, prout decernitur lege *Quoniam* (21, c. *de App.*) ; quæ duæ leges Justinianei juris censendæ sunt etiam vigere in foro ecclesiastico. 4° *Testimoniales*, quibus notarius, aliive honesti viri (in casu quo haberi non potuerit copia judicis a quo, vel is apostolos dare recusaverit), testantur coram se fuisse appellatum ; prout fieri posse constat ex decretali ultima tituli *de Appellationibus*. 5° *Conventionales*, quos dat pars adversa, appellationem acceptans, sive extra judicium, sive etiam in judicio, quando judex eos dare non vult, vel dat refutatorios. Ex iis apostolorum speciebus, maxime in usu sunt reverentiales. Refutatorios autem non facile dare debet judex a quo, ne justitiæ viam præcludere velle videatur.

Quæstio 3ª. — *An omnino necesse sit, peti apostolos ?* — « Eos necessario petere debet appellans (capite *Ab eo*, *de Appell.*, « in 6 ; canone *Post appellationem* 2, q. 6) ; ita ut si non pe- « tantur certo modo ac tempore, appellatio maneat deserta, et « appellans *præsumatur* renuntiasse interpositæ a se appella- « tioni (Clementina *Quamvis*, *de Appell.*) : estque hæc præsum- « ptio *juris et de jure*, contra quam non admittitur probatio in « contrarium, posito quod neglexerit petere ; secus si non potuit. « Porro procedit hæc necessitas petendi apostolos, sive appella- « tum sit ab interlocutoria, vel gravamine illato ante senten- « tiam definitivam ; sive a definitiva : cum caput *Ab eo* (*de Ap- « pell.*, in 6) loquatur indistincte, dicendo *appellanti apostolos*. « Item procedit, sive appelletur a judice procedente et gravante « judicialiter, sive extra-judicialiter ; cum adsit qui eos dare « possit, nempe judex a quo appellatur : secus est, seu necesse « non est illos petere, quando appellatur a gravamine extra judi- « cium ab alio quam a judice illato ; cum tunc non adsit qui eos

« concedere possit. » (Leurenii *Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, libri 2 Decret., quæst. 1029.) Quamvis autem dicta petitio apostolorum de jure communi necessaria sit, contrarium vigere potest in aliqua regione ex jure particulari, verbi gratia, ex legitime præscripta consuetudine.

Quæstio 4ª. — *An judex a quo apostolos petenti teneatur concedere?* — Omnino tenetur concedere ; et, si recuset, reliquus processus ab ipso confectus ex hoc ipso irritus evadit. Id siquidem expresse decrevit Innocentius IV his verbis : *Ut super appellatione ac ejus causa instructio facilior valeat in processu haberi, districte præcipimus, quod ille a quo appellatur, apostolos appellanti (juxta tenorem constitutionis nostræ super hoc editæ) tribuat requisitus. Si vero non exhibuerit, ex tunc, si forte in causa procedat (nisi appellationi renuntiatum fuerit) ejus invalidus et irritus sit processus.* (Cap. 4, tituli 15, libri 2, in 6.)

Imo debet judex *a quo* apostolos appellanti concedere, etiamsi is non petat (*Forum ecclesiasticum* Leurenii, in tit. 28, lib. 2 Decret., q. 1029, n. 3).

Quibus pœnis subjaceat judex apostolos denegans, vide ibidem, n. 2.

« Judex *a quo*, dum petuntur ab eo apostoli, si deferat appel-« lationi, dicere debet : *appellationi defero et apostolos re-« verentiales concedo.* Si vero appellationi non deferat, dicere « debet : *appellationi non defero, et apostolos refutatorios con-« cedo.* » (Leurenius, citato loco, q. 1031, n. 2.)

Quæstio 5ª. — *Intra quod tempus petendi, concedendi, et judici* ad quem *præsentandi sint apostoli?* — 1° Olim petendis et tradendis apostolis præscripti erant quinque dies, prout habetur canone *Ab eo* (24, causæ 2, q. 6).

2° Jure posteriore et hodiedum vigente dantur ad id 30 dies. Constat ex decretali *Ab eo* (6, *de Appell.*, in 6), et ex lege *Judicibus* (24, c. *de Appell.*).

3° Solent autem peti quando appellatur, et uno contextu cum appellatione.

4° Potest judex *a quo* prædictum triginta dierum tempus abbreviare, et appellanti assignare arctiorem terminum ad petendos apostolos. Quo elapso termino, si appellans eos petere neglexerit, censetur appellationi renuntiasse, perinde ac si elapsi forent 30 dies de jure communi concessi. Ita doctores communiter. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 77 ; necnon Leurenium, loco supra citato.) Probabilius tamen non posset judex *a quo* plures quam 30 dies concedere.

5° A quo tempore currere incipiant 30 dies ad petendos apostolos concessi, inter doctores controvertitur. Alii volunt eos currere a die latæ sententiæ : alii a die interpositæ appellationis : alii a die quo notitia de sententia lata ad appellantem pervenit. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 76.)

6° Qui apostolos petiit et obtinuit, tenetur intra tempus, vel a jure, vel a judice *a quo*, præfixum, appellationem suam cum apostolis judici *ad quem* insinuare seu porrigere. (Vide probatum apud Leurenium, cit. loco.)

7° Potest judex *a quo* appellanti præfigere terminum ad præsentandos apostolos judici *ad quem*. Elapso hoc termino (qui tempus introducendæ appellationis vocari solet), si apostoli judici *ad quem* non fuerint exhibiti, appellatio deserta censetur et efficitur. (Leurenius, loco cit.)

8° Si judex a quo nullum præscribat terminum ad præsentandos apostolos judici *ad quem*, terminus ille remanet ipso jure præscriptus ; estque sex mensium, a die interpositæ appellationis numerandorum. Sed multi auctores putant ejusmodi terminum hodie esse arbitrarium, id est, arbitrio judicis *a quo* relictum. (Vide *Forum ecclesiasticum* Leurenii, in tit. 28, libri 2 Decret., q. 1030, n. 4.)

Quæstio 6ª. — *Quomodo peti et concedi debeant apostoli ?* — 1° Quamvis consultius sit eos peti in scriptis, id tamen necessarium non esse tradunt communiter auctores.

2° Concedi autem in scriptis debent ; et, ut addunt nonnulli auctores post glossam (in Clementinam *Quamvis, de Appellat.*),

clausi ac sigillati; nec expediri nuntius posset, qui viva voce concessionem apostolorum judici *ad quem* insinuaret. (Vide Leurenii *Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, libri 2 Decret., q. 1031.)

3° Olim necesse erat apostolos peti pluribus distinctis vicibus. Sed moderatum in hoc fuisse jus commune, et satis esse si uno contextu apostoli petantur *instanter et sæpius*, constat ex decretali *Quamvis* (Clement. 2, *de Appell.*) Clementis V, tenoris hujusmodi: *Quamvis rigor juris exposcat, eum qui appellat debere petere apostolos congruo loco et tempore, sæpius et instanter: nos tamen antiquam et communem observantiam litigantium sequi, et æquitatem rigori præferri volentes, decernimus sufficere, quod per appellantem simul uno contextu apostoli instanter et sæpius postulentur.*

4° In eadem autem decretali subjicitur petendos esse apostolos *congruo loco et tempore* intra juris terminum. Ex quo doctores concludunt non petendos esse, verbi gratia, dum judex *a quo* equitat, vel transit per viam, neque de nocte, neque sub missa aut prandio. (Vide Leurenium, cit. loco, q. 1031.)

Quæstio 7ª. — *Judice a quo apostolos denegante, an possit absque iis appellans suam prosequi appellationem?* — Respondendum affirmative; estque omnino certum. Constat ex canone *Post appellationem* (causæ 2, q. 6), in quo sic decernitur: *Post appellationem interpositam, litteræ dandæ sunt ab eo a quo appellatum est, ad eum qui de appellatione cogniturus est: quas litteras dimissorias sive apostolos vocant... Sufficit autem petiisse intra tempus dimissorias instanter et sæpius: ut, etsi non accipiat, id ipsum contestetur... Æquum est igitur, si per eum steterit qui debeat dare litteras, quominus det, ne hoc accipienti noceat.* Desumptus autem est ille canon ex jure Justinianeo, prout in ipsius rubrica indicatur. Idem constat ex Clementina 2 (*de Appellationibus*) in qua sic statuitur: *Quod si judex in termino ad dandum apostolos præfixo per eum, ipsos appellanti petenti non dederit: aut si dum peterentur apostoli responderit; se daturum eosdem, nullo termino sibi præfixo:*

vel intra juris terminum se eos asseruerit velle dare, et postea per appellantem congruo loco et tempore sæpius et instanter uno contextu etiam requisitus, eos non curaverit intra eumdem terminum exhibere ; appellationem suam ex tunc prosequi possit appellans, ac si expresse fuissent iidem apostoli denegati.

Quæstio 8ª. — *Cujus expensis petendi et concedendi apostoli?* — « Sunt petendi, mittendi et præsentandi judici *ad quem* « sumptibus appellantis » (Leurenius, *Forum ecclesiasticum*, in tit. 28, libri 2 Decret., q. 1032) : atque ita tenent doctores communiter.

§ IX.

De fatalibus appellationis.

Quæstio 1ª. — *Quid sint fatalia ?* — « Fatalium hic nomine « veniunt tempora, quibus exactis appellatio, vel non concedi- « tur, vel concessa, interposita aut jam introducta, extinguitur « et quasi emoritur.

« Hujusmodi quatuor sunt : 1° appellationis interponendæ; « 2° petendi et concedendi apostolos; 3° appellationis introdu- « cendæ, sive apostolos judici *ad quem* præsentandi ; 4° appel- « lationis prosequendæ et finiendæ. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 70.)

De tempore petendi concedendique apostolos, necnon eos præsentandi judici *ad quem*, superiori paragrapho diximus ; unde remanet hic tantum dicendum de tempore interponendæ appellationis, ejusdemque prosequendæ et finiendæ.

Quæstio 2ª. — *Intra quod tempus appellatio interponi debeat?* — Olim biduum vel triduum ad appellandum concedebatur. Sic enim legere est in canone 29, causæ 2, q. 6 : *In sententiis receptum est ut vel altera die vel tertia provocetur... Biduum vel triduum appellationis ex die sententiæ latæ computandum erit.*

Sed postea decem dies ad appellandum præfixi sunt ; ita ut

illum decendii terminum nunc de jure communi ecclesiastico ad interponendam appellationem concedi omnino certum sit. Constat ex sequentibus juris textibus : *Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit* (caput *Quod ad consultationem* 15, tit. 27, libri 2 Decretalium). *Statuimus ut ab electionibus, postulationibus, provisionibus, et quibuslibet extra-judicialibus actibus, in quibus potest appellatio interponi, quisquis ex eis gravatum se reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, intra decem dies postquam resciverit, si velit appellet : post decendium vero eidem aditus non pateat appellandi* (cap. *Concertationi* 8, *de Appellationibus*, in 6). Alios textus ad idem probandum idoneos vide indicatos apud Schmalzgrueber (in tit. 28, libri 2 Decret., n. 71).

Duæ autem citatæ decretales simul probant eumdem præfigi 10 dierum terminum, sive ab actibus in judicio gestis, sive ab actibus extra-judicialibus appelletur.

Ab hac generali regula excipiendus est casus quo gravamen haberet tractum successivum; verbi gratia, si quis citetur ad locum non tutum : tunc enim appellare gravatus poterit etiam post decendium; verbi gratia, toties quoties ad locum non tutum citatur; quia semper de novo gravatur. (Vide *Forum ecclesiasticum* Leurenii, in tit. 28, libri 2 Decret., q. 1118, n. 3.) Item excipiendus casus quo appellatur a gravamine *inferendo*. Tunc enim semper appellari potest ante gravamen de facto illatum. (Schmalzgrueber, in tit. 28, lib. 2 Decret., n. 73.)

Quæstio 3ª. — *Quando currere incipiat decendium ad appellandum concessum?* — 1° Si præsens fuerit ille contra quem sententia pronuntiatur, incipit decendium currere a momento latæ sententiæ : sin vero absens fuerit, a momento cognitionis obtentæ de lata sententia : ita doctores communiter, atque id concludunt ex capite *Ad consultationem* (15, *de Sententia et re jud.*), ex capite *Concertationi* (8, *de Appell.*, in 6), ex authentica *Hodie* (c. *de Appell.*), ex lege *Siquidem* (1, ff. *Quando appelland.*).

Hinc solent canonistæ actuarios monere, « ut in instrumento « appellationis exacte notent, non tantum diem, sed etiam ho- « ram interpositæ appellationis, ad hoc ut rite cognoscatur, « an et quando decendium sit elapsum. Nam prima dies non « computatur tota, sed ab hora illius diei quæ ad decimam « diem ejusdem referri debet; ideoque fieri potest ut decima « dies in undecimam desinat: et hinc si sententia lata sit die « veneris hora 9 matutina, poterit quis appellare die undecima « usque ad horam 9. » Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 De- cret., n. 72.)

2° Postquam autem decendium cœpit currere, currit de mo- mento in momentum, seu est continuum, prout habetur in summario legis 1, ff. *Quando appelland.:* « Ita ut feriati dies « computentur, et propter ferias non censeantur fatalia proro- « gari (lege 1, c. *de Feriis*); cum etiam in feriis seu festis so- « lemnibus appellationem insinuare non sit prohibitum. » (*Fo- rum ecclesiasticum* Leurenii, in tit. 28, libri 2 Decret., q. 1119, n. 2.)

3° Si appellandum sit a gravamine extra-judiciali jam illato, decendium currit a die quo gravatus de illato sibi gravamine notitiam habuit. (Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 73.)

Quæstio 4ª. — *Intra quod tempus appellans prosequi ap- pellationem, eamque finire debeat?* — « Ad appellationem pro- « sequendam et finiendam (a quocumque gravamine, etiam « extra-judiciali, appellatum fuerit) conceditur annus, et ex « justa causa biennium: intra quod tempus, si appellans, justo « impedimento cessante, appellationem suam non fuerit prose- « cutus, illa deserta censebitur. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret. n. 79.), Adducit autem citatus auctor in proba- tionem caput *Cum sit* (5, *de Appell.*), caput *Ex ratione* (8, ejus- dem tituli), Clementinam *Sicut* (3, ejusdem tituli), et nonnullos Justinianei juris textus.

De appellatione autem introducta et non continuata, pronun- tiat judex *ad quem*. Si vero appellatio deseratur antequam in-

troducatur ad tribunal appellationis, potest judex *a quo* procedere ad executionem sententiæ, a qua fuit appellatum.

Quæstio 5ª. — *Quando currere incipiat anni vel biennii terminus, ad prosequendam et finiendam appellationem concessus?* — 1° Quando appellatur ab actibus *judicialibus*, dictus terminus currere incipit a die interpositæ appellationis.

2° Si appelletur a gravamine *extra-judiciali* jam illato, iterum currit a die appellationis interpositæ.

3° Si appelletur a gravamine *inferendo*, currit, non a die quo cœpit timeri gravamen, vel quo appellatum est ab eodem futuro gravamine ; sed solummodo a die quo de facto gravamen illud fuit illatum (Clementina 3, *de Appell.*). Vide Schmalzgrueber, citato loco, n. 80.

Quæstio 6ª. — *Quænam sint justæ causæ concedendi secundum annum ad prosequendam et finiendam appellationem?* — Sequentes enumerat Schmalzgrueber (in tit. 28, libri 2 Decret., n. 81) : 1° si appellans ex infirmitate, paupertate, aliave simili causa impediatur quominus intra annum appellationem prosequatur et terminet. 2° Si ex appellati frustratoriis dilationibus aliisve artibus idem oriatur impedimentum. 3° Si impedimentum proveniat ex ipso judice appellationis, qui ob infirmitatem aliave de causa, intra primum annum negotium non expedivit. 4° Ex casu fortuito, puta quando viæ sunt infectæ hostibus, etc.

Sed generaliter dici potest appellantem jus habere ut sibi secundus annus concedatur, quoties probat, ex negligentia sua non provenisse, quod intra primum annum appellationem non prosecutus sit aut terminaverit.

Quæstio 7ª. — *Num etiam ultra biennium appellanti concedi debeat, quando citra ipsius negligentiam appellationis causa intra biennium finita non est?* — Respondendum affirmative ; idest, vel adhuc ei permittendum est ut appellationem prosequatur, vel ei concedenda est restitutio in integrum. Aperte sequitur ex decretali *Ex ratione* (8, *de Appell.*), in qua sic Alexander III : *Si appellationem biennio elapso interpositam a*

sententia contra vos prolata prosecuti non estis, dummodo prosecutionem ipsius per impotentiam vos constiterit omisisse, nolumus quod justitiæ vestræ debeat præjudicium generare.

Quæstio 8ª. — *An terminus a jure concessus ad prosequendam et finiendam appellationem possit per judicem arctari?* — 1° Judex *a quo*, sicut abbreviare potest terminum a jure concessum ad *introducendam* appellationem (ut supra dictum est), ita et terminum ad eamdem prosequendam et finiendam.

2° Id autem nequit judex *ad quem*, nisi ex nimia dilatione damnum reipublicæ vel periculum animarum immineat. Quæ duo probata vide apud Schmalzgrueber (in tit. 28, libri 2 Decret., n. 87 et 88).

§ X.

De officio judicis *a quo*, et judicis *ad quem*, post interpositam appellationem.

Quæstio 1ª. — *Cuinam appellationi deferre debeat judex?* — 1° Teneri eum deferre cuilibet appellationi *ex justa causa* interpositæ, est regula generalis, certa, et ab omnibus admissa.

2° Ut *justa* censenda sit appellandi causa, necesse non est ejus veritatem probatam fuisse; sed satis est causam esse talem, seu talis speciei, *quæ si foret probata, deberet legitima reputari*, prout dicitur in decretali *Ut debitus* (59, *de Appell.*).

3° « Si (judex appellationi) non deferat, quando ex justa « causa est interposita, appellans nihilominus adire superio- « rem, et coram eo appellationem, perinde ac si recepta esset, « prosequi potest. Adversus ipsum autem judicem proceditur « ad pœnam jure taxatam : non tamen antequam finita sit cau- « sa; nam forte appellans causa cadet, et sic ex ipso exitu litis « colligetur, judicem juste appellationi non detulisse. Porro... « jure canonico, appellationi (saltem ad Papam) non deferens, « deponitur (canone *Decreto* 11, causæ 2, q. 6; juncta glossa « verbo *Submotus*); vel arbitraria pœna in eum proceditur a su-

« periore, ad quem est remittendus. (Capite *de Priori* 31, *de* « *Appell.*) » Ita Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decretalium, n. 90 et 91.

4° In iis casibus in quibus appellatio fuit a jure prohibita, et insuper quandocumquè frivole et frustratorie interponitur, non tenetur nec debet judex ei deferre; et ea non obstante ultra procedens, nulli pœnæ obnoxius est. Constat ex capite 5 *de Appellationibus*, in 6, in quo sic decernitur : *Cum appellationibus frivolis nec justitia deferat, nec sit a judice deferendum, si judex inferior appellationem minus legitimam non admittat, eam appellatore nihilominus prosequente, superior de ipsa cognoscens, causam ad priorem judicem* (*juxta sanctiones canonicas*) *sine difficultate remittat, eadem die condemnationem faciens expensarum. Si vero judex admittat eamdem, licet tam appellatio, quam ipsius judicis delatio, a superiore valeant refutari, quia tamen judex ipse, quantum in se fuit, a se jurisdictionem abdicavit eamdem, appellationi deferens minus juste, totius causæ decisio in superioris est potestate transfusa.*

5° Quando *dubium* est an appellandi causa sit necne justa, et appellatur a sententia definitiva, debet judex appellationi deferre propter reverentiam superioris. Si autem appellatio dubie justa a sententia interlocutoria interponatur, satius est ut deferat; non tamen deferre tenetur. Ita doctores cum Schmalzgrueber (in tit. 28, lib. 2 Decr., n. 93).

6° Quando judex *a quo* appellationi deferre legitime recusat, debet nihilominus apostolos appellanti concedere; qui apostoli, ut supra dictum fuit, semper sunt concedendi : sed tunc *refutatorios* concedet; eos nempe quibus testetur judici *ad quem*, appellatum quidem fuisse, appellationi autem se non detulisse.

Quæstio 2ª. — *Quid agere debeat judex ad quem, post introductam in ipsius curia appellationem?* — Debet ante omnia cognoscere an justa fuerit appellandi causa; et antequam de hoc articulo judicaverit, non potest de causa principali cognoscere, neque causam judici *a quo* remittere.

2° Discusso hoc articulo, debet pronuntiare fuisse *bene judicatum et male appellatum*, *vel contra male judicatum et bene appellatum*.

3° Si pronuntiaverit *bene appellatum*, *male judicatum*, tota causa hoc ipso ipsi judicanda devolvitur. Et hoc verum est etiamsi ab interlocutoria dumtaxat fuerit appellatum : nam etiam tunc ab ipso judicandum est de causa principali, et non tantum de gravamine incidente propter quod fuit appellatum. Instituet ergo processum de tota causa, eamque per sententiam definitivam terminabit, atque etiam executioni mandabit, nisi et ab ipsa appelletur.

4° Si pronuntiaverit *bene judicatum et male appellatum*, et agatur de appellatione a definitiva, eamdem sententiam definitivam a judice *a quo* prolatam ipse confirmabit, atque etiam exequetur.

5° Si pronuntiaverit *bene judicatum et male appellatum*, et agatur de appellatione ab interlocutoria, debet causam ad priorem judicem remittere, condemnato ad expensas appellante. (De his omnibus sub præsenti quæstione 2 dictis, vide Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decr., n. 97 et seq.)

Quæstio 3ª. — *Quandonam judex ad quem possit inhibere judici a quo, ne procedat in causa?* — 1° Non potest ejusmodi inhibitionem facere antequam ipsi constet revera appellatum fuisse, et quidem cum debitis formalitatibus, idest, intra tempus debitum, etc. Ita expresse decernitur decretali *Romana* (3, *de Appell.*, in 6).

2° Si appellatum sit a sententia definitiva, modo constet revera cum debitis formalitatibus appellatum fuisse, potest statim judex *ad quem* inhibere judici *a quo* ne ad executionem sententiæ suæ procedat. Dicimus *statim*, idest, statim ac cœperit cognoscere utrum appellatio recipienda sit necne.

3° « At si appellatum sit ab interlocutoria, antequam inhibeat « judici inferiori in causa procedere, causa appellandi debet « prius esse probata et justificata, et quidem in præsentia par- « tium. » (Schmalzgrueber, in tit. 28, l. 2 Decret., n. 101.) Quæ

duo ultima pariter constant ex decretali *Romana* (3, *de Appell.*, in 6).

Nota. Qui appellationem interponit, potest ei renuntiare, nisi tamen pars adversa appellationem acceptaverit. Qui autem sic interpositæ vel etiam introductæ appellationi renuntiat, ad expensas condemnatur. (Vide Schmalzgrueber, loco cit., n. 105.)

§ XI.

De attentatis post appellationem.

Præter effectum devolutivum et suspensivum, de quibus satis dictum est in superioribus paragraphis, alius est magni momenti appellationis effectus: facit nempe ut quæ, ipsa interjecta, ulterius in causa fiunt, sint *attentata*, id est, robore careant, et tanquam inania tentamina revocanda sint. De hujusmodi attentatis nonnulla hic breviter expendenda veniunt.

Quæstio 1ª. — *Quid agere possit judex a quo, appellatione pendente, quin vitium attentati incurrat?* — 1° Potest sententiam suam, non obstante appellatione, exequi in certis casibus, nempe : si appellatio sit manifeste frivola, modo ei non detulerit (c. *Cum appellationibus* 5, *de Appell.*, in 6) : si reus, quem condemnavit, sit *notorie* criminosus : si causa de iis sit, in quibus a jure denegatur appellatio.

2° Si appellatum sit ab interlocutoria seu gravamine, potest gravamen illud retractare, appellantemque citare ad audiendam retractationem; et tunc si appellans non compareat, potest contra ipsum tanquam contumacem procedere.

3° Potest appellanti terminum præfigere ad prosequendam suam appellationem.

4° Potest publicare seu denuntiare excommunicatum vitandum eum, quem excommunicationis sententia damnavit; quia id non est innovare, sed quod factum est declarare.

5° Generaliter potest quidquid est, vel in beneficium appellationis, vel saltem non in ejusdem præjudicium. (Hæc vide firmata apud Schmalzgrueber, in tit. 28, libri 2 Decret., n. 115.)

Quæstio 2ª. — *Quidnam vi appellationis reddatur attentatum?* — 1° Attentatum non efficitur, ut modo diximus, quod facit judex *a quo* citra præjudicium appellationis, sed dumtaxat quod appellanti præjudicat.

2° Quando appellatum est a sententia definitiva, attentatum evadit : *primo*, quidquid fit post interpositam appellationem : *secundo*, quidquid etiam factum est medio tempore inter prolatam sententiam et interjectam appellationem. (Vide *Forum ecclesiasticum* Leurenii, in tit. 28, l. 2 Decret., q. 1134.)

3° Si appellatum sit ab interlocutoria vim definitivæ habente, idem dicendum ac de casu appellationis a definitiva. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 28, lib. 2 Decret., n. 122.)

4° Si appelletur ab interlocutoria *simplici*, idest vim definitivæ non habente, seu non inferente gravamen per definitivam non reparabile, nihil vi istiusmodi appellationis evadit attentatum ; quia talis appellatio a tempore Tridentinæ synodi est illicita et nulla.

5° Si appellatum sit ab antiquo actu extra-judiciali, attentatum evadit quidquid post interpositam appellationem contra ipsam peragitur.

Quæstio 3ª. — *Quomodo ad revocationem attentatorum sit procedendum?* — 1° Judex ad quem attentata revocare potest, tum ex officio, tum ad petitionem appellantis. 2° Appellans autem petere potest ut fiat attentatorum revocatio, sive in antecessum et separatim a causa principali, sive simul cum judicio causæ principalis. 3° Potest (et debet si hoc petat appellans) attentatorum revocatio fieri, *antequam appellatio fuerit justificata*, idest, antequam constet, an appellandi causa sit necne justa et legitima. Et hoc verum est, sive appelletur a definitiva, sive ab interlocutoria vim definitivæ habente, sive ab aliquo actu extra-judiciali. Atque ita tenere communiter

doctores, vide in eorum commentariis, in tit. 28, libri 2 Decretalium.

§ XII.

Decreta Clementis VIII circa appellationes et inhibitiones.

Plures casus, qui difficultatem facere poterant, decidit Sacra Congregatio Episcoporum et regularium anno 1600; quas decisiones seu decreta, a Clemente VIII confirmata, apprime nota habere debent judices ecclesiastici, ut quoad hanc appellationum et inhibitionum materiam recte procedere valeant, et conflictus inter primæ et secundæ instantiæ tribunalia devitent. Ideo decreta illa hic subjicienda duximus; textum desumentes ex appendice concilii Romani, anno 1725 sub Benedicto XIII celebrati, ubi relata reperiuntur.

« Ad tollendas ambiguitates et controversias jurisdictionales, « quæ inter appellationum et prioris instantiæ judices, non sine « partium dispendio, cursusque justitiæ impedimento, et sæpe « scandalo oriuntur, Sacra Congregatio causis Episcoporum « præposita, facta prius relatione Sanctissimo Domino Nostro « Clementi Papæ VIII, ac de Sanctitatis Suæ mandato, vivæ « vocis oraculo desuper habito, in hunc qui sequitur modum, ab « omnibus ad quos spectat in posterum fieri ac servari debere « mandavit et mandat :

« 1° Metropolitani, Archiepiscopi, Primates aut Patriarchæ « suffraganeos eorumve subditos non judicent, nisi in casibus a « jure expressis.

« 2° Item nec alii superiores, etiam Nuntii vel Delegati de « latere, specificam facultatem majorem non habentes, causas « in curiis Ordinariorum vel aliorum inferiorum judicum pen- « dentes ad se avocent, nisi per viam legitimæ appellationis « ad ipsorum tribunalia deferantur; tuncque appellantes ab « inferiorum jurisdictionibus, quoad alias causas eximere non « possint.

« 3° Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica do-
« cumenta, quæ realiter exhibeantur, prius constiterit, appel-
« lationem a sententia definitiva, vel habente vim definitivæ,
« aut a gravamine quod per definitivam sententiam reparari non
« possit, in casibus a jure non prohibitis, per legitimam per-
« sonam, et intra debita tempora fuisse interpositam ac prose-
« quutam.

« 4° Nec, dum causa coram inferioribus judicibus pendet,
« ante definitivam sententiam, vel vim definitivæ habentem, de
« gravamine illato superiores cognoscere valeant, licet citra præ-
« judicium cursus causarum se id facere contestentur; nec ad
« hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare
« ut ipsis copia processus transmittatur, etiam expensis appel-
« lantis.

«5° Inhibitiones post appellationem, sicut præmittitur, rece-
« ptam, non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiæ
« aut decreti definitivi, aut vim definitivæ habentis, vel damnum
« per definitivam irreparabile continentis : alias inhibitiones, et
« processus, et inde sequuta quæcumque, sint ipso jure nulla,
« eisque impune non parere liceat.

« 6° Si appellans asserat, sententiæ aut appellationis exem-
« plum, culpa judicis a quo, vel actuarii, haberi non posse, non
« ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda ;
« sed eis tantum ad quos pertinet injungi poterit, ut, soluta
« condigna mercede, actorum exemplum authenticum appel-
« lanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur.
« Caveat tamen judex a quo, ne, si vere appellatum fuerit in casu
« appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis atten-
« tet ; et, si per actum publicum aut per testium depositionem
« constiterit, acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi
« acta possit judex appellationis adjicere, ne interim aliquid
« novi contra appellantem attentetur.

« 7° Ab executione decretorum sacri concilii Tridentini,
« aut visitationis apostolicæ, appellationes a Metropolitanis non
« recipiantur ; nec, si Episcopi, virtute ejusdem sacri concilii

« procedunt uti Sedis Apostolicæ delegati, in causis, quæ sub « eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur; salva « tamen in hoc casu Legatorum et Nuntiorum apostolicorum « authoritate.

« 8° In causis vero visitationis Ordinariorum, aut correctionis « morum, quoad effectum devolutivum tantum admittantur, « nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur; vel cum « visitator, citata parte, et adhibita causæ cognitione judicialiter « procedit : tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad « effectum suspensivum.

« 9° Cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequit « (ut indebitæ carcerationis..., aut excommunicationis, etiam « comminatæ) appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus evidenter « appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio « vel provisio aliqua concedatur.

« 10°.....

« 11° Acta originalia processus primæ instantiæ ad judicem « appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis ali- « qua falsitatis causa et suspicio incidat, quæ judicialiter objicia- « tur : et tunc, terminata causa, remittenda sunt ad Ordinarium, « ut in suo archivio conserventur.

« 12° Censura ecclesiastica in appellantem prolata relaxari, « aut nulla declarari per judicem appellationis non possit, nisi « auditis partibus et causa cognita; tuncque si constiterit eam « justam esse, ad judicem qui excommunicavit appellans re- « mittendus est, ut ab ipso, juxta sacros canones, beneficium « absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem « præstiterit, obtineat : si vero injustam esse clare apparet, « superior absolutionem impendat : si dubitetur, honestius est, « ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competen- « tem terminum eidem præfigendum absolvendus remittatur; « licet etiam superior hoc casu idipsum per se præstare pos- « sit.

« 13° Absolutio ad cautelam, nonnisi parte citata et visis « actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab ho-

« mine prolatæ, vel a jure si occurrat dubium facti, vel pro-
« babile dubium juris, concedenda erit; tuncque ad tempus
« breve cum reincidentia, et præstita per excommunicatum
« cautione de stando juri et parendo mandatis Ecclesiæ tantum :
« et, si juxta formam a jure præscriptam apparebit, quem ob
« manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam
« satisfactionem præstare : et, si ob contumaciam manifestam,
« expensis pariter satisfacere; et cavere de judicio sisti coram
« excommunicatore is tenebitur, priusquam ad cautelam absol-
« vatur.

« 14° A sententia etiam definitiva contra verum contumacem
« prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio aut alia quævis
« provisio, quamdiu appellans in hujusmodi vera contumacia
« perstiterit, concedatur.

« Romæ, in Sacra Congregatione, die 16 octobris 1600. »

SECTIO IV

DE PROCESSU CRIMINALI EXTRAORDINARIO.

Per *extraordinarium* criminalem processum, illum intelligimus, in quo necesse non est omnes superiori sectione descriptas solemnitates observare; permittente scilicet jure canonico, ut in certis causarum criminalium speciebus, ab ordinaria forma recedi possit, et breviori peculiarique norma procedi.

Porro hujusmodi processus criminalis *extraordinarii* species quatuor distinguuntur, totidem subsectionibus nunc expendendæ, scilicet: 1° processus criminalis *ex notorio;* 2° processus summarius; 3° sententiæ ex informata conscientia; 4° processus inquisitorius contra hæreticam pravitatem.

Horum autem processuum criminalium quænam sit peculiaris norma, et quando adhiberi possit aut debeat, nisi quis apprime exploratum habeat, in re forensi ecclesiastica aut plane cæcutiet, aut altero saltem oculo caligabit.

SUBSECTIO I.

PROCESSUS EX NOTORIO NORMA.

Hic expendendum occurrit 1° quid sit notorium; 2° quis particularis procedendi modus legitimus fiat in causa notorii; 3° quale debeat esse notorium, ut judex tuto possit per viam

notorii procedere; 4° quid facere possit aut debeat judex in illa notorii specie, quam constituit deprehensio delinquentis in flagrante delicto.

§ I.

Quid sit notorium.

1. Dupliciter notorium esse potest aliquod delictum : notorietate juris et facti.

2. *Notorietate juris* delictum notorium dicitur, quando ex ipso judicio notorietas de eo delicto oritur : quod fit tripliciter : « *Primo* per spontaneam confessionem rei, in judicio factam « et non revocatam (capite *Vestra* 7, et capite finali, *de Cohab. « cler. et mul.;* et capite *Cum olim* 24, *de Verborum signifi- « catione*). *Secundo*, per plenas probationes judiciales, quales « sunt depositiones duorum testium omni exceptione majo- « rum, et instrumentum publicum productum in judicio, qui- « bus, quod in causa conclusum jam sit, opponi nihil amplius « potest (capite *Cum olim* citato, et lege finali c. *de Proba- « tionibus*). *Tertio* per sententiam definitivam condamnatoriam « ad pœnam, vel declaratoriam criminis, quæ transiit in rem « judicatam. »

« 3. *Facti notorietate* notorium est, quod perpetratum est in « oculis hominum, puta totius vel majoris partis alicujus vici- « niæ, parochiæ, collegii, etc., ut ulla tergiversatione celari vel « negari nequeat.

« Hoc facti notorium triplex est : permanentis, transeuntis, « et interpolati. Notorium *facti permanentis* est, quod notorie « se exhibet oculis, et facti continuationem habet, ut id videre « omnes possint... Notorium *facti transeuntis* seu momentanei « illud dicitur, quod in conspectu populi totius, vel majoris « illius partis commissum est, et nec continuationem nec ite- « rationem facti habet : quale est homicidium patratum in « platea aut foro publico. Notorium denique *facti interpolati,*

« quod publice fit, et sæpius iteratur, non tamen continue; « ut cum verba blasphema vel contumeliosa sæpius iterantur « publice. »

« 4. Ex his facile colligitur quid sit notorium in genere, et « quid occultum delictum. *Notorium* in genere illud delictum « dicitur, quod vel in jure, vel ex facto suo ita certum habetur, « ut nulla amplius discussione egeat, neque ulla tergiversatione « celari possit. *Occultum* vero in genere dicitur illud quod non « ita certum est. » (Schmalzgrueber, in titulum 1, libri 5 Decretalium, n. 1, et seq.)

5. *Requisita ut aliquod delictum dici possit notorium notorietate facti.* — « Tria communiter requiruntur : *primo*, *qua-* « *litas loci*, ut scilicet sit factum in loco publico. Hinc quod « commissum est in domo privata, aut villula, vel etiam in parva « parochia, in quibus non reperiuntur decem homines, non « potest dici notorium; quia debet esse multitudini notorium, « ut notorium dici possit (capite finali, *de Cohabit. cler. et* « *mul.*).

« *Secundo*, requiritur *qualitas temporis :* et propterea si de- « lictum diceretur commissum de nocte, regulariter non posset « dici notorium : intellige, nisi delicto de nocte commisso « tanta hominum multitudo fuerit præsens, ut ab his notitia « ejus ad aures majoris partis de communitate perveniat. Tunc « enim temporis respectu notorii habenda non foret ratio, « quippe quod ideo solum notorietatem impedit, quia de nocte « non solet esse tantus populi affluentis concursus, quantum no- « torietas facti exigit.

« *Tertio*, requiritur *adstantium multitudo :* quot autem ho- « minum scientia requiratur ad faciendum notorium juris, « interpretes non modicum variant. Nam aliqui requirunt « notitiam totius viciniæ, alii majoris partis, alii trium, non- « nulli decem hominum. » Communior sententia id reponit in arbitrio judicis : « Quia ubi aliquid non est a jure taxatum vel « definitum, censetur illud esse commissum arbitrio judicis : « in quo arbitrio ne erret judex, considerare debebit circum-

« stantias actus et temporis. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 1 Decretalium, n. 4 et seq.)

§ II.

Quis particularis procedendi modus legitimus fiat in casu delicti notorii.

1. Est certa et omnino tenenda regula, tunc non adstringi ecclesiasticum judicem ad observandum ordinem judiciarium. Quam regulam doctores deducunt, tum ex juris textibus (ex canone *Prohibentur* 14, et canone *Quæ Lotharius* 16, causæ 2, q. 1; et ex capite *Ad nostrum* 21, *de Jurejurando*); tum ex ratione : nam « Ordo judiciarius solum introductus est ad crimi- « nis aut juris dubii veritatem investigandam; qui finis cessat « in casu ubi hæc est notoria. Et in hoc discedit judicium cri- « minale a judicio civili, ubi notorium non excusat ab observa- « tione ordinis judiciarii... » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 7.)

2. Hinc in notoriis opus non est *accusatione* nec *denuntiatione*. Ita tenent doctores communiter, et constat ex capite *Evidentia* (9, tituli 1, libri 5 Decretalium), in quo sic loquens inducitur sanctus Augustinus : *evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris*. Idem dictat recta ratio : ideo enim regulariter accusatio vel denuntiatio requiritur, ut crimen in judicio manifestetur; sed in notoriis manifestatio hæc jam habetur ex evidentia facti; unde supervacanea evadit accusatio et denuntiatio.

3. Item in notoriis non requiritur *libellus*, nec *contestatio litis*, nec *juramentum calumniæ*, nec aliæ solemnitates pertinentes ad judicii ordinationem. Ita communiter doctores concludunt, ut videre est apud Schmalzgrueber (in tit. 1, libri 5 Decret., n. 9). « Proceditque hoc, sive agatur contra absentem, sive « contra præsentem; et sive sit notorium facti interpolati, sive « momentanei, sive continui. » (Schmalzgrueber, loco citato.)

4. Item in causa notorii opus non est *citatione:* quod tamen intelligendum est, quando ita evidenter constat de patrato delicto, ut nulla omnino defensione reus se tueri possit : « Secus, quando aliqua potest reo competere defensio, vel « dubium fit an non competat, vel competere possit ; tunc « enim omnino necessaria foret citatio. » Ita Schmalzgrueber (loco citato), addens hanc doctrinam esse communiter receptam : « Et hinc, inquit, non facile contra reum absentem, « etiam in notorio delicto, citatione non præmissa, est proce- « dendum ; quia forte exceptio aliqua causam ejusdem relevans « ipsi competit. »

5. Non potest tamen judex in notorio *citationem ad sententiam* prætermittere. De qua generali regula dubitat nullus. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decr., n. 10.) « Excipitur « tamen, ait ibidem citatus auctor, quando mora cederet in « præjudicium reipublicæ, propter futurum scandalum in po- « pulo ; quia tunc ratione scandali vitandi potest reus condem- « nari, etiam sine citatione. Nam ad vitandum scandalum in « jure permittuntur multa, quæ alias de sui natura illicita et « prohibita sunt. Oportet tamen hoc casu certum esse delictum, « et ita quidem, ut simul etiam certum sit nullam reo defensio- « nem competere. »

« 6. Etiam non opus est in notorio delicto, ut judex ferat « sententiam condemnatoriam *solemniter et in scriptis.* Quia « regulare est, quod quando judex procedit sine ordine et « figura judicii, non requiratur quod sententia feratur in « scriptis. Sufficiet ergo sententia non solemnis, et præceptum « judicis reo pœnam intimantis, nisi tamen reus id esse no- « torium neget; tunc enim opus foret sententia notorii decla- « ratoria. (Clarus, § finali, q. 9, n. 8. — Pirrhing, in tit. 1, « libri 5 Decret., n. 104. — Wiestner, in eumdem tit., n. 11. — « Reiffenstuel, in eumdem titulum, n. 258.) Unde contraria « sententia, quæ ait in notoriis etiam sententia declaratoria non « esse opus, solum procedit quando vel est notorium facti « permanentis, ita ut quotidie semper oculis hominum obser-

« vetur, vel per reum non negatur notorium : imo etiam in his « duobus casibus consultius aget judex, si pronuntiet super no- « torio. »

« 7. Non est in casu notorii locus appellationi ; sed ista non « obstante, judex ad executionem potest procedere. » (Schmalz-grueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 12.) Constat capite *Cum sit* (5, tituli 28, libri 2 Decretalium), ubi de appellatione facta a raptore, vel violento rei alienæ detentore, sic habetur : *Hujusmodi appellatio facta in judicio apud ecclesiasticas personas solet audiri, nisi forte manifestus raptor vel fornicator existat, sicut ille quem absentem et irrequisitum Apostolus excommunicavit.*

« Procedit autem solum casu, quo in delinquentem decerni- « tur pœna tanquam in reum notorii criminis. Nam si ad hanc « simpliciter, et notorietate non expressa, condemnaretur, locus « appellationi foret. » (Schmalzgrueber, loco citato.)

8. An in causa notorii delicti possit reus judicem tanquam suspectum recusare? —Distinguendum : vel enim pœna, quam decernit judex, est jure, statuto aut consuetudine determinata ; vel ipsius judicis arbitrio determinatur : si prius, non datur recusationi locus : si posterius, recusatio admittitur, quia in taxatione pœnæ posset judex excedere. Ita doctores communiter, ut videre est apud Schmalzgrueber (loco citato). Id vero eruunt ex capite *Proposuit* (24, tituli 28, libri 2 Decretalium) ; qui textus stylo tantisper subobscuro delineatus, sic clarius in rubrica ipsi præfixa intelligendus declaratur : *Appellans ab Ordinario in una causa, in aliis coram eo respondere tenetur : potest tamen eum recusare ut suspectum ; nisi conveniatur de crimine manifesto, et in quo non cadit excusatio nec suspicio, ut quia imponitur pœna juris surgens ipso facto.*

§ III.

Quale debeat esse notorium, ut judex tuto possit per viam notorii procedere.

Jam sub primo paragrapho diximus quid sit notorium de-

lictum. Non tamen omnino determinate indicavimus requisitas conditiones, ut tuto possit judex per viam notorii procedere. Eas hic, pro rei gravitate, subjiciendas duximus.

1. « Debet ipsum factum, quod in delictum cadit, esse noto-« rium : tale erit quando crimen patratum est coram decem aut « saltem sex hominibus, qui illud certo et per sensum cognoverint; « quia, ut ex hactenus dictis constat, ad notorium facti requiri-« tur ut illud patratum sit coram populo, vel majore illius parte : « ad populum autem constituendum requiruntur decem saltem « homines. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 5 Decret., n. 14; qui idem confirmat auctoritate plurium doctorum, et canonis *Unio* 3, causæ 10, q. 3.)

2. « Debet notorium esse factum, non tantum in se, sed etiam « in ratione delicti; quia nisi hoc modo notorium sit, locus erit « tergiversationi et excusationi; cui tamen locus esse non debet « in delicto notorio. » (Schmalzgrueber, loco citato, et doctores communiter.) Quod *notorium* in sensu juris non sit delictum, nisi omnis tergiversationis possibilitas excludatur, constat ex capite *Tua* (8, tituli 2, libri 3 Decretalium), ubi de notorio crimine sic habetur : *cum hujusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari :* e quibus verbis merito infertur, notorium non esse crimen, quod potest aliqua tergiversatione celari seu excusari; excusari autem potest delictum, quantumvis notorie patratum, quando non est simul evidenter culpabile, seu quando non est notorium ratione delicti. Quod etiam dictat recta ratio : nam potest dari notorietas de patrato, verbi gratia, homicidio, quin tamen constet an factum istud culpabile sit : in quo casu nemo non videt quantum immineret injustitiæ periculum, si judici per viam notorii procedere liceret, sub eo prætextu quod notorium sit factum.

3. Distinguendum ergo est, prout (loco citato) dicit Schmalzgrueber, « inter facta, quæ ex sui natura maleficium arguunt, « et inter facta quæ ex sui natura bona, vel indifferentia sunt. « Ut *primi generis* facta etiam in genere delicti notoria dici pos-« sint, sufficit ipsum factum notorium esse, et non apparere de

« exceptione, quæ opposita facto malitiam tolleret. Contra in « *secundi et tertii generis* factis, ut notoria fiant in genere de- « licti, necesse est ut notoriæ sint circumstantiæ, quarum ad- « miniculo naturam hæc facta mutant, et mala efficiuntur. Natio « utriusque est, quia factum ponderatur secundum naturam « suam, et tale præsumitur quale a natura sua est. »

4. « Debet constare etiam de ipsa notorietate. Nam in-hoc « fundatur processus in causa notorii : consequenter testes, « quibus notorium crimen probatur, deponere non tantum de- « bent de ipso crimine, sed etiam de notorietate ipsius; quod « scilicet præsente et inspectante populo, vel majore illius parte « sit perpetratum. In qua probatione caute omnino procedere « judex debet, nec statim credere asserentibus delictum esse « notorium ; cum notoria dicantur multa, quæ non sunt talia. « Ideo honestius tutiusque aget, si quantumcumque delictum « videatur esse notorium, super ejus notorietate recipiat a « vicinia depositiones testium, quotquot haberi commode pos- « sunt : imo non facile omittet ipsam etiam citationem et mo- « nitionem rei ; ut ita se liberet (judex) a periculo pœnæ, cui « alias, deposito officio, foret obnoxius, si judiciario ordine « non observato, ad condemnationem et executionem pro- « cessit. »

§ IV.

Quid facere possit aut debeat judex eclesiasticus in illa notorii specie, quam constituit deprehensio delinquentis in flagranti delicto.

« Vel reus delinquit in conspectu ipsius judicis pro tribunali « sedentis, aut alias jurisdictionem exercentis ; vel a ministris, « aut etiam ab aliis, ita repertus ducitur ad judicem.

« Si *primum*, ad punitionem illius, tanquam notorii delin- « quentis procedere judex ordine juris non observato potest ; ita « ut nec processu, nec probatione opus sit : quia aspectus judi- « cis inducit ipsi evidentem probationem quoad decisionem

« causæ (lege *Eadem* 2, ff. *de Feriis;* — lege *Si irruptione* 8, « ff. *Regund.*; — lege *Minor* 32, ff. *de Minor.*). Ne tamen, si « postea in syndicatu negaretur condemnatum commisisse de- « lictum in ejus præsentia, judex periculum pœnæ incurrat, « tutius aget si, etiam hoc casu, recipiat probationes delicti; ut « sic ex actis probare possit commissum in sua præsentia esse « delictum. Follerus (*Pract. crim.*, n. 27) suadet ut judex, « commisso delicto, reum incontinenti examinet : et siquidem « delictum confiteatur, decernere sine alia probatione vel so- « lemnitate pœnam eidem poterit. Si vero neget, super eo « recipiat testes : et siquidem in rei (ut loquuntur) confrontati « facie, adversus ipsum deposuerint, ad punitionem illius pro- « cedet.

« Si *secundum*, idest, si reus in flagranti deprehensus et ap- « prehensus, ducatur ad judicem, imprimis a notario in actis « judicialibus describenda est relatio eorum qui reum judici « sistunt, et recipiendi testes super delicto et deprehensione in « flagranti. Deinde examinandus ipse reus : ubi interest, an exa- « minatus fateatur delictum simpliciter : an cum excusatione « quæ pœnam excludat vel diminuat ; verbi gratia, quod occide- « rit justæ defensionis gratia, quod acceperit rem alterius in « compensationem crediti, etc. ; an vero delictum omnino ne- « get. Si *primum*, pœna ipsi secundum facti et personæ qualita- « tem est decernenda. Si *secundum*, ei statuendus est terminus « ad allegationis seu exceptionis suæ probationem ; nec antea « condemnandus reus, quam ex allegatis et probatis constet, « quod ipse nihil relevans afferat, vel afferre possit. Si *tertium*, « repetendi sunt testes super delicto et deprehensione in flagranti « jam recepti : quorum testimoniis si convictus appareat, et post « terminum ipsi datum relevans nihil afferat, promerita ipsi « pœna est infligenda. »

SUBSECTIO II

DE JUDICIO SUMMARIO.

Judicia summaria quid sint, et quænam eorum propria norma, nisi apprime calleat judex ecclesiasticus, facile in irregularem procedendi formam, atque in nullitatis vitium impinget. Hinc de re adeo gravi et practica diligenter instituenda venit quæstio. Ad eam autem enodandam progrediemur hoc modo : 1° textus juris præmittemus, e quibus judicii summarii natura et norma desumenda est ; 2° determinabimus quid proprie sint summaria judicia, et quomodo a judiciis ex informata conscientia diligènter distingui debeant ; 3° quæ norma in iis expediendis tenenda sit ; 4° quibus in casibus per viam judicii summarii procedi possit aut debeat.

CAPUT I.

PRÆMITTUNTUR JURIS TEXTUS, E QUIBUS POTISSIMUM JUDICII SUMMARII NOTIO ET NORMA DESUMENDA EST.

Extant duæ Pontificiæ constitutiones, omnino adeundæ, ac sedulo expendendæ, utpote quibus tota fere judiciorum summariorum regula determinata fuit atque sancita. Prior est Clementina *Sæpe* (2, *de Verborum significatione*), tenoris hujuscemodi : « Sæpe contingit quod causas committimus, et in earum aliqui- « bus *simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura judicii* « procedi mandamus. De quorum significatione verborum a « multis contenditur, et qualiter procedi debeat dubitatur. Nos « autem dubitationem hujusmodi, quantum nobis est possibile, « decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione

« sancimus, ut judex cui taliter causam committimus, necessario « libellum non exigat; litis contestationem non postulet; in tem- « pore etiam feriarum (ob necessitates hominum indultarum a « jure) procedere valeat; amputet dilationum materiam; litem, « quanto poterit, faciat breviorem; exceptiones, appellationes « dilatorias et frustratorias repellendo; partium, advocatorum « et procuratorum contentiones et jurgia, testiumque superfluam « multitudinem refrænando.

« Non sic tamen judex litem abbreviet, quin probationes ne- « cessariæ et defensiones legitimæ admittantur. Citationem vero, « ac præstationem juramenti de calumnia vel malitia, sive de « veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissiones hu- « jusmodi intelligimus non excludi. Verum quia juxta petitio- « nis formam pronuntiatio sequi debet, pro parte agentis, et « etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio peti- « tio facienda, sive scriptis, sive verbo : actis tamen continuo « (ut super quibus positiones et articuli formari debeant possit « haberi plenior certitudo, et fiat definitio clarior) inserenda. Et « quia positiones ad faciliorem expeditionem litium, propter « partium confessiones, et articulos ad clariorem probationem « usus longævus in causis admisit; Nos, usum hujusmodi ob- « servari volentes, statuimus ut judex sic deputatus a nobis (nisi « aliud de partium voluntate procedat), ad dandum simul « utrosque terminum dare possit; et ad exhibendum omnia « acta et monumenta, quibus partes uti volunt in causa, « post dationem articulorum diem certum (quandocumque sibi « videbitur) valeat assignare : eo salvo quod, ubi remissionem « fieri contingeret pro testibus producendis, possint etiam « instrumenta produci, assignatione hujusmodi non ob- « stante. Interrogabit etiam partes, sive ad earum instan- « tiam, sive ex officio, ubicumque hoc æquitas suadebit. Sen- « tentiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie « partibus) in scriptis, et (prout magis sibi placuerit) stans vel « sedens proferat : etiam (si ei videbitur) conclusione non « facta.

« Quæ omnia, etiam in illis casibus in quibus, per aliam « constitutionem nostram vel alias, procedi potest *simpliciter « et de plano, ac sine strepitu et figura judicii,* volumus ob- « servari. Si tamen in præmissis casibus solemnis ordo judicia- « rius in toto vel in parte, non contradicentibus partibus obser- « vetur, non erit processus propter hoc irritus, nec etiam « irritandus. Data Avenione, 13 calendas decembris, Pontifi- « catus nostri anno 2. »

Altera constitutio est Clementina *Dispendiosam* (2) *de Judiciis*, in qua sic decrevit idem Clemens V : « Dispendiosam proro- « gationem litium (quam interdum ex subtili ordinis judiciarii « observatione causarum docet experientia provenire) restrin- « gere in subscriptis casibus cupientes, statuimus : ut in causis « super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut « super dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, vel « præbendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, aut super « decimis, nec non super matrimoniis et usuris, et eas quoquo- « modo tangentibus, ventilandis, procedi valeat de cætero *sim- « pliciter et de plano ac sine strepitu judicii et figura*. »

CAPUT II.

QUID PROPRIE SIT JUDICIUM SUMMARIUM, ET QUOMODO A JUDICIIS EX INFORMATA CONSCIENTIA DIFFERAT.

1. Certum est in jurisprudentia canonica *summarium* vocari judicium illud, in quo proceditur *simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii.* Unde quod per illam formulam *simpliciter et de plano, etc.*, intelligendum est, illud idem censendum est ad essentiam judicii summarii pertinere, illique judiciorum speciei esse proprium; ac proinde ex sensu dictæ formulæ determinandam esse veram et strictam summarii judicii notionem seu definitionem.

2. Procedere *simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura*

judicii, non est omittere omnes ordinarii judicii solemnitates, sed aliquas tantum. Id expresse definit, modo transcripta constitutio *Sæpe* Clementis V. Siquidem, dum ibi declaratur quo sensu formula hæc intelligenda sit, expresse definitur ita esse intelligendam, ut quædam ordinarii judicii formæ seu solemnitates omitti possint, non autem quædam aliæ.

3. Non tamen stricte definiretur judicium summarium dicendo, illud esse in quo, aliquæ, non omnes, ordinarii judicii solemnitates omitti possunt. Nam id etiam judiciis *ex notorio* convenit, ut supra vidimus; et tamen aliud per processum *ex notorio*, aliud per processum *summarium*, intelligi solet; quia nempe aliæ sunt solemnitates quæ in judicio summario, et aliæ quæ in processu ex notorio omitti possunt.

4. Recte autem definiri potest judicium summariun, *illud in quo omitti possunt, et de facto omittuntur, ad citius expediendam causam, certæ quædam, a jure determinatæ, ordinarii judicii solemnitates.*

Dicimus *ad citius expediendam causam;* qua ratione omittendarum solemnitatum differt processus summarius a processu ex notorio : nam in hoc posteriore, ideo omittuntur certæ solemnitates, quia inutiles : in priori vero, ne causa nimium protrahatur.

Dicimus *et de facto omittuntur :* si enim etsi omitti possint dictæ solemnitates, tamen adhibeantur, processum evadere ordinarium, et ex ipso sequi omnia ordinarii processus consectaria, sustinent nonnulli canonistæ, ut infra adnotatur.

5. Jamvero patet summaria judicia a sententiis *ex informata conscientia* omnino differre. Nam in hujusmodi sententiis, non aliquæ, sed omnes ordinarii judicii solemnitates omitti possunt; unde omnino *extra-judiciales* esse possunt, id est, absque ullo forensi judicio proferri.

6. Est autem discrimen illud valde attendendum; ne, dum in jure decernitur posse in aliqua materia procedi *summarie*, perperam intelligat judex ecclesiasticus sibi licitum procedere *ex informata conscientia*. Omnino enim erraret, si tunc omnes

ordinarii judicii solemnitates omitteret. Debet enim eas omnes adhibere, quæ ad valorem summarii judicii requiri mox ostendemus.

CAPUT III.

QUÆNAM SIT PROPRIA JUDICII SUMMARII REGULA.

I. Ex supra transcripta decretali *Sæpe* (2, *de V. S.*) constat, in summario judicio recedi posse a forma ordinariorum judiciorum in sequentibus : 1° necessarius non est libellus ; 2° nec litis contestatio requiritur ; 3° etiam diebus feriatis valide in causa procedi potest ; 4° necesse non est partes *peremptorie* citari ad sententiam definitivam, sed sufficit citatio simplex : 5° non tenetur judex sedendo pronuntiare sententiam ; sed hæc valet etiamsi a judice stante pronuntietur ; 6° item necessarium non est fieri conclusionem in causa.

II. Ex eadem Clementina *Sæpe*, remanent in judicio summario observanda sequentia : 1° admittendæ sunt probationes necessariæ et defensiones legitimæ ; 2° citatio omitti nequit ; 3° de præstatione juramenti (sive calumniæ et malitiæ, sive dicendæ veritatis) idem currit jus ac in ordinario judicio ; 4° si actor vel reus initio aliquid petat, continuo actis inserenda petitio est ; 5° remanet, sicut in ordinario processu, facultas fabricandi positiones et articulos ; 6° debet proinde judex ad has positiones et articulos præstandos concedere terminum ; sed potest assignare unicum terminum ad præsentandum *simul* et positiones et articulos ; 7° quoad exceptiones et appellationes, idem remanet jus ac in judicio ordinario. Nam quæ habentur in Clementina, a voce *Amputet* usque ad verba *Non sic*, ac proinde quæ ibi dicuntur de exceptionibus et appellationibus, non exprimunt jus speciale seu particulare summariis judiciis ; prout adnotavit *Glossa* hoc modo : « Istud, et « quæ sequuntur usque ad verba *Non sic*, non videntur in his

« causis specialia, cum in omni causa judex laborare debeat « ad lites breviandas, dilationum materias amputandas : et « alia quæ sequuntur jura sunt vulgaria. Sed dici potest spe- « ciale quod in his fortius quam in aliis judex hoc poterit... « Sed quæro, quam exceptionem vel appellationem per hæc « verba (non dico per hanc constitutionem) possit talis judex « repellere, quam alter judex teneatur admittere ? Hoc vel- « lem doceri. » (*Glossa*, ad verbum *Amputet*, et ad verbum *Dilatorias*.)

III. Quando judici commissa est causa *summarie* judicanda, potest nihilominus adhibere processum ordinarium, *modo partes consentiant*. Id sequitur ex his supra citatæ Clementinæ verbis : *Si tamen in præmissis casibus solemnis ordo judiciarius in toto vel in parte, non contradicentibus partibus, observetur, non erit processus propter hoc irritus vel irritandus*.

IV. Quid vero si judici, non quidem injunctum fuerit ut summarie procedat (ut quando Papa alicui committit causam *summarie* terminandam), sed ipsi, ex natura causæ, facultas detur a jure summarie procedendi ? An tunc saltem poterit *sine consensu partium* processum ordinarium instituere ? Ego puto requiri etiam in hoc casu consensum partium, et deficiente hoc consensu, teneri judicem summarie procedere. Nam quod in certis causis possit summarie procedi, est favor a jure concessus partibus ; unde non possunt invitæ hoc beneficio privari. Atque id insuper mihi videtur rigorose deduci ex ipso citatæ Clementinæ textu : nam quod ibi dicitur de facultate observandi solemnem ordinem *non cantradicentibus partibus*, refert Pontifex *etiam* ad illos casus, *in quibus per aliam constitutionem suam, vel alias, procedi potest simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii*. Ergo commune est omnibus casibus in quibus procedi potest *summarie*, ut institui nequeat processus ordinarius *sine consensu partium*.

Contrarium tamen tenuit glossa, quæ sic habet ad verbum *Non contradicentibus :* « Innuit quod partibus contradicentibus « non possit judiciorum figura vel solemnitas, ultra id quod

« hic exprimitur, observari. Quod verum intelligo quando sic « procedere non est in judicis potestate, ut quia Papa sic « procedi mandat : secus si sic procedere voluntati judicis relin- « quatur. »

V. Si de facto instituatur processus ordinarius quando poterat summarie procedi, an nullitatem inducat alicujus in processu ordinario necessariæ solemnitatis omissio? Id affirmant multi, cum Reiffenstuel (in tit. 1, libri 2 Decr., n. 51), qui dicit, sententiam tunc, non observatis solemnitatibus juris prolatam, nullam esse et invalidam. Atque ita pariter sentire videtur Cardinalis de Luca (*de Judiciis*, discursu 1, n. 12 et 13) dum dicit, solemnitates, si adhibeantur quando summarie procedi posset, id operari, *ut judicium, quod alias de sui natura summarium sit, ita reddatur ordinarium.*

Mihi tamen minus recta videtur conclusio hæc, utpote citatæ Clementinæ textui aperte opposita. In illa enim Pontificia constitutione expresse decernitur, validum fore processum qui poterat summarie expediri, etiamsi in eo *solemnis ordo judiciarius, in toto vel in parte, non contradicentibus partibus, observetur.* Si valet processus quamvis solemnis ordo judiciarius *in parte* observetur, valet quando instituitur in forma ordinaria, et omittitur aliqua solemnitas ; nam hæc duo, *processus ordinarius in quo aliqua omittitur solemnitas*, *et processus in quo solemnis ordo ex parte observatur*, unum atque idem rigorose exprimunt. Unde prædicti auctores non satis mihi videntur ad hunc textum attendisse.

Cæterum quando de facto omnes omnino ordinarii processus solemnitates observantur, quamvis summarie procedi potuisset, processum evadere et recte dici *ordinarium* (prout tenet Cardinalis de Luca), non inficias imus. Id tantum contendimus, processum, qui summarie expediri potest, et in quo nihilominus observatur solemnis judiciorum ordo, non esse irritum nec irritandum, ex eo quod aliqua deficiat ordinarii processus solemnitas.

CAPUT IV.

QUIBUS IN CASIBUS SUMMARIE PROCEDI POSSIT AUT DEBEAT.

I. Summarie procedere tenetur delegatus a Papa, cui *summarie* terminanda causa aliqua commissa est; nisi tamen partes consentiant ut tunc ordinarius instituatur processus. Patet ex dictis.

II. Summarie procedi potest in causis super electionibus, postulationibus, provisionibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, præbendis, beneficiis ecclesiasticis, decimis, matrimoniis, et usuris. Ita expresse supra transcripta Clementina *Dispendiosam* (2, *de Judiciis*).

III. Insuper summarie expediri possunt sequentes causæ : 1° causæ pauperum, viduarum, pupillorum et miserabilium personarum (ex authentica *de Mandatis principum*, coll. 3); 2° causæ alimentorum (lege 2, ff. *de Feriis*); 3° causæ spolii, depositi, mercedis et peregrinorum (vide Reiffenstuel, in tit. 1, l. 2 Decr., n. 48); 4° causæ religiosorum (cap. *Olim* 26, *de Accus.*); 5° causæ levioris momenti (authentica *Nisi breves*, c. *de Sent. ex brev. recitand.*); 6° his addunt communiter auctores, causas quæ, ob aliquod imminens periculum, moram non patiuntur.

SUBSECTIO III

DE SENTENTIIS EX INFORMATA CONSCIENTIA.

Si attente in seipsa perpendatur ea, de qua nunc dicturi sumus, Episcoporum ex informata conscientia procedendi potestas, vix quidquam in tota ecclesiasticæ disciplinæ histo-

ria magis insolitum occurret. Si vero mentem convertimus ad errores et dubia quibus ortum, vel jam dedit, vel etiamnum dare potest recentior hæc, a tempore scilicet Tridentinæ synodi introducta forma, nulla forte juris sacri pars solertiori indagatione, nostris præsertim temporibus, indigere videbitur.

Arduum profecto argumentum, in quo pertractando sanior doctrina a periculosis quorumdam opinationibus, solidarum auctoritatum adminiculo, accurate est discernenda. Quod ut facilius præstemus, hoc ordine distribuenda materia visa est : 1° dicemus quid sit et unde orta Episcopalis potestas ex informata conscientia procedendi; 2° potestatem hujusmodi tanquam omnino certam Episcopis vindicabimus ; 3° extendi eam ad certos casus de quibus dubium oriri posset ostendemus; 4° ejusdem limites assignabimus; 5° tandem subjiciemus quid catholicus quisque de hujus disciplinæ introductione debeat aut licite possit sentire et sustinere.

CAPUT I.

QUID SIT ET UNDE ORTA EPISCOPALIS POTESTAS EX INFORMATA CONSCIENTIA PROCEDENDI.

I. Unicum huic episcopali potestati assignatur fundamentum : caput nempe primum (*de Reformatione*) sessionis 14 Tridentini concilii; quo textu, tanquam cardine, tota nititur et vertitur pertractanda nunc judiciorum *ex informata conscientia* gravissima quæstio. Ita scilicet decreverunt Tridentini Patres : *Cum honestius ac tutius sit subjecto, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus;*

Aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus;

Nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, et dignitates, sive honores, restitutio suffragetur.

Duplex ibi tributa Episcopis potestas : *primo,* scilicet ascensum ad sacros ordines interdicendi, ita ut sic ab Episcopo suo prohibitus, ex nulla sibi aliunde concessa licentia possit ordinari. *Secundo,* suspendendi ab ordinibus jam susceptis, atque insuper ab ecclesiasticis gradibus, dignitatibus et honoribus ; ita ut sic ab Episcopo suo suspensus, nequeat a superiori Prælato absolvi et restitui.

Prior dispositio, nempe ut interdictus ab Episcopo suo a suscipiendis ordinibus, ex superioris Prælati concessione ordinari non valeat, expresse dicitur locum habere, etiamsi talis interdictio a proprio Episcopo lata fuerit *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, et quomodo libet, etiam extra-judicialiter.* His autem verbis implicite et æquivalenter asseritur Episcopo facultas ascensum ad ordines interdicendi *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, et quomodolibet, etiam extra-judicialiter.* Et hoc ipso ei, qui sic interdicitur, ad tribunal superius appellandi adimitur facultas.

Posterior autem dispositio (nempe ut suspensus a receptorum ordinum exercitio, atque a gradibus et dignitatibus ecclesiasticis, per superiorem Prælatum absolvi et restitui in suum gradum nequeat), expresse non dicitur locum habere, etiamsi suspensio lata fuerit *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, et quomodolibet etiam extra-judicialiter.* Hæc enim clausula non iteratur post membrum phraseos, *Aut qui a suis ordinibus... fuerit suspensus.* Sed tamen nunc certum est, eam clausulam esse ibi subaudiendam, et textum esse intelligendum perinde ac si ibi iterum reposita fuisset ; quia sic pluries (ut infra ostendemus) a Sacra Congregatione Concilii decisum est.

Porro sic determinato Tridentini decreti sensu, remanet in eo revera vindicari Episcopis facultatem, *ex quacumque causa* ,

etiam ob occultum crimen et quomodolibet, etiam extra-judicialiter, tum ascensum ad sacros ordines interdicendi, tum a susceptorum exercitio, et a gradibus et dignitatibus ecclesiasticis suspendendi.

Et hæc est quam vocant Episcoporum *ex informata conscientia* procedendi potestatem.

Ipsa etiam vox *ex informata conscientia*, jam auctoritate non caret, utpote quæ in Sacræ Congregationis Concilii responsis, in bulla *Auctorem fidei*, apud Benedictum XIV, aliosque passim doctores adhibita reperitur.

II. *Quid proprie intelligendum sit per eas voces* EX INFORMATA CONSCIENTIA? — 1° Ea vox non reperitur adhibita in ipso textu legis; id est in supra citato capite *Cum honestius*, Tridentini concilii; sed ab auctoribus frequenter usurpata, in generalem tandem usum, atque in consuetam formulam transivit. Eam autem induxisse videntur canonistæ concinnitatis gratia; ut nempe brevius exprimerent eum sententiandi modum, in quo Episcopus, nullo præmisso ordinario processu, nulla juridica informatione, sententiam pronuntiat ex causis sibi notis. Unde illæ voces, *ex informata conscientia*, præcipue sonant ferri sententiam, non in vim ullius juridicæ informationis, juridicive processus, sed dumtaxat ex causis ab ipsa Episcopi conscientia perpensis et cognitis. Num autem eæ voces supponant insuper, delictum, in quod animadvertitur, esse occultum, ita ut proprie non dicatur procedi *ex informata conscientia* nisi contra occulta crimina, non autem contra publica, est quæstio, quam, pro rei gravitate, seorsim infra expendendam duximus.

2° Ex eo vero quod valeant Episcopi absque juridico processu nonnunquam pronuntiare, non sequitur id eos posse, antequam ipsis certo (seu ex sufficientibus probationibus) constet de delicto clerici contra quem suspensio ex informata conscientia pronuntiatur. Sequitur tantum, non requiri ut probationes de delicto sint juridicæ, seu in juridico processu obtentæ. Unde potest quidem Episcopus ex probationibus

extra-judicialiter obtentis suspensionem fulminare; sed probationes illæ tales esse debent, quæ ipsi Episcopo delictum certum faciant, prout ex ipso juris naturalis dictamine patet.

3° Immo ut probationes illæ de delicto extra-judicialiter obtentæ sufficientes sint seu idoneæ, non satis est ut solum Episcopum convincere valeant; sed tales esse debent (prout infra probabitur) quæ Sedi Apostolicæ, seu Sacræ Congregationi Concilii (si forte recursus a suspenso instituatur) justæ et sufficientes videri possint. Unde, verbi gratia, quod Titius clericus Episcopo suo privatim absque testibus delictum suum confessus sit, est probatio quæ certum facit Episcopum de illo delicto : nihilominus si Episcopus ex hac sola probatione suspensionem pronuntiaret, et Titius ad Sedem Apostolicam recurrens, negaret se unquam hocce delictum patrasse aut confessum fuisse, Sacra Congregatio Concilii, eo quod de delicto quoad ipsam non satis constaret, sententiam non confirmaret; nisi forte tanta esset Episcopi auctoritas et integritatis fama, ut ipsa ejus affirmatio pro sufficienti probatione Eminentissimis Patribus habenda videretur. Hinc probationes possunt quidem esse extra-judiciales; sed aptæ ex natura sua esse debent ad convincendum, non tantum Episcopum, sed superiorem etiam judicem. Alioquin enim absone pateret recursus : siquidem recursus ille datur ut sententia, si forte injusta sit, rescindatur; ac proinde Sacra Congregatio Concilii (ad quam ordinarie ejusmodi recursus a Sede Apostolica committuntur) judicare debet an clericus suspensus sit necne innocens : non potest autem judicare illum deliquisse, ex probationibus quæ soli Episcopo, non autem sibi, delictum probent. Atque id, quamvis per se pateat, adnotatum voluimus, quia est in præsenti materiæ valde attendendum. Non tamen dicimus intrinsece injustam fore sententiam, si Episcopus, ex probationibus quæ quoad ipsum dumtaxat probent, suspensionem pronuntiet; siquidem ex hypothesi, suspensus revera deliquit, atque eam pœnam meritus est. Perperam tamen agit sententiam pronuntiando rescissioni obnoxiam. Imo nec canonice procederet tunc cen-

sendus est : Ecclesia enim sententias ejusmodi ex informata conscientia, nonnisi salvo recursu admisit : recursus autem supponit sufficienter probandum esse delictum apud superius tribunal : noluit ergo Ecclesia procedi posse ex informata conscientia, nisi ex rationibus, quæ apud Sedem quoque Apostolicam delictum probare valeant.

III. Hujus vero disciplinæ, vi cujus *ex informata conscientia* sententiare fas est Episcopis, parentem extitisse Tridentinam synodum, omnino constat. Citatum enim decretum *Cum honestius* id juris revera tribuit Episcopis, prout sub sequenti capite manifestum facimus. Aliunde vero ante Tridentinam synodum hæc Episcoporum procedendi via nequaquam canonica, sed prorsus *inaudita* fuit ; quod abs re non erit breviter hic ostendere, subjectis anterioribus Ecclesiæ legibus, quæ id demonstrent.

Sic decernebat Alexander III anno 1170 : *Ex tenore tuarum litterarum accepimus, quod N. clericus adeo deliquit, quod si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab ordine quem suscepit, et amplius non posset ad superiores ordines promoveri. Verum quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti, mandamus quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, et suadeas ut parte pœnitentiæ peracta, ordine suscepto utatur : quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* (C. *Ex tenore* 4, tit. 11, libri 1 Decret.)

Gregorius vero IX anno 1229 : *Quæsitum est de sacerdotibus vel aliis clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientiæ rectæ perdiderunt. Respondemus, quod si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam, in jam susceptis vel suscipiendis ordinibus impediri : qui, si non pœnituerint monendi sunt, et sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.* (Caput ultimum, tituli 11, libri 1 Decretalium.)

Attentis iis duobus decretalibus, potest jus ante Tridentinam synodum vigens sic paucis cum Leurenio (*Forum eccles.*, in lib. 1 Decret., quæst. 505) exponi :

« *Primo*, omnes *notorie criminosi* prohibentur ordinari... « sive delictum sit notorium notorietate facti (hoc est per evi- « dentiam rei, quæ nulla tergiversatione velari potest), sive « notorietate juris, hoc est ordine judiciario comprobatum, « sententiatum, vel confessum in judicio. »

« *Secundo*, *criminosi occulti*, verbi gratia, adulteri, perjuri, « testes falsi, possunt in susceptis ordinibus ministrare, per- « acta pœnitentia, vel parte illius ; idque etiamsi crimen sit « dignum degradatione, seu tale quod, si manifestum esset, « degradarentur... Excipiuntur tamen Rei homicidii etsi oc- « culti ; ita etiam ut post peractam pœnitentiam in ordinibus « susceptis ministrare nequeant citra dispensationem. »

« *Tertio*, poterunt quoque (*criminosi occulti*) promoveri ad or- « dines superiores. Fagnanus (ad caput *Ex tenore*, n. 4) dicit : « *Crimen etiam enorme, si sit occultum, non impedire quominus* « *peracta pœnitentia possit quis officio suo uti, et ad majores* « *ordines ascendere.* »

« *Quarto*, quin etiam *criminosi occulti*, dum volunt ordinari, « non possunt ab Episcopo prohiberi. Barbosa (in caput *Ex te-* « *nore*, n. 1) ; item Fagnanus (in citatum caput *Ex tenore* n. 8), « ubi : *Nota, Episcopum, qui per confessionem criminosi, vel* « *alias extra-judicialiter, novit crimen quantumcumque* « *enorme, non illi absolute interdicere posse ne promoveatur* « *ad ordines, si crimen sit occultum.* Quin imo addit Fagnanus « hoc locum habere, etiamsi crimen sit tale, ut impediat ordinis « executionem post peractam pœnitentiam. Nam etsi istiusmodi « crimine irretitus non possit sine peccato ministrare aut promo- « veri ab Episcopo, tamen prohiberi non potest, cum peccatum « illius sit occultum. »

Extabat tamen, præter memoratam criminis homicidii, alia exceptio, criminis nempe hæreseos, pro quo, licet occulto, poterat clericus judicari et suspendi. Tertia item extabat exce-

ptio religiosos respiciens : hi nempe, si a Prælatis suis noscerentur criminis rei, etsi crimen occultum foret, poterant ab iisdem Prælatis ascensu ad ordines interdici. Id expresse sancivit Lucius III, his verbis : *Ad aures nostras pervenit, quod religiosi quidam ad superiores desiderant ordines promoveri ; sed Prælati eorum desideriis contradicunt. Tuæ igitur quæstioni taliter respondemus : quod honestius et tutius est subjectis debitam præpositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum præpositorum scandalo, graduum appetere dignitatem : nec est in hac parte subjectorum desiderium confovendum : quoniam esse potest, quod Prælati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeant sublimari : quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei.* (C. *Ad aures* 5, tit. 11, libri 1 Decret.)

Hanc ultimam decretalem ad solos regulares fuisse restrictam, et textus ipse manifestum facit, et tenet cum Fagnano communior (contra paucos) doctorum sententia. Ipsius autem decretalis verba usurpavit Tridentina synodus in conficiendo suo decreto *Cum honestius*, atque sic ad sæculares etiam eam extendit.

Ex quibus adductis documentis, facile colligitur inductam a Tridentina synodo disciplinam, fuisse revera novam, et decretalibus *Ex tenore* et *Quæsitum* derogativam ; quod cæteroquin expresse docent Fagnanus et alii communiter doctores, dum in præfatas decretales disserunt.

IV. Quamvis autem præ-allato Tridentino decreto revera fundentur episcopales *ex informata conscientia* sententiæ, atque suum inde ortum ducant, non tamen primis statim post Tridentinam synodum temporibus, res extra controversiam in scholis et apud doctores ivit. Non pauci quippe canonistæ, (e Jansenistica tamen plerique turma, vel etiam e gallicana prout Van Espen et Gibert) sustinuerunt, ita intelligendum esse Tridentinum decretum, ut possit quidem Episcopus ascensum ad ordines impedire *extra-judicialiter*, *etiam ob delictum*

occultum; non autem a susceptis ordinibus aut dignitatibus ecclesiasticis suspendere; quod nempe eæ voces *extra-judicialiter etiam ob occultum delictum* priori membro phraseos jungantur, non autem posteriori. Et fatendum aliqua ambiguitate laborare Tridentinum textum, cum tot de eo ortæ sint, et ad Sacram Congregationem Concilii transmissæ dubitationes. Unde si solus remansisset ille textus, et non intervenisset præfatæ Congregationis auctoritas, adhuc forsan controversiæ obnoxia foret Episcoporum *ex informata conscientia* clericos suspendendi potestas; adeoque dici potest, episcopalem ejusmodi facultatem, in quantum certa jamdudum evasit, a dictæ Sacræ Congregationis auctoritate dimanasse. Quod advertere ii deberent, qui tanto zelo hancce Episcoporum prærogativam propugnant; et simul adeo Sacræ Congregationis Concilii auctoritatem parvi pendunt, ut nullam ei legislativam potestatem, nullam decretis ejus, legum latarum sensum determinantibus, obligativam vim inesse concedant.

CAPUT II.

CERTA EST EPISCOPORUM POTESTAS EX INFORMATA CONSCIENTIA SENTENTIAS FERENDI, QUIBUS ET A SUSCIPIENDIS SACRIS ORDINIBUS ARCEANT, ET A SUSCEPTIS, NECNON A DIGNITATIBUS ECCLESIASTICIS SUSPENDANT.

E quadruplici capite in gravissimæ hujus thesis probationem argumenta repetemus: 1° scilicet e textu ipso Tridentinæ synodi; 2° ex Sacræ Congregationis Concilii decretis; 3° ex communi doctorum sententia; 4° ex bulla *Auctorem fidei.* Non tamen omnes quatuor illas probationes tanquam eodem robore pollentes afferimus. Nam tres quidem posteriores invictæ omnino sunt, et nullum tergiversationi locum relinquunt: prima vero, in quantum respicit clericorum sacris jam initiatorum suspensionem, attento solo Tridentino textu rigorosa non foret, cum textus ille tot dubiis et disputationibus obnoxius fuerit.

Dum autem in hoc capite præfatam Episcopis potestatem vindicamus, quanta sit, seu ad quænam determinate sese potestas hæc extendat non dicimus; sed *generaliter* hic ejusmodi potestatem asserimus, de ejus extensione et limitibus infra disputaturi. Quibus prænotatis sit

PROBATIO I^a. — *E textu ipso Tridentini concilii.* — 1° Posse Episcopum a suscipiendis sacris ordinibus ex informata conscientia arcere, nec controvertitur, nec controverti potest, ob omnimodam horum capitis *Cum honestius* verborum perspicuitatem : *Ei cui ascensus ad sacros ordines a suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extra-judicialiter fuerit interdictus.* Ibi enim supponit, ac proinde docet Tridentina synodus, posse ab Episcopo ascensum ad sacros ordines interdici *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen,* et *quomodolibet, etiam extra-judicialiter ;* quæ verba id præcise sonant quod sub breviori formula *ex informata conscientia* doctores postea exprimere consueverunt.

2° Sed et jam ordinatos eodem modo potest Episcopus suspendere. « Nam (ait Fagnanus, in caput *Ad aures de tempor. « ordin.*, n. 7) etsi verba illa, *ex quacumque causa, etiam ob « occultum crimen*, etc., non sint apposita nisi in priori parte « dicti capitis primi (sessionis 14, *de Ref.*), ubi agitur de inter- « dictione ; tamen censeri debent repetita etiam in sequenti, ubi « agitur de suspensione : tum quia concilium sub unica ora- « tione ac verborum structura complectitur interdictionem a « suscipiendis et dejectionem a susceptis, ideoque censeri debet « utrumque casum æqualiter determinare : tum quia alioquin « concilium in secunda parte nullam potestatem Episcopis attri- « buisset; nemini enim dubium esse poterat quin ob crimen « manifestum et judicialiter liceret Episcopis sacerdotes suspen- « dere (1). » Hoc ratiocinium confirmare solent doctores *ex*

(1) Hæc tamen ratio non convincit : nam poterant quidem antea Episcopi ob manifesta delicta, et servato judiciali ordine, sacerdotes suspendere ; sed suspensis patebat ad Metropolitanum appellatio. Hic vero appellatio ista de medio tollitur, majorque proinde potestas Episcopis tribuitur.

proœmio, immediate ante caput *Cum honestius* posito, in quo synodus, postquam Episcopos hortata est ut corrigendis clericorum moribus strenue incumbant, addit : *Ut autem ipsi Episcopi id liberius exequi valeant...*, et statim ponit caput *Cum honestius*.

Probatio II[a]. — *Ex Sacræ Congregationis Concilii decisionibus.* — Cum per se rem evincant ejusmodi decisiones, eas dumtaxat oculis subjiciemus, lectori relinquendo ut ex unaquaque facilem ipse ad intentum scopum illationem faciat.

« An verba illa, *ob occultum crimen*, *quomodolibet*, *etiam* « *extra-judicialiter*, expressa dumtaxat in prima parte periodi, « censeantur repetita in secunda parte; adeo ut inde colligi « valeat, Prælatum, nedum posse ob occultum crimen extra- « judicialiter interdicere suo subdito ascensum ad ordines, « sed itidem ob occultum crimen posse etiam extra-judicialiter « illum suspendere ab ordinibus jam susceptis. — Sacra Con- « gregatio die 24 novembris 1657, re sedulo examinata, cen- « suit, non recedendum ab antiquis declarationibus, super « hoc eodem dubio pluries datis; ac proinde affirmative re- « spondit. (Libro 21 decretorum, pagina 134, *in causa Ale-* « *riensi.*) »

« Ad instantiam Episcopi Vercellensis supplicatur decla- « rari... 4°. An quando Ordinarius suspendit aliquem vigore « capitis primi sessionis 14 (*de Reformatione*), teneatur expri- « mere delictum et causam suspensionis ipsi reo, si illam ju- « dicialiter petat..., Sacra Congregatio... respondit ad *quar-* « *tum*, Ordinarium, si suspendat aliquem vigore capitis primi « sessionis 14 (*de Reformatione*), non teneri exprimere delictum « seu causam suspensionis ipsi reo, sed tantum Sedi Aposto- « licæ, ad quam reus recursum habuerit. » (In libro 17 decretorum, folio 169 a tergo et sequentibus, sub die 24 martii 1643.)

In libro 7 decretorum, folio 89 a tergo, reperitur responsio hæc, absque ulla prævia casus positione : « Congregatio Con-

« cilii censuit, caput primum sessionis 14 (*de Reformatione*),
« habere locum in suspensionibus et prohibitionibus tam tempo-
« rariis, quam perpetuis; et temporalem prohibitionem et sus-
« pensionem dici eam, ubi ex delicto occulto extra-judicialiter
« procedit Episcopus, ad suum beneplacitum prohibendo vel
« suspendendo. »

« Bononiensis Vicarius supplicat declarari, an Ordinariis
« locorum, vigore facultatis sibi concessæ a sacro concilio
« Tridentino, sessionis 14 capite primo, *de Reformatione*, li-
« ceat ob legitimas causas suspendere, etiam extra-judiciali-
« ter, clericos et presbyteros sæculares, etiam parochos,
« sibi subditos, sublata eis potestate appellandi. — Sacra
« Congregatio respondit, Ordinariis ut supra licere. » (Libro decretorum 19, folio 416 a tergo, sub die 14 novembris 1654.)

« Episcopus ex causis sibi notis (1) suspendit a celebratione
« et ordinum exercitio presbyterum Dominicum Guglielmum; quem subinde irregularem declaravit, ex quo iste,
« neglecta suspensione prædicta, celebravit. Habito proinde per
« Dominicum recursu ad Metropolitanum, et postea ad
« Apostolicam Cameram, tandem ex decreto Auditoris San-
« ctissimi remissa fuit instantia ad hanc Sacram Congregatio-
« nem; quæ sub die 15 novembris proxime præteriti rescri-
« psit, ut, firma remanente suspensione, causa in hodierno fo-
« lio describeretur. Unde utraque parte informante, decernen-
« dum proponitur : 1° an dicta suspensio ex causis Episcopo
« notis fuerit valida. 2° An ita suspensus celebrando incurrerit
« in irregularitatem. — Die dicta, Sacra Congregatio respon-
« dit : Ad *primum*, affirmative. Ad *secundum*, distulit resolu-
« tionem *ad mentem :* mens est ut in proxima congregatione
« referatur, an Guglielmus celebraverit ante appellationem,
« vel post expletum tempus absolutionis, cum reincidentia
« obtentæ a Metropolitano. » (Libro 37 decretorum, folio 714

(1) Hæ voces *ex causis sibi notis* in manuscripto reperiuntur sublineátæ.

a tergo, sub rubrica *Serniensis suspensionis et irregularitatis*, et sub die 20 decembris 1687.)

Quinque præmissas declarationes esse authenticas certo mihi constat; eas quippe in manuscripto authentico, cui titulus *Libri decretorum Sacræ Congregationis Concilii*, meis ipse oculis vidi, atque inde propria manu transcripsi.

In tomo 5 *Thesauri resolutionum*, pagina 81, sub die 16 decembris 1730 sic habetur : « Episcopus Capritanus, ex causis « sibi notis et informata conscientia, Franciscum Vassallo, ac « Sabathum de Stephano, sacerdotes sibi subditos, die 14 junii « præteriti a celebratione missæ suspendit usque ad novam dis- « positionem. Interposita per ipsos appellatione ad Metropolita- « num, eadem curia metropolitana, sub die 28 ejusdem mensis, « litteras inhibitoriales adversus curiam Capritanam expedivit, « commisitque appellantium absolutionem cum reincidentia « per mensem..., parocho Francisco Arcuccio. Dictaque absolu- « tione sequenti die obtenta, sub alia die 30 ejusdem mensis, « iidem sacerdotes in ecclesia cathedrali Caprearum publice ce- « lebrarunt....

« Non gravabuntur itaque Eminentissimi Patres ad infra- « scripta dubia sapientissime de more respondere :

« 1° *An suspensio a celebratione missæ sacerdotum Vassalli « et Sabathi de Stephano, per Episcopum Capranitanum lata « ex informata conscientia, substineatur in casu. Et quatenus « affirmative.*

« 2° *An et quomodo sint absolvendi in casu.*

« 3° *An licuerit curiæ metropolitanæ concedere inhibitionem, « vigore appellationis ab eadem suspensione, contra curiam « Capranitanam suffraganeam, et absolutionem cum reinci- « dentia committere Parocho Arcuccio in casu... —*

« *Ad primum, affirmative.*

« *Ad secundum, arbitrio Episcopi.*

« *Ad tertium..., negative.* » 16 decembris 1730.

Item in *Thesauro resolutionum*, tomo 7, pagina 114, sub die 20 augusti 1735 : « Episcopus Oritanus ex informata, ut aiunt,

« conscientia, per annum a divinis suspendit memoratum Joan-
« nem Donatum ; qui supplicat responderi....

« 2° *An suspensio a divinis lata, contra sacerdotem Joannem*
« *Donatum, per Episcopum Oritanum, ex informata conscien-*
tia, sustineatur in casu... —

« *Ad* secundum, *dilata, et scribatur Episcopo, ut exprimat*
« *causas intra mensem omnino.* »

In libro 16 *Litterarum visitationis sacrorum liminum*, pagina 401, sub die 21 aprilis 1668, reperitur hæc Sacræ Congregationis Concilii ad Remensem Archiepiscopum directa responsio : *Cum nullus ordinari debeat, quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem aut necessarium non judicaverit, Congregatio non semel declaravit ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam. Quæ, juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII felicis recordationis approbatam, quotiescumque Ordinarius recusaverit quemcumque ordinare, Metropolitano aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis : quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recusatum ordinare.* (Citatum a Benedicto XIV, *de Synodo diœces.*, libro 12, c. 8, n. 4.)

In libro 24 *positionum*, pagina 1, sub die 21 junii 1625, refertur hæc Sacræ Congregationis decisio : *Episcopus Sagonensis, ex facultate sibi attributa decreto Concilii capitis 1, sessionis 14, ex causis sibi notis suspendit parochum ab exercitio curæ. Sed ille appellavit ; et præcepto Episcopi contempto, celebravit et curam exercuit. Quæritur an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium curæ effectus fuerit irregularis.* — *Sacra Congregatio Concilii censuit, ab hujusmodi suspensione non dari appellationem ; et parochum qui sacramenta ut supra ministravit, irregularitatem contraxisse.* (Citata a Benedicto XIV, *de Synodo diœces.*, libro 12, c. 8, n. 5.)

Plures itidem in eumdem sensum Sacræ Congregationis Concilii decisiones indicatæ videri possunt in manuscripto cui titu-

lus, *Sacræ Congregationis Concilii declarationes variæ et decreta;* quod manuscriptum asservatur Romæ in bibliotheca Corsiniana (pagina 255 tomi primi, sub numero 30 annotati; et pagina 55 a tergo, tomi secundi).

E citatis documentis abunde atque invicte fluit hæc conclusio, revera Episcopis competere præfatam *ex informata conscientia* sententias ferendi potestatem.

Probatio III[a]. — *Ex communi doctorum sententia.* — Supervacaneum foret eam juris sacri peritorum consensionem documentis probare, cum, post notas Sacræ Congregationis Concilii responsiones, catholicus quisque scriptor generalem quam tuemur thesim pro certa habuerit. Unde, si qua remansit opinandi varietas, circa præfatæ Episcoporum potestatis extensionem dumtaxat et limites tota versatur. Solent autem materiam hanc excutere canonistæ, ubi explanant caput quartum, quintum et decimum septimum tituli 11, libri primi Decretalium.

Probatio IV[a]. — *Ex bulla* Auctorem fidei. — Inter varias synodi Pistoriensis damnatas propositiones, reperiuntur duæ, quæ legitimas negabant *ex informata conscientia* suspensiones. Eas in præfata bulla confixit Pius VI his verbis :

« 49. Item quæ damnat ut nullas et invalidas suspensiones « ex informata conscientia, — *Falsa, perniciosa, in Tridenti-* « *num injuriosa.* »

« 50. Item in eo quod insinuat soli Episcopo fas non esse uti « potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14, c. 1, *de Ref.*), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infli- « gendæ, — *Jurisdictionis Prælatorum. Ecclesiæ læsiva.* » Hæc profecto dictæ bullæ verba, non tantum thesim hic propugnatam omnino certam faciunt, sed et contrariam opinionem inter damnatas in perpetuum ablegarunt.

CAPUT III.

DE EPISCOPALIS POTESTATIS, SENTENTIAS EX INFORMATA CONSCIENTIA FERENDI, EXTENSIONE AD CERTOS CASUS.

Expendendi nunc veniunt præcipui casus, de quibus aut mota fuit, aut moveri posset quæstio, an ad ipsos extendatur prædicta Episcoporum ex informata conscientia procedendi potestas. Cui indagationi eo accuratius incumbendum existimavi, quod animadverterim, difficultates ejusmodi adhuc hodie frequenter renovari ; ut, verbi gratia, videre est in causa Lucionensi (Luçon, in Gallia), 8 aprilis 1848, et in causa S. Agathæ Gothorum 26 februarii 1853. Sint ergo de hujusmodi casibus sequentes propositiones.

Propositio I^a^. — *Potestas episcopalis suspendendi extra-judicialiter, seu ex informata conscientia, locum habere videtur, non tantum quando crimen est occultum, sed etiam quando est publicum.* — Gravissimam quæstionem illam hoc ordine expediemus : primo nonnulla ad intelligendam difficultatem opportuna prænotabimus : tum eorum qui conclusioni adversantur argumenta exponemus : tertio tandem conclusionem ipsam firmabimus.

I. *Prænotanda.* — 1° Positæ conclusioni adversari vigentem hodie apud Romanos canonistas persuasionem, mihi Romæ degenti aperte innotuit. Ipsi nempe existimant non posse Episcopum ex informata conscientia procedere, quando delictum est fama vulgatum ; sed necessario tunc adhibendam ordinarii judicii formam. Cumque nonnullis eorum patefecerim, mihi esse in proposito contrariam sententiam tueri, acriter obstitere, et ne ut probabilem quidem hanc meam opinionem admiserunt ; utpote quæ ipsis, a sensu et mente Tridentinorum, circa sententias ex informata conscientia, decretorum, aperte aberrare videretur.

Quorum quidem virorum me valde commovet auctoritas. Deductæ tamen ab ipsis rationes non eæ mihi visæ sunt, quæ rem omnino evincant. Cumque aliunde quæstio illa nondum fuerit ulla expressa decisione soluta, parcant mihi (etsi forte hallucinor), quod, etiam in casu *publici* criminis, extra-judicialiter procedendi facultatem Episcopis vindicem.

2° Ad auctoritates quod attinet, eamdem potestatem extra-judicialiter, etiam ob crimen publicum, suspendendi, Ordinariis a Tridentina synodo tributam existimavit illustrissimus Lucionensis Episcopus; prout videre est in erudito ipsius tractatu *de Sententiis ex informata conscientia* inscripto.

Fateor tamen, præter laudatum Præsulem, nullum mihi occurrisse canonistam, qui propositam difficultatem ex professo expenderit, et dictam facultatem Episcopis expresse, in casu *publici* delicti, adscripserit.

3° Ast, quod valde me movit, nec apud ullum detexi expressam in contrarium conclusionem. Et neque in collectione, quæ *Thesaurus resolutionum* inscribitur, quidquam inveni, ex quo rigorose deducere potuerim, non admitti a Sacra Congregatione Concilii dictam Episcoporum facultatem. Quamvis enim nonnullæ ibi occurrant causæ, in quibus, pro parte clerici extra-judicialiter suspensi, tanquam vitium nullitatis objiciatur, quod crimen fuerit fama vulgatum, nec proinde potuerit Episcopus extra-judicialiter procedere, et revera Sacra Congregatio episcopalem sententiam annullaverit, nullibi tamen Eminentissimi Patres dicunt, ideo præcise annullari, quod crimen fuerit publicum; et potuerunt multis aliis de causis hanc annullationem decernere, etiamsi existimaverint criminis publicitatem extra-judiciali sententiæ non obstare. Nec attendendum est ad id, quod in relatione causæ in favorem utriusque partis litigantis hinc inde deducitur; quia id auctoritatem non habet, sed tantum responsio ipsa Eminentissimorum Patrum ad dubia proposita.

4° Episcopis non competere dictam facultatem clericos in

casu delicti *publici* extra-judicialiter suspendendi, deduci nequit ex ratione impossibilitatis, seu ex eo quod Tridentina synodus hanc eis potestatem conferre *non potuerit*. Nam minime repugnat id Episcopis concessisse Tridentinos Patres, quod nedum pravum in se et nocivum, imo valde utile multis in casibus concipitur. Atqui revera multoties valde utile esse potest, ut in *publicum* etiam clerici delictum extra-judicialiter animadverti queat. Quamvis enim delictum jam sit fama vulgatum, contingere potest multis in locis ut necessariæ ad ordinarium processum formalitates servari nequeant absque summis difficultatibus, et majoris in regione commotionis et scandali periculo. Ubi, verbi gratia, sponte se sistere testes recusant, nec curiæ episcopali præsto est sæcularis brachii auxilium ; vel etiam ubi parochiani de clerico suspendendo diversimode sentiunt, et imminet periculum ne oppositæ partes odiis in invicem magis in dies accendantur, nemo non videt quam utilis esse possit extra-judicialiter procedendi facultas.

Quod præsertim facile concedet quisquis præsentem ecclesiarum Galliæ, aliarumque nonnullarum regionum statum attente perpenderit. Potuit ergo Tridentina synodus, has et similes difficultates introspiciens, velle dicta facultate instructos Episcopos. Unde expendenda quæstio non est, an Tridentina synodus id facere potuerit; sed dumtaxat an id revera fecerit. Ac proinde qui dictam facultatem Episcopis denegant, non debent rationes suas deducere ex impossibilitate, sed tantum ex textu ipso Tridentino, et ex legitima ejus interpretatione.

Quibus prænotatis, ad ipsorum argumenta, prout ea intelligere potui, accedo.

II. *Rationes eorum, qui Episcopis facultatem denegant extra-judicialiter clericos suspendendi, quando delictum est publicum.* — 1° Argumentantur ex ipsa *informatæ conscientiæ* locutione. Tunc dumtaxat, inquiunt, dici potest Episcopus ex informata conscientia procedere, quando crimen est occultum. Si vero

jam sparsa fuerit de delicto fama, perperam diceretur Episcopus *ex causis sibi notis*, seu, quod idem est, *ex informata conscientia* procedere, cum eæ causæ sint notorietatis publicæ.

Ejusmodi autem argumentatio mihi videtur omni prorsus robore destitui. Nam *primo*, Tridentina synodus his vocibus *ex informata conscientia* usa non est, sed locutione *extra-judicialiter*. Et tota quæstio in hoc vertitur, utrum possit Episcopus, quando crimen est publicum, extra-judicialiter clericum suspendere. Porro hæc duo, *crimen esse publicum*, et *extra-judicialiter procedi*, nequaquam inter se pugnant, nec invicem sese excludunt. At, inquis, dici saltem tunc nequibit Episcopus processisse *ex informata conscientia*. Esto : quid ad rem? Dicetur processisse *extra-judicialiter*, licet non *ex informata conscientia*, et hoc thesi nostræ sufficit. *Secundo :* sed neque concedimus eam locutionem *ex informata conscientia*, a canonistis introductam et postea generaliter receptam, delicti publicitatem necessario excludere : nam etiamsi publicum sit delictum, in vero sensu dici potest Episcopus *ex informata conscientia* procedere, ex eo nempe quod procedat ex probationibus sibi extra-judicialiter notis et non ex probationibus in processu regulari comparatis. Ut adeo proposita argumentatio ad meras cavillationes merito ableganda videatur.

2° Argumentantur ex certissima, ut asserunt, Romanarum congregationum (Congregationis Concilii præsertim) sententia et praxi. Pro certo nempe habent, non admitti a dictis congregationibus Episcoporum extra-judicialiter seu ex informata conscientia suspendendi facultatem, nisi in casu *occulti* criminis. Quæ quidem Romanarum congregationum sententia et praxis, si de ipsa plene constaret, rem omnino evinceret. Sed cum documenta saltem aliqua, quæ ejusmodi praxim probent, a Romanis canonistis, eam mihi asserentibus, expostulaverim et quæsierim, nullum prorsus mihi comparare potui : unde non obstante dictorum virorum auctoritate, fateor me dubium hæsisse.

3° Ad textum autem Tridentinum, in quo dicitur posse Episcopum *extra-judicialiter* procedere *ex quacumque causa*, *etiam ob occultum crimen* (ubi vox *etiam* aperte supponit id eos quoque posse quando crimen non est occultum), concedunt quidem eas voces intelligendas esse, non tantum de prohibitione ab ascensu ad ordines, sed etiam de suspensione ab ordinibus jam receptis, necnon a dignitatibus, gradibus et officiis; prout expresse id multoties declaravit Sacra Congregatio Concilii : sed dicunt easdem voces esse juxta exigentiam materiæ intelligendas. Sicut nempe (aiunt) voces *ex quacumque causa*, si agatur de recusatione ordinationis, intelligendæ sunt de quacumque causa justa, etiam non criminali ; si autem agatur de suspensione a receptis ordinibus, intelligendæ sunt dumtaxat de causis criminalibus : ita voces *etiam ob occultum crimen*, quoad priorem materiam (de prohibitione ab ascensu ad ordines) rigorose accipiendæ sunt, et complectuntur etiam crimina *publica :* quoad posteriorum autem materiam (quando nempe agitur de suspensione ab ordinibus jam receptis), intelligendæ sunt quasi deesset vox *etiam*, et pro voce etiam adesset vox *dumtaxat ;* exigente scilicet extra-judicialis suspensionis natura ut non fiat nisi ob *occultum* delictum.

Sed respondetur : gratis tanquam certum ponitur illud principium, non posse fulminari extra-judicialem suspensionem nisi in delictum *occultum ;* quia hoc est ipsissima quæstio. Ex principio autem incerto restringere naturalem et apertissimum textus Tridentini sensum, nihil aliud est quam arbitrariam et nullius valoris interpretationem obtrudere.

Non alias ego, præter præmissas, rationes dignoscere potui, quibus ad casum occulti criminis restricta probetur Episcoporum extra-judicialiter suspensiones ferendi potestas.

III. *Probatur thesis nostra, Episcopo nempe competere potestatem extra-judicialiter suspendendi, in casu etiam publici criminis.* — Desumitur probatio ex ipso Tridentino textu (cap. 1, sess. 14, *de Ref.*). Nam

1° Certum est, et a Sacra Congregatione Concilii pluries et

expressis terminis (ut supra ostendimus) decisum, voces illas *extra-judicialiter*, *ex quacumque causa*, *etiam ob occultum crimen*, referendas etiam esse ad secundum membrum phraseos, ubi Episcopis adscribitur facultas suspendendi a receptis ordinibus, necnon a dignitatibus, gradibus et officiis : ita scilicet, ut ea verba in hoc membro phraseos repetita censeri debeant : jam vero repetitionem illam exequendo, Tridentinum decretum evadit tenoris hujusmodi : *Qui a suis ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus* (*ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extra-judicialiter*), *nulla, contra ipsius Prælati voluntatem, ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur.* Ibi autem expresse Episcopis tribuitur potestas extra-judicialiter suspendendi *etiam ob occultum crimen.* Porro

2° Ex hac formula *etiam ob occultum crimen* invicte sequi videtur idem posse Episcopos, quando crimen non est occultum, seu quando est publicum. Nam ubi de aliqua specie aliquid affirmatur cum particula *etiam*, affirmatio cadit, et fortius, in alias omnes species, prout sensus grammaticalis indicat, et docent communiter canonistæ. Sic verbi gratia, is cui concessa fuit facultas a casibus, *etiam* Episcopo reservatis, absolvendi, a fortiori potest a casibus non reservatis absolvere. Ergo ex eo quod Episcopo concessa fuerit a Tridentino facultas extra-judicialiter suspendendi *etiam ob occultum crimen*, merito concluditur simul concessa facultas extra-judicialiter suspendendi ob crimen *non occultum*, seu ob crimen publicum.

Et hæc quidem argumentatio, sicut illustrissimo Lucionensi Præsuli, ita et mihi peremptoria videtur. Nec dicatur suadere materiam ut benignius ea verba *etiam ob occultum crimen* interpretemur. Nam revera potuit Tridentina synodus velle potestatem, de qua agimus, Episcopis tribuere ; nec contrarium probatur. Quod autem de facto tribuerit, ex ipsius verbis rigorose sequitur. Unde horum verborum ad alienum sensum contorsio, utpote prorsus arbitraria, admitti nequit.

Hanc tamen probationem ex ipso Tridentino textu de-

ductam, non possum (quod libenter fateor) ex canonistarum vel sacrarum congregationum auctoritate confirmare; cum nullibi quæstionem excussam repererim. Sed, prout antea monui, nec mihi, multos licet auctores pervolventi, quidquam occurrit in contrarium. Cæterum cum me facile latere potuerint opportuna documenta, et me valde aliunde moveat præfata Romanorum canonistarum contraria persuasio, ut probabilis dumtaxat velim a me propugnata thesis habeatur.

Objicies 1. Decisionem Sacræ Congregationis Concilii, in causa sanctæ Agathæ Gothorum, 26 februarii 1853 : Nempe Episcopus sanctæ Agathæ Gothorum Archipresbyterum et curatum d'Ambrosium, judicio ex informata conscientia suspendit a dignitate archipresbyterali, animarum cura, et sacrorum ordinum exercitio ; idque absque ulla temporis, quo durare deberet suspensio hæc, determinatione. Delata ad Sacram Concilii Congregationem lite, suspensionem irregularem fuisse probare tentavit d'Ambrosius duabus præcipue rationibus : 1° quod facultatem ex informata conscientia suspendendi non habeat Episcopus, nisi *quando delictum est occultum;* quæ conditio deerat in delictis ipsi objectis, utpote de quibus jam fama in regione vulgata fuerat. 2° Quod suspensio ad tempus indeterminatum, qualem tulerat suus Episcopus, non sit pœna, sed censura; censuræ porro trinam requirant monitionem. Vicit autem d'Ambrosius : ad dubium enim, *an constet de validitate suspensionis in casu*, responsum est : *Negative, salvo jure Episcopo procedendi prout de jure.* Qua sententia videntur Eminentissimi Patres priorem rationem approbasse : non posse scilicet Episcopum ex informata conscientia procedere, nisi crimen sit occultum.

Respondeo. Sacra Congregatio id unum pronuntiavit *non constare de validitate* dictæ suspensionis; sed nullatenus declaravit qua de causa ita judicaverit. Unde gratis assereretur causam hujus decisionis fuisse, quod delictum non fuerit occultum.

Objicies 2. Non deesse auctores qui sustineant restringi ad

occulta crimina potestatem episcopalem ex informata conscientia suspendendi; verbi gratia, Benedictum XIV (*de Synodo diœces.*, lib. 10, capite 8).

Respondeo. Benedictus XIV, citato capite, asserit quidem Episcopis competere potestatem extra-judicialiter suspendendi *ob crimen occultum;* sed nequaquam asserit *nonnisi ob crimen occultum* posse eos ex informata conscientia procedere.

Propositio II^a^. — *Ita competit Episcopis dicta facultas extra-judicialiter clericos suspendendi, ut non teneantur suspensionis causam ipsis manifestare?* — Probatur 1° ex ipso Tridentinæ synodi textu, in quo firmum declaratur judicium Episcopi, ascensum ad ordines interdicentis, vel ab ordinibus et dignitatibus gradibusque suspendentis, *quomodolibet*, *etiam extra-judicialiter.* Si Episcopo liceat *quomodolibet* procedere, ergo etiam ipsi licebit sententiam ferre, quin reum de causa suspensionis moneat; quia ille modus agendi sub generali vocabulo *quomodolibet* certo includitur. Probatur 2° ex Sacræ Congregationis Concilii declarationibus. In causa Vercellensi 21 martii 1643, ita fuit decisum: *Sacra Congregatio respondit... Ordinarium, si suspendat aliquem vigore capitis primi sessionis* 14 (*de Ref.*), *non teneri exprimere delictum seu causam suspensionis ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, ad quam reus recursum habuerit* (in libro 17 decretorum, folio 169, a tergo). Et ita constanter respondit præfata Congregatio.

Propositio III^a^. — *A dictis sententiis ex informata conscientia non datur appellatio.* — Probatur 1° ex ipso textu Tridentinæ synodi: ibi enim de eo cui Episcopus ex informata conscientia ascensum ad ordines interdixit, ita pronuntiatur: *Nulla* (ei) *contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo suffragetur.* Ergo nec Metropolitanus, nec alius superior, potest irritare Episcopi sententiam, qua quis a susceptione ordinum interdictus fuit. At si daretur a tali sententia appellatio, posset judex *ad quem* eam irritare; ergo a talibus sententiis non datur appellatio. Item in Tridentino textu, de eo quem Episcopus ab ordinibus dignitatibusque

aut gradibus ex informata conscientia suspendit, ita pronuntiatur : *Nulla* (ei) *ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur*. Quæ verba impediunt ne Metropolitanus, Primasve, aut Patriarcha possit causam suspensionis, ab Episcopo latæ, in secunda instantia cognoscere, et suspensionem levare. Quod idem est ac pronuntiare, non dari a dictis suspensionibus appellationem. Dum autem dicitur *Nulla licentia concessa... nulla restitutio suffragetur*, id intelligendum est de cæteris superioribus præter Papam ; nam Summus Pontifex non potuit sub hac prohibitione a synodo comprehendi ; unde extra dubium est, patere semper ad Papam recursum, et posse quaslibet Prælatorum ex informata conscientia sententias a Sede Apostolica discuti, et (si forte minus rectæ forent) annullari. Non tamen omnino accurate diceretur a dictis sententiis dari ad Papam *appellationem ;* quia *appellatio* proprie vocatur provocatio ad superiorem judicem a sententia *judicialiter* lata : hic vero agitur de sententiis *extra-judicialiter* latis ; unde dari recursum ad Papam, non vero appellationem dicendum est.

Probatur 2° ex decisionibus Sacræ Congregationis Concilii, jam superiori capite adductis. In causa nempe Bononiensi, 14 novembris 1654, postulatum fuerat, an liceret Episcopo suspendere extra-judicialiter clericos et presbyteros sæculares, etiam parochos, *sublata eis facultate appellandi ;* et responsum est *affirmative*. Item in superiori capite citavimus quemdam locum manuscripti authentici, quod inscribitur *Libri positionum*, ubi de suspensione extra-judiciali ab exercitio curæ sic refertur fuisse decisum : *Sacra Congregatio Concilii censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem*. Et ibidem paulo ante attulimus ex manuscripto, cui titulus *Libri litterarum visitationis*, sequentem declarationem, quæ respicit interdictionem ab ascensu ad ordines, ex informata conscientia ab Episcopo latam : *Congregatio non semel declaravit, ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam*. In libro 22 *Memorialium*, pagina 24, habetur de-

cisio Sacræ Congregationis Concilii, sub die 22 junii 1582, tenoris hujusmodi : « Censuit, decreto sessionis 14, capitis 1, correctum « esse caput 4 *Ex tenore* (*de Foro competenti*), et caput 5 *Ad aures* « (eodem titulo), et ampliatum ; ita ut comprehendat quoque « clericos sæculares (etiam dignitates vel beneficia, quibus annexus sit ordo, obtinentes), tam quoad facultatem prohibendi « ascensum ad ordines, quam etiam suspendendi ; *ipsisque facultatem appellandi ademptam esse.* » (Vide hanc decisionem relatam apud Giraldi, *Expositio juris Pontificii,* part. 2, sect. 43.)

Benedictus XIV, constitutione *Ad militantis*, 1 aprilis 1742, varios recensens casus in quibus non datur appellatio, sententias *ex informata conscientia* iis casibus annumerat, his verbis : *Item a denegatione sacrorum ordinum, vel ascensus ad alios majores ; prout etiam adversus suspensionem ab ordinibus jam susceptis, ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, juxta dispositionem Sacri Concilii, sessione* 14, *de Reformatione, capite* 1.

Unde omnino certa est thesis quam propugnamus, non dari scilicet appellationem a sententiis episcopalibus, ex informata conscientia latis, quibus vel interdicitur ascensus ad sacros ordines, vel aliquis clericus ab ordinibus, dignitatibus, gradibus, honoribusve suspenditur.

Propositio IV^a^. — *Valent dictæ suspensiones ex informata conscientia, sive Episcopus suspendat ad tempus indeterminatum, sive determinate ad tale tempus, sive expresse in perpetuum.* — Probatur 1° ex Tridentino textu, in quo positum est vocabulum *Quomodolibet*, idest, quocumque modo suspensionem pronuntiet : ergo etiam quando suspendit præfatis modis.

Probatur 2° ex Sacræ Congregationis Concilii decisionibus. In libro 7 decretorum, folio 89 a tergo, sic meis ipse oculis legi : *Congregatio Concilii censuit, caput primum sessionis* 14 (*de Reformatione*) *habere locum in suspensionibus et prohibitionibus tam temporariis quam perpetuis ; et temporalem prohibitionem et suspensionem dici eam, ubi ex delicto occulto extra-judicialiter procedit Episcopus, ad suum beneplacitum prohibendo vel suspendendo.*

Quæstio autem illa, num Tridentinus textus intelligendus foret etiam de suspensionibus *in perpetuum*, quanta fuerit maturitate excussa, tum a dictæ congregationis Cardinalibus, tum ab ipso etiam Romano Pontifice, constat ex alio archivii romani authentico manuscripto ; ex libro nempe 22 *Memorialium*, pagina 24; ubi sub die 22 junii 1582, sic legitur : « Congre- « gatio... (1) censuit, decreto Concilii, sessionis 14, capitis 1, « correctum esse caput 4 *Ex tenore* (*de Foro competenti*) et « caput 5 *Ad aures* (eodem titulo), et ampliatum ; ita ut com- « prehendat quoque clericos sæculares (etiam dignitates vel « beneficia, quibus annexus sit ordo, obtinentes), tam quoad « facultatem prohibendi ascensum ad ordines, quam etiam « suspendendi, ipsisque facultatem appellandi ademptam « esse. »

« Fuit etiam dictum, arctatum ad ordines suscipiendos, si « sic prohibitus fuit, non incidere in pœnas capitis 14 *Licet* « *canon* (*de Elect.*, in 6), juxta caput 35 *Commissa* (eodem « titulo).

« Fuit pariter dictum, quod si adimitur potestas appellandi, « non denegatur recursus. (Capite 5 *Tum ex litteris*, *de In in-* « *tegrum restitutione.*)

« Tamen quia Episcopi hujusmodi potestate abuti possunt, « Illustrissimi Domini dixerunt, referendum Sanctissimo, si « moderamen aliquod hac de re adhiberi posset, quo juri et « periculo occurreretur. Die 27 januarii 1583, facta relatione « Congregationis Concilii ad Sanctissimum, coram Illustrissimo « Columna, Sua Sanctitas respondit, videndum, num prohi- « bitio Concilii et suspensio sit perpetua vel temporaria : « quod si temporaria non laxandum decretum ; audiendas ta- « men rationes Illustrissimi Senonensis, asserentis non com- « prehendi arctatos : sin autem prohibitio et suspensio Con- « cilii perpetua intelligatur, adhuc studendum, et maturius « rem esse perpendendam.

(1) Ubi posuimus puncta, enumerantur Cardinales ad deliberandum adunati.

« Die 14 julii 1583, Congregatio Concilii... censuit habere « locum tam in suspensionibus et prohibitionibus temporariis, « quam perpetuis. Temporalis enim (1) prohibitio et suspensio « dicetur, ubi ex delicto occulto extra-judicialiter procedit « Episcopus, ad suum beneplacitum prohibendo vel suspen- « dendo, quæ demum tempus suæ administrationis non exce- « dunt. » (Apud Giraldi, *Expositio juris Pontif.*, parte 2, sectione 43.)

Ex hac valde notanda deliberatione hæc colligenda veniunt :

Primo, censuit revera Sacra Congregatio, a Tridentino textu Episcopis conferri potestatem suspensiones *etiam perpetuas* ex informata conscientia decernendi. *Secundo*, censuit pro temporaria habendam esse suspensionem, quam Episcopus pronuntiat indeterminate seu ad beneplacitum suum, utpote quæ saltem cum ipsa Episcopi administratione expiret.

Tertio, timuit ne nimia foret potestas hæc, a Tridentina synodo Episcopis collata, ex informata conscientia procedendi. Et deliberatum est num aliquatenus restringi deberet. De facto tamen tunc restricta non fuit, etiam quoad *prohibitiones et suspensiones perpetuas*, in quo potestas hæc Episcoporum videbatur magis exorbitare et abusibus januam pandere. Sed neque postea ullum intervenisse ejusmodi restrictionis decretum probatur.

Ergo etiamnum Episcopis competit potestas suspensiones pronuntiandi, non tantum ad beneplacitum seu absque temporis determinatione, sed etiam *perpetuas*.

Objicies : Etsi olim Sacra Congregatio Concilii præfato modo declaraverit; jamdudum tamen in oppositam sententiam abiit; prout in causa Lucionensi (8 aprilis 1848), expositionis paragrapho penultimo, annotatur his verbis : « Sacra autem « Congregatio, etsi olim censuerit caput primum concilii Tri- « dentini sessionis 14 (*de Reformatione*), *habere locum in prohi-*

(1) Loco *enim* videtur legendum *autem*.

« *bitionibus et suspensionibus tam temporaneis quam perpe-*
« *tuis;* recentiori tamen ævo ab illa sententia recedere consuevit,
« aliamque constanter secuta est, qua id velle videtur, ut hu-
« jusmodi suspensiones (præsertim perpetuæ, seu indefinitæ, quæ
« idem valent ac perpetuæ, et sunt meræ privationes), haud un-
« quam in posterum ferendæ sint, nisi præmissis monitionibus
« aliisque solemnitatibus, ad præscriptum ejusdem synodi Tri-
« dentinæ sessionis 21, capitis 6, latas fuisse repererit. » Ad quod probandum, citantur ibidem duæ aliæ causæ, a Sacra Congregatione Concilii judicatæ.

Respondeo 1°. Gravissima res est, quod Sacra Congregatio Concilii sententiam suam, quæ in constantem praxim, atque adeo in jus commune transierat, corrigendam existimet, et ad oppositam declinet. Admittendum ergo non erit factum hujusmodi, nisi rigorose probetur. Porro non probatur : nam quod id assertum reperiatur in citata causæ Lucionensis relatione, vim probationis non habet; quia in ejusmodi causarum relationibus solet Sacræ Congregationis secretarius rationes et assertiones hinc inde a partibus deductas, sive bonæ et veræ sint, sive non, exponere; et (prout supra monuimus) auctoritatem habet dumtaxat Eminentissimorum Patrum ad proposita dubia responsio.

Pariter duæ aliæ causæ, ad quas remittitur, intentum non probant. Nam in priori (Sancti Severini, 4 aprilis 1778, in *Thesauro*, tomo 47, pag. 84, 198 et 211), reperitur quidem rescissa extra-judicialis sententia Episcopi, qua parochum quemdam indeterminate, seu absque ulla temporis præfixione, ab exercitio curæ amoverat; sed non dicunt Eminentissimi Patres, ideo annullari hanc sententiam, quod amotio illa non fuerit *ad tempus determinatum* ab Episcopo decreta, sed indeterminate seu ad beneplacitum; et potuerunt ob alias causas dictam sententiam rescindere. Atque idem omnino dicendum venit de altera causa (Placentina, 26 februarii 1848), similiter in probationem adducta.

Respondeo 2°. Ex præfata causa Lucionensi probatur e contra

nostra thesis, quoad eam partem, qua Episcopis vindicamus extra-judicialium suspensionum facultatem *ad beneplacitum* seu *absque temporis præfixione*. Nam Lucionensis Antistes hoc modo parochum, de quo in causa agitur, suspenderat; et nihilominus ipsius sententiam Sacra Congregatio Concilii firmam declaravit (1).

Propositio V^a^. — *Certum non est, posse Episcopum ex informata conscientia suspendere a beneficio, et privare beneficii fructibus* — remissive ad caput sequens.

Propositio VI^a^. — *Potestas Episcopi ascensum ad sacros ordines ex informata conscientia interdicendi, intelligenda etiam est de ordine superiori, relative ad eum qui ordinem inferiorem jam recepit; verbi gratia, de diaconatu et presbyteratu relative ad subdiaconum, et de presbyteratu relative ad diaconum.* — Id fuse probat Fagnanus (in caput *Ex tenore, de Temp. ordin.*, n. 13), his, inter alias, innixus rationibus : 1° concilium Tridentinum (cap. 1, sess. 14, *de Ref.*) Episcopis facultatem tribuens interdicendi ex informata conscientia ascensum ad sacros ordines, utitur formula quæ, ex sensu obvio et grammaticali, omnes ordines sacros comprehendit : dicit enim, *ei cui ascensus ad sacros ordines a suo Prælato... etiam extra-judicialiter fuerit interdictus...* « et cum verba sint satis clara (ait ci-« tatus auctor), non admittunt interpretationem neque voluntatis conjecturam. » 2° Potest Episcopus ab ordinis jam suscepti exercitio clericum ex informata conscientia suspendere, ut supra probatum est; « ergo multo magis (sunt verba Fagnani) poterit « interdicere eidem promoto, ne ad alios ordines sacros ascendat; quia facilius impeditur promovendus, quam dejicitur « promotus. »

Propositio VII^a^. — *In ferendis sententiis ex informata conscientia, licitum est Episcopo omittere etiam formalitates in*

(1) Nolim tamen, quoad suspensiones *in perpetuum*, lectorem fidere conclusioni meæ, posse scilicet eas ex informata conscientia pronuntiari. Nam contrarium tanquam certum Romæ a juris sacri peritis haberi, mihi dixerunt eorum nonnulli. Ut adeo suspicer, me veritatem in hac re, ex ignoratis documentis, non fuisse satis assecutum.

summario judicio necessarias. — Nam ex modo probatis, non tenetur Episcopus, dum vigore capitis primi sessionis 14 Tridentinæ synodi procedit, reo quem suspendit causam suspensionis manifestare; ergo a fortiori non tenetur litis contestationem admittere, nec reo sese defendendi copiam facere, nec ipsum citare; quæ omnia in judicio etiam summario requiri supra fuit probatum. Ergo clericus ex informata conscientia ab Episcopo suo suspensus, inaniter objiceret, se nec monitum, nec auditum fuisse; vel omissas fuisse cujuslibet judicii, etiam summarii, substantiales et a jure requisitas formalitates. Sed in casu injustæ suspensionis, unica ei patet ad repellendam injuriam via, recursus nempe ad Sedem Apostolicam. Neque clamitet exorbitare a jure naturali tantam Prælatorum in subditos potestatem, eamque utpote tyrannicam, pro noxia et mala esse habendam; quia tunc damnatione in bulla *Auctorem fidei* contra Pistoriense conciliabulum lata certo involvetur. Et cæteroquin, si bene perpendat indicatum recursus ad Papam remedium, perspiciet eo sufficienter sanari quæcumque in dicta Episcoporum potestate juri naturali contraria videri possent. Cum enim, facto recursu, teneatur Episcopus Summo Pontifici, seu Cardinalium Congregationi ad hoc a Papa deputatæ, rationes suspensionis deducere, coram hoc tribunali recurrunt omnia, quæ ad legitimum judicium necessaria ex jure naturali probari possunt.

Propositio VIII[a]. — *In sententiis ex informata conscientia, potest Episcopus, si velit, formalitates ordinarii vel summarii judicii ex toto vel ex parte adhibere, modo in ferenda sententia exprimat, se agere vigore capitis 1 sessionis 14 Tridentini concilii.* — Nam concilium Tridentinum, sicut Episcopum non adstringit ad judiciales formalitates, ita nec eas inhibet; sed dicit firmam fore sententiam, *quomodolibet eam tulerit, etiam extra-judicialiter;* quæ voces supponunt posse etiam aliquas vel omnes judicii formas adhiberi. Et de sententiis *quomodolibet* prolatis, ac consequenter de sententiis etiam post formas judiciales pronuntiatis, decernitur eas non fore appellationi

obnoxias. Addidimus autem *modo Episcopus exprimat se agere vigore dicti decreti Tridentini;* quia alioquin, si formas judiciales adhibeat, censebitur voluisse via ordinaria procedere, unde ipsius judicium appellationi obnoxium erit, cæterisque juris effectibus, qui ordinaria judicia respiciunt. Si ergo intendat Episcopus, alicui ascensum ad sacros ordines interdicens, vel a susceptis ordinibus eum suspendens, ne sua sententia possit ad tribunal Metropolitani, aliorumve superiorum, per viam appellationis deferri, atque ab iis irritari, vel judiciales formalitates omittat omnino, vel expresse declaret se vigore dicti decreti sententiare.

Exposita autem hujusmodi episcopalis potestatis *extensione* ad præcipuos casus qui difficultatem facere possent, remanet ut de ejusdem potestatis *limitibus* inquiramus.

CAPUT IV.

POTESTATIS, QUAM HABENT EPISCOPI EX INFORMATA CONSCIENTIA PROCEDENDI, LIMITES EXPENDUNTUR.

Sedulo quidem vitandus est eorum error, qui præfatam Episcoporum potestatem, aut omnino rejectam voluere, aut indebite restrictam; at non minori cura declinandum ab errore contrario, quo scilicet eadem potestas nimium extenderetur, sicque ad attentandos actus irritos atque iniquos temere impelleretur. Quamquam autem ardua res est, veros limites, qui excedi non debeant, præfigere, pro modulo tamen nostro id præstare tentabimus; superioribus interea corrigendum relinquentes, si quid minus recte dictum exciderit.

Limitatio I^a^. — *Dicta potestas tota concluditur in his duobus: interdicere ascensum ad sacros ordines; et suspendere ab iisdem ordinibus, necnon a dignitatibus, officiis, gradibus et honoribus ecclesiasticis.* — Probatur ex ipso Tridentino textu. In eo enim, præter duo assignata, nihil reperitur Episcopis concessum.

Et cum dispositio illa Tridentina juri communi antea vigenti deroget (ut supra probavimus, et docent communiter canonistæ, cum Fagnano, in cap. *Ad aures*, et caput *Ex tenore*, *de Temp. ordin.*), stricte est interpretanda. Aliunde, si adeantur Sacræ Congregationis Concilii declarationes, vel doctorum hac de re tractationes, nihil pariter occurret, quo vel minimum innuatur, extendi memoratam potestatem ad alios actus, præter modo dictam interdictionem et suspensionem.

Hinc vehementer erraret Episcopus, qui licitum sibi existimaret, ex informata conscientia, seu vigore memorati decreti Tridentini, quemquam excommunicare; vel interdicto aliquam communitatem aut terram percellere; vel pecuniariam pœnam alicui clerico infligere; vel eum, tanquam criminis reum, ad commorandum aliquanto tempore in aliqua religiosa domo et ad vacandum spiritualibus exercitiis adigere; vel tandem quidquam aliud facere, præter hæc duo : *interdicere ab ascensu ad ordines*, *et suspendere ab ordinibus*, *officiis*, *dignitatibus*, *gradibus et honoribus ecclesiasticis*. In cæteris enim dictum Tridentinum decretum nihil immutavit; et in eis sese gerere debet Episcopus prout de jure, perinde ac si non extaret præfata Tridentina dispositio.

Non tamen inficias imus, posse Episcopum per viam informatæ conscientiæ eos effectus producere, qui ex dicta interdictione et suspensione indivulse consequuntur. Sic, verbi gratia, ex eo quod possit extra-judicialiter presbyterum a divinis suspendere, potest hoc ipso eum honorariis missarum privare; quia ille effectus suspensionem necessario consequitur: item ex eo quod vi decreti Tridentini possit parochum suspendere a divinis, necnon a gradibus et honoribus ecclesiasticis, potest hoc ipso eum ab exercitio curæ removere, quia cum ejusmodi suspensione incompatibilis est animarum cura : et sic de aliis effectibus. Sed cum ii effectus sint necessaria consectaria dictæ interdictionis aut suspensionis, merito dicitur totam Episcoporum ex informata conscientia procedendi potestatem, ad hos duos actus restringi : interdicere

ascensum ad ordines, et suspendere ab ordinibus, dignitatibus, gradibus et honoribus ecclesiasticis.

Limitatio IIª. — *Episcopi prædictam suspendendi potestatem non habent, nisi procedant in clericos* tanquam delinquentes. — Intelligimus potestatem qualis Episcopo tribuitur per caput primum sessionis 14 Tridentinæ synodi ; ita ut nempe a memorata suspensione extra-judiciali *nulla detur appellatio.* Sciendum porro est Episcopis competere potestatem clericos ab exercitio ordinum suspendendi, ex alia quam delicti causa ; ex eo nempe quod minus idonei et litterati a suo Prælato reperiantur. Id expresse decernitur dictæ Tridentinæ synodi sessione 14, cap. 3, *de Reformatione.* Hinc oritur dubium, an Episcopusclericum a sacrorum ordinum exercitio, ob causam incapacitatis, ex informata conscientia suspendere possit, ita ut suspenso nulla relinquatur appellandi facultas. Et respondendum est negative, quia ita declaravit Sacra Congregatio Concilii, prout refert Giraldi (*Summa Constitutionum apost.*, parte 2, sectione 43) in hunc modum : « Nota, ex ejusdem « Congregationis declaratione (in Calaguritana, 10 maii 1625) « quod, si Episcopus in vim capitis 3 sessionis 14 ejusdem « concilii, contra clericos processerit tanquam illitteratos, a de- « creto suspensionis hujusmodi dari appellationem ad effectum « devolutivum tantum, non autem suspensivum. Cæterum si « processerit contra eos tanquam delinquentes, facultate sibi « tributa a capite 1 ejusdem sessionis, a suspensione lata ab eo « dari nullam appellationem. »

Limitatio IIIª. — *Extra casum occulti criminis* (1), *videtur Episcopum ex informata conscientia illicite procedere, quando*

(1) Dicimus *extra casum occulti criminis :* nam quando crimen est occultum, id est, neque fama vulgatum, neque per aliquem accusatorem (qui onus illud probandi sibi assumat) ad episcopalem curiam delatum, nequit Episcopus contra reum judicialiter procedere ; imo neque illum ad comparendum citare ; prout supra, de processu criminali ordinario agendo, fuse probavimus. Remanet ergo ut, vel nullo modo contra occulta ejusmodi delicta procedat, vel ut procedat extra-judicialiter, ad formam capitis 1 sessionis 4 Tridentinæ synodi. Unde quoties

sufficiens motivum non habet a forma ordinaria recedendi. — Probatur 1° ex mente Tridentini concilii, quam patefaciunt collata invicem nonnulla ipsius decreta. Nam verum quidem est in capite 1 sessionis 14 a Tridentinis Patribus conferri Episcopo facultatem clericos ex informata conscientia suspendendi, et superiori capite facultatem hanc ad casum *publici* etiam criminis extendi probavimus. At simul verum est voluisse eosdem Patres, tanquam jus ordinarium et commune permanere legem Innocentii III, judiciorum ecclesiasticorum formas præscribentem. Capite enim 5 sessionis 24, hanc dicti Pontificis decretalem innovant et ab omnibus observari mandant : *Constitutio, sub Innocentio III in concilio generali, quæ incipit* Qualiter et quando, *quam sancta synodus in præsenti innovat, ab omnibus observetur.* Porro a dicto capite *Qualiter et quando* (*de Accus.*) sententiæ ex informata conscientia prorsus excluduntur, et formæ ordinariæ in judiciis adhibendæ præscribuntur. Cum ergo hæc duo Tridentina decreta inter se pugnent, ad concordiam reducenda sunt. Facile autem cohærere reperientur, si dicatur, voluisse Tridentinos Patres, ut jus decretalis Innocentianæ tanquam *regula generalis* firmum remaneret; jus vero ab ipsis inductum suspensionum ex informata conscientia, tanquam *exceptio.* Et hoc, ut puto, omnes libenter concedent. Jam vero quo sensu *exceptionem hanc* voluisse Tridentini Patres censendi sunt ? An eo sensu quod exceptio latius quam ipsa regula pateret, et sic jus commune, quatenus tale, per exceptionem subverteretur? Id si intendissent, dictam Innocentii decretalem non expresse innovassent, nec generaliter ab omnibus servari mandassent. Ergo ita exceptionem hanc intellexerunt et induxerunt, ut semper *exceptionales* remanerent, quoad publica crimina, sententiæ ex infor-

delictum est *occultum,* et expedit illud coerceri, hoc ipso adest motivum sufficiens adhibendæ extra-judicialis formæ. Quod ergo in præsenti conclusione dicimus de motivi sufficientis necessitate, ut deseri possit ordinarii judicii forma, totum exclusive refertur ad casum *publici* criminis ; ad quem etiam casum extendi episcopalem extra-judicialiter suspendendi potestatem, superiori copite tanquam probabile sustinuimus.

mata conscientia, et nunquam in *ordinariam* justitiæ reddendæ formam transirent. At vero, si Episcopi pro libitu et absque ullo motivo, possint per viam informatæ conscientiæ in clericos procedere, non tantum in casu occulti, sed in casu etiam vulgati per famam publicam criminis, hanc viam, utpote faciliorem, minusque sibi incommodam, ordinarie eligent ; et sic judiciorum ecclesiasticorum pars maxima exceptionali hac via expedientur. Dicendum ergo, concessam quidem Episcopo fuisse a Tridentinis Patribus ex informata conscientia procedendi facultatem, etiam in casu publici criminis; sed tanquam remedium *extraordinarium ;* id est, in iis dumtaxat casibus adhibendum, qui ex speciali causa tale remedium requirunt, et in quibus non posset, absque notabili boni publici damno, via ordinaria procedi.

Probatur 2° ex natura ejusmodi potestatis episcopalis per viam informatæ conscientiæ procedendi. Nam hic procedendi modus, in se consideratus, non tantum a paterna bonitate recedit quam maxime, sed etiam maximam involvit, quæ a judice, citra injustitiam, adhiberi possit severitatem. In tali quippe judicio damnari legitime potest inauditus, absque ulla litis contestatione, sublata omni defensionis facultate ; immo quin clerico sic damnato declaretur qua de causa pœna suspensionis (nonnunquam ipsa morte durior) ipsi imponatur. Et certe a tanto rigore longe absunt ipsa etiam tribunalia militaria, quæ extraordinarie, ob perturbationis civilis metum, suspensa interim dicasteriorum ordinariorum jurisdictione, quandoque ex necessitate eriguntur, indicta prius regionibus, quæ huic extraordinariæ jurisdictioni subjiciuntur, ea conditione, quam Galli vocant *état de siége.* In iis enim tribunalibus, etsi causæ criminales citius expediantur, servantur tamen substantiales judiciorum formalitates : proponitur reo crimen de quo convenitur : datur ei defensionis facultas : patroni auxilio munitur : communicantur ei testium depositiones et nomina, ut contra eos excipere possit : et tandem accessoria tantum judicialis formæ omittuntur. Quæ omnia nequaquam

requiruntur in ferendis contra clericos ex informata conscientia sententiis.

Jam vero quod Episcopi, absque ulla necessitate aut causa rationabili, subditos suos judicent cum rigore, quo major in judiciis excogitari non potest, est quid per se publico ecclesiæ bono summe noxium, evangelicis monitis contrarium, perpetuisque sacrorum canonum et sanctorum Patrum monitis adversum. Atque imprimis hoc ipsum aperte repellit Tridentina synodus, dum sessionis 13 capite primo, Episcopos admonet, ut se pastores esse meminerint; ut proinde antequam justitiæ gladium exerant, cætera exhauriant charitatis et paternæ sollicitudinis ad corrigendos delinquentes media; et tandem *si virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas* adhibeatur. Ubi quæso est mansuetudo et lenitas, quando Episcopus, *absque ulla necessitate aut rationabili causa,* ut supponitur, reo denegat sese defendendi facultatem, eumque suspensione percellit, ne indicata quidem condemnationis causa?

Hinc merito Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, lib. 12, cap. 8, n. 6) advertit, reprehensibilem fore Episcopum, qui in synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia, pœna suspensionis animadversurum in clericos ; eo quod nempe talis declaratio redoleret tyrannidem. Sed si tyrannicum sit hoc declarare, tyrannicum utique erit illud idem facere.

Videtur ergo concludendum Episcopis concessam fuisse ex informata conscientia procedendi potestatem, tanquam *remedium extraordinarium;* ad quod proinde recurrere non debeant, in casu publici criminis, nisi justa exigente, pro ratione circumstantiarum, causa.

Hinc ulterius concludendum videtur, posse a Sacra Congregatione Concilii rescindi episcopalem sententiam, ex eo solo capite, quod Episcopus, sine sufficienti motivo, a forma judiciorum ordinaria recesserit. Fateor tamen nullam mihi occurrisse dictæ congregationis decisionem in qua exprimeretur, ideo non sustineri sententiam Episcopi, quod absque motivo

sufficienti extra-judicialiter processisset. Cæterum in casu etiam quo Episcopus absque sufficienti motivo ex informata conscientia processerit, reus poterit tantum ad Papam recurrere ; et valebit sententia episcopalis, nisi a Sacra Congregatione Concilii rescindatur. Ast in suo recursu, idem reus utiliter pro sua defensione defectum illum motivi sufficientis exponet et probabit. Ac consequenter ipse Episcopus, dum informationem ad Eminentissimos Patres requisitus transmittit, præter cætera ad ostendendam sententiæ suæ justitiam idonea, utiliter etiam subjunget motivum, ex quo ad procedendum extra-judicialiter inductus fuit, ita scilicet ut illius motivi gravitatem Sacra Congregatio possit perspicere.

Expendendum remaneret, quodnam motivum pro sufficienti haberi possit aut debeat, ad id ut Episcopo fas sit extra-judicialiter procedere. Sed de hoc nequit tradi generalis regula, et est prudentum æstimationi relinquendum.

Limitatio IV^a^. — *Non sufficiunt probationes quæ soli Episcopo crimen probare valeant ; sed requiruntur eæ quæ aptæ sint ad probandum crimen apud Sacram Congregationem Concilii.* — Gravissimam hic quæstionem attingimus ; quæ ut facilius enodetur, sedulo distinguenda est duplex probationum classis. Sunt nempe probationes quæ plenam certitudinem de crimine judici suppeditant, quin tamen valeant ad probandum idem crimen apud cæteros homines cæterosve judices : et sunt probationes quæ de se aptæ sunt ad probandum crimen, non tantum uni judici, sed coram omnibus tribunalibus. Exemplo rem illustremus. Supponamus agi de pronuntianda extra-judicialiter suspensione contra Titium presbyterum, ob quoddam ipsius delictum. Fieri potest ut Episcopus certus sit de hoc Titii delicto, ex eo quod ipse propriis oculis testis fuerit ; item ex eo quod extra-judicialiter et in privato colloquio delictum illud Titius ipsi confessus fuerit. In his porro et similibus casibus, eas de delicto probationes habet Episcopus, quæ nullum ipsi dubium relinquunt. Eædem tamen probationes, si ad aliud tribunal causa transiret, sufficientes non forent ; quia testi-

monium unius, quantumvis fide digni, ad plene probandum juridice crimen non sufficit. E contra si duo testes omni exceptione majores deponant se Titium vidisse tale crimen patrantem, probatio hæc, non tantum proprio Titii Prælato sufficiens merito videbitur ad damnandum Titium, sed et apud cæteros judices eamdem vim habebit. Quæ distinctio brevius sic enuntiari potest : *probationes, scientiæ seu convictionis privatæ ingerendæ vim habèntes, et probationes vim habentes producendæ scientiæ seu convictionis publicæ.* Quæritur ergo, utrum Episcopus, ob probationes vim scientiæ *privatæ* dumtaxat habentes, possit clericum ex informata conscientia suspendere? Respondemus negative : quæ conclusio sic firmari potest :

Arguitur 1°. — *Ex eo quod nunquam judici liceat scientia privata uti ad condemnandum reum.* — Nam 1° Si agatur de judiciis ordinariis, id constat tum ex unanimi doctorum sententia, tum ex ipso jure naturali. Doctores scilicet, dum eam quæstionem expendunt, an judex pronuntiare teneatur juxta allegata in processu, an vero possit etiam sese ex privata sua scientia dirigere, distinguunt inter sententiam absolutoriam et sententiam condemnatoriam. Si agatur de absolvendo reo, in triplicem opinionem scinduntur : posito nempe quod probationes in judicio deductæ sufficientes sint juxta jura ut reus condemnari debeat, et tamen judex ex privata sua scientia certo sciat ipsum insontem esse ; alii dicunt non licere judici ob privatam illam scientiam reum absolvere; alii e contra sustinent teneri judicem ad reum absolvendum ; et alii tandem inter crimina distinguentes, quoad quædam majoribus pœnis obnoxia contendunt posse et debere judicem ex privata sua scientia sese dirigere et reum absolvere, secus autem quoad alia : de quo vide quæ diximus supra (parte 1, sectione 5, capite 1, § 4, n. 5). At vero quando inversum casum doctores expendunt, utrum nempe judici liceat condemnare reum, quem ex privata sua scientia certo scit delictum patrasse, sed contra quem nulla sufficiens probatio in judicio adducta est; omnes uno concentu exclamant non licere. Et merito quidem ;

cum id ex ipsis juris naturalis principiis invicte sequatur. Nam si, deficiente juridica patrati a reo delicti probatione, judici liceat ipsum condemnare, suam propriam convictionem et scientiam allegando, nullibi in mundo innocentia in tuto erit. Poterit enim quilibet iniquus judex, quemlibet opprimere, sub hoc facili prætextu, quod, licet deficiant aliæ probationes, ipse tamen reum sontem esse sciat. Nec dicatur præcavendam quidem fuisse hanc justitiæ subversionem in tribunalibus sæcularibus, in ecclesiasticis vero non adeo esse metuendam: nam et ipsi ecclesiastici judices, utpote fallibiles, possunt in transversum agi; præsertim, cum, ut jam adnotavimus, non ipsi per seipsos Episcopi, sed eorum vicarii, criminales causas expedire soleant. Quod si justæ semper supponi debeant sententiæ ecclesiasticæ, cur, quæso, voluit Ecclesia patere appellationes atque recursus? Quis præterea non videt, cum hac ipsa privata convictione seu scientia, quæ a mente Episcopi omnem expellit dubitationem, posse eum decipi, et sontem reputare eum qui revera innocens est? Frustra item objiceretur multa et certa clericorum delicta impunita remansura, nisi possit Episcopus, deficientibus etiam juridicis probationibus, ea coercere: respondemus enim, id a bono communi exigi, ut nonnulla potius errata impunita remaneant, quam ut tota judiciorum integritas periclitetur.

2° Idem porro concludendum quoad extra-judiciales, seu ex informata conscientia, sententias. Nam tunc quidem non tenetur judex sese dirigere ex probationibus in processu de facto deductis, siquidem nullæ deducuntur, dum proceditur extra-judicialiter: sed probationes, suspensionem determinantes, eæ esse debent quæ, si in judicio deducerentur, vim juridice probandi haberent; et nequaquam potest Episcopus suspensionis pœnam pronuntiare ob eas rationes, quæ quoad ipsum dumtaxat probant, in aliis autem tribunalibus, si proponerentur, non probarent. Quod pariter ex jure naturali facile concluditur: nam secus posset quilibet iniquus judex, extra-judicialiter procedendo, quoslibet innocentes opprimere; cum semper

ipsi præsto esset prætextus se de patrato delicto privatam scientiam et convictionem habere. Et sicut ex malitia, ita ex errore judicis ejusmodi injustitiæ accidere possent, quin ullo tutamine innocentia protegeretur : nam tribunal ad quod reus recurreret, non posset veritatem discernere; cum (ex hypothesi) rationes ob quas lata fuit suspensio, aptæ non sint ad convincendum judicem *ad quem*, sed probent dumtaxat quoad judicem qui sententiam tulit : et nihilominus (ut supponitur) deberet judex ad quem recurritur, sententiam pro justa habere et eam sustinere. Ergo sicut in judiciis ordinariis, ita et in sententiis extra-judicialiter prolatis, juri naturali repugnat ut judex possit reum condemnare, ob rationes quæ quoad ipsum dumtaxat probant, et quæ apud Sedem Apostolicam (ad quam patet recursus) nihil probarent.

Arguitur 2°. — *Ex eo quod a suspensionibus extra-judicialiter prolatis, certum sit dari ad Papam recursum.* — Eccur enim datur recursus, nisi ut pontificium tribunal expendat justane an injusta sit sententia, et eam, pro reperta justitia aut injustitia, firmet vel rescindat? Sed quomodo Eminentissimi Sacræ Congregationis Patres, episcopalis sententiæ justitiam discernere poterunt, si probationes ab Episcopo transmissæ, nullatenus (ut supponitur) quoad ipsos vim probandi habeant?

Hinc in curiis episcopalibus, antequam ad suspensionem ex informata conscientia deveniatur, prudentiæ erit sedulo expendere, non tantum an certum sit deliquisse clericum, de quo suspendendo agitur, sed imprimis an adsint testimonia vel alia documenta, quæ *de se apta sint* ad constituendam, apud Sacram Congregationem Concilii, sufficientem delicti probationem. Alioquin suspensio omittenda erit, quia, facto recursu, in Sacra Congregatione Concilii non sustineretur.

Objicies. Supponit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, lib. 12, c. 8, n. 6) posse ab Episcopo suspendi ex informata conscientia clericos, *quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari.* — Respondeo : primo quidem intuitu videri posset clarissimum Pontificem in hac sententia fuisse; at

si verba ipsius attente perpendantur, patebit verus sensus : « Quamquam hæc verissima sint, inquit, attamen reprehensi- « bilis foret Episcopus, si in sua synodo declararet, se deinceps « ex privata tantum scientia, pœna suspensionis a divinis « animadversurum in clericos, quos graviter deliquisse com- « pererit, *quamvis eorum delictum non possit in foro externo* « *concludenter probari*, aut illud non expediat in aliorum no- « titiam deducere : ejusmodi siquidem constitutio quamdam « redoleret ambitionem... » Porro duplici sensu fieri potest ut delictum nequeat *concludenter in foro externo* probari : 1° quia aliqui testes, ad plenam probationem necessarii, in publico judicio comparere et deponere recusant ; 2° quia probationes, etiamsi ad forum externum deducerentur, plenam probationem non efficerent. In priori ergo sensu interpretari possunt ea verba, *quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari :* quamvis scilicet eorum delictum non possit in foro externo concludentur probari, *ob externa obstacula, quæ impediunt ne probationes in eo foro deducantur ;* non autem eo quod rationes *de se* insufficientes sint ad concludenter probandum in foro externo, si possent in eo foro deduci.

Limitatio V^a^. — *Nequit Episcopus ordinationem absque justa causa recusare ; et a recusatione patet semper ad Papam recursus.* — Hic expendenda venit quæstio, an Episcopus possit ordinationem recusare ei, qui ordinari postulat, quando in eo nec defectus, nec delictum reperitur, quæ sint causa legitima eumdem a sacris ordinibus arcendi. Ad cujus difficultatis solutionem, exponemus 1° nonnullorum opinionem conclusioni nostræ ex parte contrariam ; 2° conclusionem ipsam veram et admittendam ostendemus.

I. *Exponitur contraria nonnullorum opinio.* — Aliqui scilicet tanquam principium ponunt, ordinationem ad gratiosam jurisdictionem pertinere ; postea vero gratiosam jurisdictionem dicunt in iis versari, quæ pro libitu Episcopus concedere vel recusare potest ; ita ut, si gratiam recuset, nullam injuriam faciat ei, qui repulsam patitur : unde inferunt, ordinationem,

utpote meram gratiam, posse absque ulla etiam causa ab Episcopo denegari, quin ulli recursui vel appellationi detur locus. Excipiunt tamen casum clerici *arctati*. Si quis nempe beneficium, cui ordo annexus sit, nondum ordinatus obtinuerit, *arctatur*, idest adstringitur ad suscipiendum requisitum ordinem, infra certum tempus a jure determinatum; idque sub pœna amittendi ipso facto et absque ulla monitione beneficii, prout statuitur in decretalibus *Licet canon*, et *Commissa, de Electione et electi potestate*, in 6. Porro in dicto casu concedunt præfatæ opinionis patroni, non posse ordinationem absque causa legitima denegari; quia sic arctatus jam acquisitum jus habet ad ordines ob sibi collatum beneficium, et recusatio grave ei damnum inferret.

Fatendum in expositam opinionem aperte abiisse virum inter canonistas præclarissimum, Cardinalem de Luca. In discursu enim 71 *de Beneficiis* (in *Theatro veritatis*, libro 12, parte 1), disserens de causa cujusdam Georgii, qui provisus de parochia arctabatur ad suscipiendos ordines, quos tamen ei conferre noluit Episcopus, sic quæstionem juris circa illam denegationem expendit laudatus auctor : « In hac disputatione, « scribentes pro dicto Georgio principaliter insistebant in arti- « culo, an et quando in Episcopi libito repositum sit, denegare « collationem clericatus, vel aliorum ordinum ; vel potius ad id, « quamvis invitus, de justitia teneretur. Atque in hoc deduce- « bant distinctionem, in meo etiam sensu veram, quod : aut « agitur de volente ex devotione, seu alio voluntario motivo, « suscipere clericatum vel alios ordines ; et tunc, quia est mera « gratia, exinde resultat quod in libera Episcopi facultate repo- « situm est concedere vel denegare ; atque negando, nulla « fieri dicitur injuria vel inferri gravamen ; et consequenter non « intrat appellatio vel recursus... : aut vero agitur de arctato « suscipere ordines sacros, ratione beneficii jam obtenti ; et tunc, « non concurrente justa causa denegandi, Episcopus gravare « dicitur; quoniam ita esset inducere pœnam formalem priva- « tionis beneficii, quod sine ordinibus retineri non potest;

« ideoque intrat recursus vel appellatio. » Adnotat postea idem auctor, non intrare præcise *Appellationem*, sed *recursum* dumtaxat; cum Episcopus vigore capitis *Cum honestius* (1, sess. 14, Trident. synodi), possit ex informata conscientia ordinationem, etiam arctatis, denegare.

Non obstante tamen clarissimi viri, et aliorum qui idem senserunt auctoritate, putamus omnino tenendam esse conclusionem nostram, nempe : recusari non posse, etiam non arctatis, ordinationem absque justa causa; et a denegatione ordinum patere semper ad Papam recursum.

II. *Firmatur posita conclusio.* — Quando quæstio inter doctores controversa, interveniente Sedis Apostolicæ decisione, vel constanti curiæ Romanæ praxi, in uno sensu fuit soluta, controversia pro finita habenda est, et scriptores qui sensum oppositum, vel antea defenderunt, vel etiam posterius retinent, prorsus deserendi sunt. Atqui conclusio nostra his duobus viis certa evasit.

Primo quidem intervenisse expressam decisionem refert Fagnanus hoc modo : « Cum olim de hoc ipso dubitatum « esset quoad Episcopos (*nempe, an illi quem Episcopus ordi-* « *nare recusat, pateat ad Sedem Apostolicam recursus*), Sacra « Congregatio, re ad Gregorium XIII delata, edidit decisio- « nem, quæ postea perpetuo obtinuit in dataria, videlicet : « quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, « committendum esse Metropolitano vel viciniori Episcopo, « ut ab eodem Ordinario prius requirat, cur recusaverit; « quo causam legitimam non allegante, liceat illi eumdem « recusatum ordinare. » (Fagnanus, in cap. *ad Aures*, *de Temp. ordin.*, n. 22.) Notentur ibi verba, *quotiescumque ordinarius recusaverit;* aperte enim includunt casum denegatæ ordinationis, etiam non arctatis. Item notentur alia hæc verba, *quo causam legitimam non allegante*, quæ clare supponunt, absque *legitima causa* non posse unquam ordinationem denegari.

De prædicta Sacræ Congregationis decisione a Gregorio XIII

approbata, mentionem etiam facit Benedictus XIV (*de Syn. diœces.*, lib. 7, c. 71, n. 4) (1).

Secundo, perpetuo Romam venire recursus a denegatione ordinum, etiam a non arctatis interjectos, eosque recursus recipi, et Episcopum denegantem rogari ut non gravetur rationes denegationis transmittere, et, nisi eæ rationes justæ reperiantur, fieri recurrenti facultatem ut a quocumque ordinari possit; est factum Romæ notorium, quod documentis probare foret supervacaneum. Imo hujus praxis testimonia reperies in collectione *Actes du Clergé de France* (assemblée de 1660, § 13, tom. 4, pag. 691, édit. de Paris 1770).

Objicies 1°. Ex sacris canonibus a Tridentina synodo confirmatis, non debent Episcopi ordinare, nisi eos qui sint utiles aut necessarii suis Ecclesiis; et simul eorumdem judicio relinquitur ut discernant quinam utiles sint aut necessarii : sic enim habet Tridentina synodus, capite 16 sessionis 23 (*de Reformatione*) : *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis, etc.* Ergo ordinationis concessio vel denegatio est penes arbitrium Episcopi.

Respondeo. Distinguo consequens : *est penes arbitrium Episcopi*, ita tamen ut nequeat Episcopus ordinationem denegare, nisi judicet eam nec necessariam esse nec utilem, concedo : hoc sensu quod possit eam denegare, etiamsi necessaria sit vel utilis, nego. Et iterum : *Est penes arbitrium Episcopi*, ita tamen ut si Episcopus denegandam ordinationem judicet, pateat contra illud judicium recursus ad Sedem Apostolicam, concedo : hoc sensu quod nullus detur contra tale judicium recursus, nego. Voluerunt ergo Tridentini Patres, antiquis canonibus inhærendo, ut ad Episcopum pertineret pronun-

(1) Idem Gregorii XIII decretum retulimus supra (hujus subsectionis capite 2, probatione 2), ex libro 16 *Litterarum visitationis sacrorum liminum*, pagina 401 sub die 21 aprilis 1668.

tiare, utilisne sit, an noxia, cujuslibet eorum subditi ad sacros ordines promotio; sed utique voluerunt id pronuntiare Episcopum ex motivo seu causa rationabili, non autem cœco motu, seu pro mero libitu. Et cum absolute contingere quandoque possit, ut Episcopale de hac re judicium minus rectum sit, ideo patet, ut supra probavimus, ad Sedem Apostolicam recursus. Cæterum inde etiam perspici potest objectionis inanitas, quod nimis probet. Nam Episcoporum etiam judicio relinquitur, ut excommunicationis gladio, prout opportunum duxerint, delicta coerceant. Quis autem mente sanus inde concludat, posse Episcopos absque justa causa excommunicationes fulminare, aut ab excommunicatoria sententia non dari appellationem?

Objicies 2°. Ordinatio est actus gratiosæ jurisdictionis; sed quod gratiosæ jurisdictionis est, potest pro libitu Episcopus concedere vel denegare, ergo.... — Respondeo nihil magis variare apud auctores, quam gratiosæ jurisdictionis notionem. In quam dissensionem ne hic ingrediamur, dicimus : si gratiosa jurisdictio in iis reponatur, quæ Episcopus pro libitu et absque causa legitima renuere vel concedere potest, negamus *majorem*, nempe ordinationem ad gratiosam jurisdictionem pertinere. Si, ut volunt alii, id jurisdictionis gratiosæ proprium sit, ut possit Episcopus ejus actus extra judicialiter explicare, ordinatio quidem et ordinationis recusatio ad jurisdictionem gratiosam pertinebit; sed in hoc sensu negatur *minor*, nempe, quidquid gratiosæ jurisdictionis est posse ab Episcopo pro libitu concedi et negari. Unde objectio hæc mero sophismate tota nititur.

Limitatio VI^a^. — *Potestas episcopalis clericos ex informata conscientia suspendendi, probabiliter non extenditur ad privationem beneficii vel fructuum beneficii, sed tantum ad privationem officii cui annectitur beneficium.* — I. Putavit adnotator ad Ferrarium nondum suo tempore decisum fuisse, an posset clericus ex informata conscientia suspendi a beneficio; sed

tantum decisum fuisse, suspendi posse ab exercitio beneficii quod privationem fructuum beneficii secum non trahit. En ipsius verba :

« Innixi huic sententiæ dictæ Sacræ Congregationis (nempe « quod possit Episcopus ex informata conscientia suspendere « a susceptis ordinibus, dignitatibusque et gradibus, necnon « honoribus), plures etiam existimarunt, posse Episcopum ex « informata conscientia suspendere a beneficio : idque quia « ubi agitur de suspensione ab exercitio ordinis suscepti, vide- « tur simul agi de suspensione a beneficio, ut præ se ferunt verba « illa, *aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus « ecclesiasticis fuerit suspensus.*

« Contra alii in ea sunt opinione, ut Episcopus... ex informata « conscientia suspendere nec valeat ab exercitio beneficii (confer « Van Espenium, *de Censuris*, cap. 10; Altaserre, eodem trac- « tatu, n. 2, disput. 14, cap. 1).

« At dicta Congregatio sustinuit suspensionem, quam Epi- « scopus ex informata conscientia inflixerat ab exercitio curæ « (in Sagonensi, 25 junii 1625)...

« Adhuc decisum haud est, an Episcopus suspendere queat « ex informata conscientia a beneficio; sed solum decisum est, « posse suspendere ex informata conscientia ab exercitio be- « neficii; quæ suspensio partialis est, nec fructibus privat. » (Ferraris, voce *Suspensio*, articulo 1, numero 8 et sequentibus.)

Sed neque mihi, Sacræ Congregationis Concilii resolutiones evolventi, quidquam occurrit ex quo rigorose pro vel contra dirimi quæstio valeat. Hinc supponens, cum præfato Ferrarii annotatore, rem nondum fuisse expresse decisam, quid probabilius videatur ex textu ipso Tridentinæ synodi, generalibusque juris principiis, pro posse enucleabo.

II. Duabus rationibus posset quis Episcopo vindicare dictam potestatem ex informata conscientia a beneficio suspendendi : primo scilicet, quia certo potest Episcopus ex informata conscientia suspendere ab officio, et suspensio ab officio suspen-

sionem a beneficio secum traheret : secundo, quia potestas a beneficio suspendendi seu fructibus ejus privandi, inclusa censenda foret in potestate suspendendi ab *ordinibus*, *dignitatibus*, *gradibus et honoribus*, quam Episcopis expresse confert Tridentina synodus. Sed utrumque argumentum robore caret. Nam

1° Posse quidem Episcopum ex informata conscientia ab officio suspendere dubium non est; atvero quod suspensus ab officio, sit hoc ipso suspensus a beneficio, rejicit communior canonistarum sententia; et nititur capite 14, tituli 1, libri 3 Decretalium, ubi decernitur, clericos in quoddam ibi enuntiatum excessum labentes, suspendendos esse *ab officio vel beneficio*. Quæ verba *ab officio vel beneficio* commemorans Fagnanus sic habet : « Argumentum quod suspensus ab officio, non est suspensus a beneficio : loquitur enim hic textus alternative. » (Fagnanus, in caput *A crapula*, numero 22.) Quam canonistarum doctrinam ratio ipsa veram ostendit : nam multoties presbyterum ab officio suspendi, non item a beneficio, bonum animarum postulat. Sufficienter nempe scandalum tollitur per remotionem ab officio; quod autem delinquens simul privetur beneficii sui fructibus, quibus forte solis vitam sustentare valet, id nedum semper necessarium, sæpe e contra bono publico Ecclesiæ nocivum erit. Unde si quando ob speciales circumstantias, expediat eum et a beneficio suspendi, id in suspensione exprimat Episcopus, et nequaquam in suspensione *ab officio* inclusum reputetur. Verum est admitti a canonistis, suspensum ab officio esse hoc ipso suspensum a beneficio *in nonnullis circumstantiis*. Sic, verbi gratia, Fagnanus (in caput *Quæsitum*, *de Cohabit. cleric. et mulier.*, numero 30) adnotat suspensum ab officio censeri et a beneficio suspensum, *si duo concurrant*, *videlicet*, *ut sit suspensus propter crimen grave, et sit in mora petendi absolutionem*. Sed hoc dicunt præfati canonistæ ob quasdam speciales juris dispositiones, quæ eas circumstantias attingere videntur. Unde manet regula generalis, suspensum ab officio, non esse hoc ipso a beneficio

suspensum; ac proinde, ex eo quod possit Episcopus extra-judicialiter ab officio suspendere, non sequitur posse eadem via suspendere a beneficio.

2. Nec robur habet alterum argumentum, includi nempe potestatem extra-judicialiter a beneficio suspendendi, in facultate a Tridentina synodo Episcopis concessa, suspendendi *ab ordinibus*, *dignitatibus*, *gradibus et honoribus*. Nam beneficium non est ordo, nec dignitas, nec gradus, nec honor in sensu juris; ac proinde gratis asseritur sub his denominationibus comprehendi. Cum autem aliunde Tridentinum illud decretum juri communi derogatio sit, stricte est interpretandum; ita ut Episcopis ibi concessum dumtaxat censendum sit, quod claris et expressis verbis enuntiatur.

III. Probabilius est, attento Tridentino textu, Episcopo non competere a beneficio extra-judicialiter suspendendi potestatem. Nam non sine mysterio Tridentini Patres, dum facultatem Episcopo fecerunt suspendendi ab *ordinibus*, *dignitatibus*, *gradibus*, *honoribus*, omiserunt eas voces *et a beneficiis*. Si enim voluissent suspensionem etiam a beneficiis in suo decreto comprehendere, id exprimere nec obliti essent, nec inutile reputassent. Atque inde mihi videtur satis innui eorum mentem; eos scilicet noluisse, ut ex informata conscientia possent Episcopi clericos beneficiis privare, cum hoc sæpe foret ad egestatem eos adigere; quod non adeo urget, ut extra-judicialiter fieri ordinarie expediat.

Sed quidquid sit de hac mente Tridentinorum Patrum, certa est generalis regula (qua potissimum innitimur), quamlibet juri communi derogationem stricte esse interpretandam, nec admittendum in ea, nisi quod clare exprimitur : atqui facultas ex informata conscientia suspendendi, fuit juri communi derogatio, prout fatentur omnes : aliunde *clare non exprimitur* eam extendi ad suspensionem etiam a beneficio, prout palam faciunt et textus ipse, et canonistarum hac de re controversia et dubitatio ; ergo extensio dictæ facultatis ad

suspensionem a beneficio, legitime admitti nequit. Hoc vero argumentum mihi videtur rigorose probare. In thesi tamen posuimus dumtaxat vocem *probabilius*, ne alioquin in re parum adhuc a doctoribus enucleata, conclusio aliquid audaciæ redoleret.

IV. Quando vero clericus ad titulum beneficii, quod possidet, ordinatus fuit, a fortiori sustinendum videtur, non posse eum *ex informata conscientia* a suo beneficio suspendi, ejusve fructibus privari. Et hanc fuisse Sacræ Congregationis Concilii persuasionem satis innuitur in causa quadam, quæ relata occurrit in *Thesauro resolutionum* (tom. 69, pag. 79). Ibi namque agitur de quodam Bolletta, qui ordinatus fuerat ad titulum cujusdam ruralis parochiæ, idque ex indulto Apostolico, quia parochia illa erat ad nutum amovibilis. Ob varia delicta eum ex informata conscientia Episcopus suspendit a *divinis et ab officio*. Recursum pro reintegratione obtinenda fecit Bolletta ; et duo proposita sunt dubia : 1° an daretur reintegrationi locus ; 2° an et quomodo prospiciendum esset patrimonio et alimentis Bollettæ. Circa quod posterius dubium sic adnotabat Sacræ Congregationis secretarius : « Secun-« dumdubium respicit modum quo patrimonio et alimentis pa-« rochi consuli debeat, quatenus Eminentiæ Vestræ eumdem a « reintegratione ad parœciam repellant. Nam ordinatus est « ad titulum parœciæ a qua suspensus est. Gratis asserit paro-« chus, quod ex fructibus parœciæ redeant annua scuta tercen-« tum : Episcopus hoc negat, et vix fructus hujusmodi satis « esse affirmat ad stipendium œconomi. » Sacra autem Congregatio rejecta reintegratione, ad posterius hoc dubium respondit : *Affirmative ex reditibus parœciæ : sin minus, prout de jure.* Quæ satis innuunt non potuisse dictum clericum per talem sententiam privari suo beneficio, saltem ex ea ratione quod beneficium illud esset titulus ipsius ordinationis : item non potuisse privari ejusdem beneficii fructibus, licet prælevari deberet necessaria sustentatio *œconomi*, ipsi substituti. Et ideo

alter non dicitur parochus, sed tantum œconomus, et suspenso parocho denominatio parochi servatur.

V. Ex suspensione tamen ab officio, sequitur quoad suspensum privatio illius partis fructuum beneficii, quæ necessaria est ad sustentandum eum qui in officio substituitur : et hoc nemo negat. Cum nempe beneficium detur propter officium, beneficiatus ab implendo officio suo impeditus, tenetur aliquem sibi substituere, et necessaria ei solvere. Quid autem deceat ex fructibus beneficii prælevari pro substituto sive œconomo, pertinet ad Episcopum decernere ; salvo tamen, in casu gravaminis, ei qui suspensus est, appellationis ad Metropolitanum vel recursus ad Sedem Apostolicam remedio.

VI. In Gallia edidit sæcularis potestas nonnulla decreta, quibus statuitur, œconomo seu vice parocho tribuendam esse certam quamdam partem pensionis, a gubernio solvi solitæ. Cum autem ejusmodi pensiones annuæ, quæ a gubernio Gallico in cleri sustentationem solvuntur, rationem habeant beneficiorum et bonorum ecclesiasticorum (ut probavimus in tractatu *de Capitulis*), non potuit sæcularis potestas, absque Sedis Apostolicæ assensu, de prædictis legitime decernere. Cæteroquin in se spectatæ hujusmodi ordinationes sat æquæ pro casuum generalitate videri possunt.

CAPUT V.

QUID CATHOLICUS QUISQUE DEBEAT AUT LICITE POSSIT SENTIRE ET SUSTINERE, DE INTRODUCTA HAC A TRIDENTINIS PATRIBUS DISCIPLINA, EPISCOPALIUM SCILICET EX INFORMATA CONSCIENTIA SENTENTIARUM.

Cautus esse debet scriptor, dum novam illam disciplinam ex decreto Tridentino inductam, cum anteriori, quæ per tota quatuordecim sæcula obtinuerat, conferens, utriusque utilitates necnon incommoda veluti lance perpendit, unius præ

altera excellentiam inclamaturus. Si enim nimia erga alterutram admiratione præoccupetur, periculum est ne debitos excedat limites, atque in errorem prolabatur. Hinc antequam a tam gravis quæstionis tractatione manum retrahamus, abs re non erit nonnulla subnectere, quæ rectum de utraque disciplina sentiendi modum patefacere valeant.

I. *In duos errores, ad invicem oppositos, animadvertitur.* — Hic quæstio nobis non est de supra confutato errore Pistoriensis conciliabuli, in quo schismaticus Episcopus cum aliqua deceptorum vel perditorum parochorum turma injustas pronuntiare ausus est episcopales ex informata conscientia sententias ; sed de duobus aliis erroribus, in quos lapsi sunt scriptores nonnulli catholici, qui cæteroquin dictarum extrajudicialium sententiarum justitiam et legitimitatem ex professo sustinent.

1. *Error Bolgenii.* — In opere posthumo cui titulus, *dei Limiti delle due potesta ecclesiastica e secolare* (edito Florentiæ anno 1849, pag. 137, n. 164), agnoscit quidem clarissimus auctor concessam Episcopis a Tridentina synodo ex informata conscientia sententiandi facultatem. Sed eam postea vult restrictam hoc modo intelligi: *Episcopis ex informata conscientia procedendi facultatem fecit Tridentina synodus : inde autem inferendum nequaquam est, ut nonnulli existimant, Episcopo id potestatis concedi, ut in reum valeat privatim et ex causis sibi notis pronuntiare, sive pœnam spiritualibus exercitiis vacandi, sive mulctam, sive censuram : absit. Hoc enim abusus auctoritatis foret. Debet ante omnia Episcopus plenam de delicto certitudinem sibi comparare, nec facile secretis accusationibus, certarum præsertim personarum, fidem adhibere. Tum vocato secrete reo, ipsi delictum manifestare ; circumstantias, quatenus prudenter fieri potest, indicare ; et patienter audire quidquid idem reus pro sui defensione proponenda habebit : quæ omnia ex rigorosa et naturali justitia debentur* (1). Porro dum sustinet

(1) En laudati auctoris textum integrum : « Ogni Sovranita è in diritto di pre-

citatus auctor teneri Episcopum ad manifestandum reo delictum, necnon ad concedendam eidem sese defendendi facultatem, adversa fronte pugnat cum pluribus supra relatis Sacræ Congregationis Concilii decisionibus, quibus declaratum est, legitimam esse episcopalem ex informata conscientia sententiam,

« scrivere ai suoi tribunali quelle forme di procedere nei giudizi, le quali stima a « proposito. Alcune forme e maniere sono di legge naturale. In queste dunque non « si prescrive nulla di contrario, e debbono esattamente osservarsi. Tra queste vi e « quella importantissima di non condannar mai veruno a qualunque pena, se prima « non gli venga notificato il suo delitto, e sentite le sue difese, o almeno dato tempo « et comodo di farle. Ogni sentenza pronunziata senza queste premesse e cautele, « ella e ingiusta e nulla di pieno diritto, e un atto di vera tirannia. Iddio prima di « punire Adamo ed Eva di lor peccato, benche innegabile, ne fa, per cosi dire, il « processo; volendo con cio insegnarci la traccia che dobbiamo tenere secondo la « legge della giustizia nel punir gli uomini, dicono i santi Patri Gian Crisostomo ed « Agostino : *Deus judex in tribunali terrore et horrore pleno, sedet et examinat « diligenter : per hoc nos docendo ne congeneres nostros condemnemus, nisi causa « antea diligenter cognita* (S. Joan. Chrys., hom. 17, in Genes., n. 2). E San « Agostino (nel libro 10 della Genes., cap. 35, n. 47) cosi si esprime : *Dominus « volens jam peccatores more justitiæ punire.*

« Si cita una certa potesta di *giudizio economico*, ossia di procedere *economica- « mente*. Se con cio s'intende di passar sopra alle minute leggi, ed alle forma- « lita prescritte nelle procedure ordinarie, la cosa va bene. I magistrati ed i minis- « tri subalterni non possono usare di coteste maniere economiche : solo al sovrano « e riservato di prevalersi delle medesime. Ma se s'intende di condennare un sud- « dito senza esporgli il delitto, e senza dargli campo di dire le sue ragioni in pro- « pria difesa, codesta *Economia* e un oltraggio fatto alla legge della natura e di « Dio. I Vescovi piu cheli superiori laici sono nel caso di usare della podesta Eco- « nomica : ale volte fare un processo nelle forme ridonda in infamia di persone « ragguardevoli, e puo cagionar gravi danni a persone innocenti : ed e poi siem- « pre un bene il risparmiare, per quanto si puo, l'onor del clero, e massimamente « del grado sacerdotale. Quindi il concilio di Trento permette ai Vescovi di pro- « cedere *ex informata conscientia*. Cio non vuol dire pero, come pensano alcuni, « che il Vescovo possa intimare a solo a solo qualche pena di ritiro a far gli eser- « cizi spirituali, qualche multa, o censura al reo *per cause a se note :* no : questo « e un abuso di autorita. Deve il Vescovo prima di tutto esser ben certo del de- « litto, e non fidarsi facilmente di accuse segrete, e di certe persone particolar- « mente. In secondo luogo chiamato segretamente a se il reo, manifestargli il delitto, « contestargliene le circostanze per quanto la prudenza il permette, sentir con « pazienza cio che il reo stesso avra da porgere in sua discolpa. Tutto cio e di « rigorosa e naturale giustizia. »

quin reo manifestatum fuerit delictum propter quod suspenditur, aut data ei fuerit defensionis coram Episcopo facultas. Et hoc sensu intellectæ dictæ Episcopales sententiæ in generalem disciplinam abiere, et sunt in Ecclesia acceptæ et approbatæ. Jam vero quod toties per Sacram Congregationem Concilii legitimum declaravit Sedes Apostolica, quodque tanquam universalis disciplina in Ecclesia catholica inductum et approbatum est, *id auctoritatis abusum* dicere, et *rigorosæ naturalique justitiæ* contrarium, non temerarium solummodo, sed et aperte erroneum reputandum est. Hinc, pro ea singulari æstimatione, qua ego clarissimum auctorem (etsi forte nonnunquam in speculando audaciorem) prosequi soleo, libenter suspicarer fundamento non carere, quod quidam dictitant, de adulterato illo Bolgenii opere posthumo.

2° *Error alter, priori e diametro oppositus.* — Perspicientes nonnulli in quantam Ecclesiæ utilitatem cedat, posse Episcopos ex informata conscientia procedere, tanti novam illam disciplinam faciunt, ut anteriorem *noxiam fuisse*, existiment, atque asserere non reformident. Porro et ibi error sublatitat. Nullo enim tempore, prava aut salutis animarum subversiva esse potest generalis Ecclesiæ disciplina. Quoties quippe aliquid in generalem suam disciplinam Ecclesia inducit, esse illud bonum, licitum, et (relate ad circumstantias in quibus versatur) proficuum, existimat et facto ipso declarat. In quo non magis errare potest, quam in ipso declarando dogmate; quia sicut errore in credendo, ita et pravitate in suis universalibus legibus Ecclesiam immunem et semper servavit, et usque in finem mundi servabit promissus ipsi Spiritus Sancti ductus. Cum ergo vigentem antea disciplinam Ecclesia catholica novis rerum circumstantiis aliqua immutatione accommodat, non putandum id fieri, ut pravum quid aut stultum, minusve prudenter antea introductum corrigatur et de medio tollatur; sed dumtaxat, ut praxis, quæ huc usque bona, sancta et retinenda fuerat, mutatis temporibus, alteri, pro tunc etiam bonæ, sanctæ et merito inducendæ, locum cedat. Hinc sicut temerarium

erroneum est, episcopalium ex informata conscientia sententiarum disciplinam, a Tridentina synodo inductam, injustam aut pravam, aut saluti animarum noxiam pronuntiare ; æque prorsus, atque ex eadem omnino ratione, temerarium et erroneum est, id de obtinente prius altera disciplina asserere. Et numquid enim per priora quatuordecim sæcula Ecclesiam catholicam fugit quid fini suo expediret? aut potuit ex pravitate vel ignorantia, quod pravum in se est, aut stultum, aut animarum saluti noxium, amplecti et præcipere? Opportunam ergo fuisse Tridentinam illam ordinationem quisque catholicus et potest et debet existimare atque profiteri. Atvero si pravam fuisse anteriorem disciplinam asserat, proculdubio a sana doctrina devius, erroris præcipitio immergitur.

A quo errore non satis recessisse videtur Reverendissimus Lucionensis Episcopus, in suo recenti libro cui titulus, *Des Sentences épiscopales de conscience informée* (édit. Luçon 1852, pag. 225). Atque id, pro meo quantulicumque scriptoris debito, a me hic adnotari, non ægre ferat illustrissimus Antistes. In citato nempe præfati libri loco, postquam luculenter probavit laudatus Præsul, ante Tridentinam synodum fas Episcopo non fuisse ob delicta occulta (idest fama nondum divulgata, aut in regulari judicio non probata) ordinationem denegare, circa hanc quatuordecim sæculorum disciplinam ita sibi fingit objici : *Sed id magnum malum fuit* (*mais c'était un grand mal*). Quam objectionem nedum confutet, eam pro ipsissima veritate accipiens, respondet : *Utique, in nonnullis præsertim casibus : et hinc est quod Ecclesia mutatam illam disciplinam voluerit* (*sans doute, surtout en certaines rencontres : et voilà précisément pourquoi l'Église a modifié cette discipline*).

Illa ergo verba incassum tentavi ad benignam interpretationem inflectere ; nec potui quin minus considerate prolata existimarem, MAGNUM MALUM fuisse disciplinam tot sæculis in Ecclesia catholica vigentem nequaquam asserere fas est : hoc aures catholicæ audire refugiunt. Neque enim fas unquam

erit Ecclesiæ integritatem, circa generalem suam cujuslibet temporis disciplinam, in quæstionem vocari. Sed neque reor allata verba, prout sonant fuisse ab illustrissimo Antistite intellecta. Sed voluisse eum dumtaxat exprimere, valde opportunum, pro novis temporum circumstantiis, fuisse Tridentinum decretum, facile autumabit, quisquis eruditum ejus librum legerit, in quo tantus splendet orthodoxæ fidei zelus, tantaque erga Sedem Apostolicam observantia.

II. *Quid de sententiis ex informata conscientia sentire teneatur quisque catholicus, et quid opinionum libertati relictum sit?* — Concludendum nempe videtur 1° teneri quemque pro bona, justa et legitima habere sententiarum ex informata conscientia disciplinam, ex quo illam induxit et quamdiu retinendam existimabit Ecclesia. 2° Item bonam et legitimam fuisse contrariam disciplinam, quando illam Ecclesia amplexa est, et quamdiu illam retinendam putavit.

At vero his in tuto positis, viro catholico non interdicitur, præsentium temporum suo modo ponderatis circumstantiis, opportunum æstimare, ut dicta Episcoporum potestas arctaretur, et ad pristinam disciplinam regressus fieret. Atque id circa alias Ecclesiæ leges, verbi gratia, circa abstinentiam sabbathi, quotidie a theologis expenditur, et in diversas opiniones itur. Pariter irreprehensibilis censendus est qui, præsentium pariter temporum attentis circumstantiis, contrarium concluderet, conservandam scilicet Episcoporum extra-judicialiter sententiandi potestatem. Utraque scilicet opinio disputationum libertati relicta censenda est, modo quisque de prætensa in utroque sensu opportunitate Ecclesiam judicem esse agnoscat, et quod Ecclesia judicaverit et praxi sua probaverit, pro bono et legitimo habere paratus sit. Absolute enim evenire posset, ut dictam potestatem Episcopis concessam, ob nimios abusus, aliisve de causis, Sedes Apostolica ad pristinos limites revocandam existimaret : quo casu qui eam adeo utilem et veluti necessariam reputant, suum sentire huic novæ ordinationi accommodare tenerentur. Sicut etiam

evenire potest (et meo quidem judicio probabilius eveniet) ut eamdem potestatem diu Ecclesia conservatam velit. Quo casu, qui opportunam pro nunc immutationem sustinent, se errasse agnoscere debebunt. Quarum ego opinionum valorem expendere nullatenus volui, sed tantum adnotare, quid necessario tenendum sit, quidve sit liberæ opinationi relictum.

SUBSECTIO IV.

NORMA PROCESSUS CRIMINALIS CONTRA HÆRETICAM PRAVITATEM, INQUISITIONIS SEU SANCTI OFFICII TRIBUNALIBUS PROPRIA.

Non existimet lector nos hic de re mortua et de medio sublata disceptationem instituere. Etsi enim Sedes Apostolica jamdudum desierit extraordinarios illos judices, *inquisitores* strictiori quodam sensu nuncupatos, per provincias mittere, qui hæreticæ pravitatis reos perquirant, et juxta formam quoad ejusmodi criminales causas præscriptam judicent; at nequaquam sublati Episcopi, qui ex ipsa sua ordinaria jurisdictione sunt inquisitores nati, quique non tantum possunt, sed debent (ut mox ostendetur) peculiarem illam processus normam, quæ a lege ecclesiastica pro coercendis contra fidem delictis determinata est, hodiedum observare. Hinc in exponendis variis *extraordinarii processus criminalis* speciebus, nullatenus illa prætermitti debuit, quam Sancti Officii tribunalibus propriam jus ecclesiasticum fecit.

§ I.

De tribunalibus Sancti Officii, seu inquisitionis contra hæreticam pravitatem, notio prævia.

I. *Quonam sensu vox* INQUISITIONIS *hic intelligenda sit.* — Animadvertere lector potuit multoties jam supra usurpatum a nobis fuisse inquisitionis vocabulum : at non eo sensu quem hic ei affigimus. Dum enim varios processus criminalis *ordinarii* modos exponendo triplicem memoravimus, per viam scilicet accusationis, per viam denuntiationis, et per viam *inquisitionis*, nihil aliud per inquisitionem intelleximus, quam processum a judice *ex mero officio*, non autem *instante aliquo accusatore*, institutum; quo sensu ei correspondet in gallico idiomate vox *enquête*. At vero ex usu generaliter invecto, adhibetur etiam vox eadem ad exprimendum peculiarem processum, in coercendo *hæreseos crimine* faciendum; atque inde tribunalia, judices et tota jurisdictio ad dicti criminis coercitionem instituta, *inquisitionis*, et sæpe etiam *Sancti Officii* vocari solent. *Inquisitionis* quidem, quia ejusmodi judicibus hæreticos investigandi et perquirendi officium injungitur : *Sancti* vero *Officii*, quia nullum munus magis sanctum visum est, quam illibatam fidem catholicam tutari, atque sartam tectam contra venenatos hæreticorum efflatus servare. In hoc porro posteriori sensu inquisitionis vocem nunc usurpamus, cui nempe correspondet gallicum vocabulum *inquisition*.

II. *De duplici inquisitorum specie.* — Duplex est inquisitorum species : *ordinariorum* nempe et *delegatorum*. Quilibet Episcopus in diocesi sua est inquisitor ordinarius; habet nempe jurisdictionem ordinariam ad judicanda, tum cætera, tum etiam hæreseos crimina; unde et *inquisitor natus* a pragmaticis vocari solet. Sed præter ordinarios locorum judices, alii *extraordinarii inquisitores* a tempore Innocentii III fuerunt constituti, qui hocce munus, non quidem privative quoad Episcopos,

sed cumulative exercerent ; ita nempe ut in una eademque diœcesi, contra reos hæreticæ pravitatis procedere possit, tum Episcopus, tum inquisitor a Sede Apostolica delegatus. Quod ita inductum est, testantibus Romanorum Pontificum constitutionibus, ut, si forte alicubi remissiores forent Episcopi in coercendis et extirpandis hæresibus, eorum negligentia per alios ad id officii specialiter deputatos, suppleretur. Hinc duplex inquisitio : *ordinaria* quæ hodiedum permanet ; et *delegata* quæ per plura sæcula et in plerisque orbis catholici regionibus, ita disponente et utile judicante Ecclesia, munus suum obiit ; postea vero (aliter ex eodem Ecclesiæ judicio postulantibus circumstantiis) adhiberi generaliter desiit.

Invaluit autem usus, ut sub nomine *Sancti Officii*, vel etiam sub simplici *inquisitionis* denominatione, non utraque inquisitio, sed *delegata* dumtaxat sæpe designaretur. Cum nempe hæc magis oculos feriret, atque in eam scriptores acatholici inexhausta declamationum copia insectati sint, celebrior evasit, atque inquisitionis nomen veluti antonomatistice sibi proprium retinuit.

III. *De origine delegatæ inquisitionis.* — Sic habet Paramo (*de Origine sanctæ inquisitionis*, libro 2, titulo 1, capite 1). « A « primordiis nascentis Ecclesiæ in omnibus provinciis provin- « cialia concilia bis in anno cogebantur, in quibus fierent re- « gulares inquisitiones. Idque usus obtinuit usque ad conci- « lium sextum Constantinopoli celebratum, ubi sancitum est « ut semel tantum in anno provinciale concilium haberetur, « in quo regulares illæ inquisitiones obtinerent ; et iterum id- « ipsum est confirmatum in septima synodo Nicæna : sic docet « sacrum concilium universale Lateranense, sub Innocentio « Papa III, celebratum anno 1215, et habetur in capite *Ad abo-* « *lendam*, capite *Cum ex injuncto*, et capite *Ut commissi* (*de* « *Hæreticis*). Tamen quibusdam Episcopis negligentibus tam « salutiferum hoc officium exercere, quibusdam autem ob di- « versa alia negotia impeditis, Summi Pontifices matura deli- « beratione decreverunt viros doctos et catholicos eligi, qui

« tanquam Apostolicæ Sedis delegati, hoc tam sanctum offi-
« cium exercerent (capite *Per hoc* et capite *Ne aliqui, de Hære-*
« *ticis*, in 6)... Idcirco officium delegationis sanctissimæ in-
« quisitionis videtur inductum a Summis Pontificibus citra
« quadringentos annos : quia ante id temporis Episcopi aucto-
« ritate ordinaria illud exercebant. Nec obest opinio Gabrielis
« Prateoli... Innuit ille anno post Christum 1100 fuisse inqui-
« sitores exercentes officium præter Episcopos ; sed halluci-
« natus est in temporum computatione... Hieronymus Romanus
« videtur sentire incepisse tempore Innocentii IV, qui fuit anno
« Christi 1243... Sed certum est sanctæ inquisitionis officium
« nec tum incepisse. Tempore enim Innocentii IV et Alexan-
« dri IV diversis privilegiis, jurisdictionibus et immunitatibus
« decoratum fuit, si horum Pontificum privilegia diligenter
« perpendantur. » Narrat postea laudatus auctor quomodo Albigensium hæresis instituendæ inquisitionis delegatæ occasio extiterit : tum hoc modo prosequitur : « Tamen cum animad-
« verteret (B. Dominicus) se parum proficere, et hæreticos
« (ut fert eorum superbia) conciones et disputationes catholi-
« corum irridentes, longius in dies in perfidia et pertinacia pro-
« cedere, divino spiritu afflatus, sanctæ inquisitionis institu-
« tioni sedulo et instanter incubuit, ut auctoritate Apostolica
« meritissimis pœnis hæretici punirentur. Cisterciensi Abbati,
« in Galliarum regno apostolica tunc legatione fungenti, co-
« gitationes aperuit; qui sanctum consilium debitis laudibus
« exornans, dum de re ad Summum Pontificem refert, Beato
« Dominico sanctæ inquisitionis munus injunxit. Idem post
« Abbatem Cisterciensem præstitit Cardinalis, qui in eodem
« regno legati munus obibat, ut aperte constat ex duobus re-
« scriptis, quæ B. Dominicus, ut fidei censor in eadem expe-
« divit provincia. In qua, postquam rediit ex concilio gene-
« rali Lateranensi, anno 1215, litteras accepit ab Innocentio
« Papa III, quarum inscriptio sic habet : *Magistro fratri Do-*
« *minico et ejus sociis prædicatoribus, etc.;* quibus ei et sociis
« cura demandabatur hæreticos Albigenses piis exhortationi-

« bus et concionibus ad fidem catholicam reducendi. Insuper, « ipse B. Pater Dominicus adversus hæreticam pravitatem « inquisitor apostolicus designatur, ut, non solum piis exhor- « tationibus, sed Apostolica etiam auctoritate ad hæreses « funditus extirpandas procederet, ne arma contra hæreticos « necessaria desiderarentur. Apostolicarum litterarum exem- « plar nonnulli auctores se vidisse testantur, ut refert Fer- « dinandus Castillo (libro 1 *Historiæ ordinis Prædicatorum*, « c. 17). Ex his apparet sanctum Dominicum anno 1216, fuisse « inquisitorem creatum. »

« Hoc igitur officium delegatæ inquisitionis primus generalis « inquisitor Apostolica auctoritate exercuit Beatus Pater Do- « minicus, ordinis Prædicatorum dignissimus institutor... Ab « Innocentio III inquisitor generalis est institutus, ut capite « præcedenti diximus, illique hoc sanctissimum inquirendi « munus primo omnium est delegatum. Quod non solum constat « ex eo quod cum aliis auctoribus affirmant Camillus, Campe- « gius et Franciscus de Pegna, sed etiam manifestis indiciis et « efficacibus rationibus comprobatur. »

Ita quidem laudatus auctor, cui hac in re consonant quam-plurimi. Crisi tamen nonnulla ejus asserta indigent. Nam 1°, quod sanctus Dominicus fuerit *primus* inquisitor, negant Cisterciensis ordinis scriptores, qui hancce gloriam Beato Petro de Castro-Novo, ejusdem ordinis, vindicant. 2° Quod sanctus Dominicus non tantum non fuerit *primus*, sed quod nullatenus fuerit inquisitor, nec quoad nomen, nec etiam quoad rem, sustinent pauci quidam cum Echardo. Non est cur enucleandæ hujusmodi quæstioni diu immoremur, cum eximie et erudite id præstiterint Bollandistæ (*Acta sanctorum*, die 4 augusti, *de Sancto Dominico*, § 16 et 17); quorum doctrinam per summa capita hic annotasse sat erit.

1° Ex duabus formulis quæ adhuc supersunt, et quas referunt, concludunt Bollandistæ sanctum Dominicum sæpius hæreticis ad Ecclesiam reductis *juridice* pœnitentiam injunxisse,

et plures hujusmodi *actus judiciales* exercuisse. (Loco citato, n. 278 et seq.)

2° Ex documentis historicis pariter eruunt, sanctum Dominicum ab apostolicis legatis accepisse potestatem convincendi in juridico examine hæreticos, eosque in erroribus suis pertinaces tradendi judicio sæculari. Ad quod firmandum inter alia historicorum testimonia, adducunt et illud Malvendæ (in *Annalibus*, anno 1215, cap. 9) : « Non abnuimus sanctum Domini-« cum primum fuisse, qui inquisitoria auctoritate hæreticos « igne punierit ; et vidimus superius hoc anno, Tolosæ, ipso « viro Dei et convincente et judicante, hæreticos incendio « consumptos, et unum reservatum. » Memorant item epistolam quamdam inquisitionis Tolosanæ, in qua bis ac tertio, in laudem sancti Dominici, ab oculatis et juratis testibus is vocatur *hæreticorum persecutor*. Quod testimonium Echardus (quasi sancto Dominico probrosum foret) emollire tentat hac nota (tom. 1 *Biblioth. prædic.*, pag. 56) : « Viden' qui hære-« ticorum assiduus persecutor fuerit ? Nempe redarguendo « tam verbo quam exemplo bonæ vitæ ; non jugulum petendo, « non ferrum et ignem minitando, quod sui non erat officii. » Sed Echardo, Bollandistæ : « At quid, obsecro, piaculi aut « dedecoris in sanctum Dominicum redundaret, si hic ex « subdelegata Ecclesiæ potestate pervicaces hæreticos brachio « sæculari, ut vulgo loquimur, puniendos tradidisset ? Certe « catholicus quispiam dubitare non potest de illa Ecclesiæ « potestate, quæ innumeris exemplis ac testimoniis probatur, « et quam Alfonsus de Castro, Judocus Coccius, aliique scri-« ptores integris voluminibus contra hæterodoxos vindicarunt. « Solum hoc loco producimus divum Thomam, qui in Summa « theologica (2. 2, q. 11, a. 3) hanc rem sic explicat : *Respon-« deo dicendum, quod circa hæreticos duo sunt consideranda. « Unum quidem ex parte ipsorum ; aliud vero ex parte Ecclesiæ. « Ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non « solum ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam*

« *per mortem a mundo excludi. Multo enim gravius est corrum-*
« *pere fidem, per quam est animæ vita, quam falsare pecuniam,*
« *per quam temporali vitæ subvenitur. Unde si falsarii pecuniæ,*
« *vel alii malefactores statim per sæculares principes juste morti*
« *traduntur, multo magis hæretici, statim ex quo de hæresi con-*
« *vincuntur, possunt non solum excommunicari, sed et juste occi-*
« *di. Ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errantium con-*
« *versionem; et ideo non statim condemnat, sed post primam et*
« *secundam correptionem, ut Apostolus docet: postmodum vero,*
« *si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non*
« *sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separando*
« *per excommunicationis sententiam, et ulterius relinquendo*
« *eum judicio sæculari a mundo exterminandum per mortem.* »
Memorant postea Bollandistæ plurimos sanctos, qui inquisitionis munere fungentes, convictos judicialiter et obstinatos hæreticos brachio sæculari morte afficiendos tradidere.

3° Discussis testimoniis, concludunt Bollandistæ sanctum Dominicum, si de *re ipsa* agatur, fuisse vere inquisitorem : si vero quæstio sit *de nomine*, nec ipsum, nec beatum Petrum de Castro-Novo inquisitionem exercuisse ; quia nondum sub hoc nomine, et modo stabili, inquisitionis delegatæ tribunalia constituta fuerant. « Licet nos, inquiunt,... revera sentiamus, « neque sanctum Petrum de Castro-Novo, neque sanctum « Dominicum unquam *nomine* (de re facile inter nos con- « veniet, ut supra indicavimus) *inquisitorum* insignitos fuisse, « tamen ab eruditis viris, et studio partium alienis, libenter « discemus, an in hoc judicio a veritate aberravimus. (Loco cit., n. 319.)

4° Non ergo peremptoria Bollandistis visa sunt documenta, quæ adduci solent ad probandum sanctum Dominicum a Sede Apostolica institutum fuisse *primum inquisitorem*. Duo ejusmodi documenta allegant contrariæ sententiæ patroni : primo scilicet Innocentii III et Honorii III litteras, quibus inquisitionis munus sancto Dominico demandabatur. Sed fateri coguntur eas litteras jam non inveniri. Alterum documentum est

bulla canonizationis sancti Petri martyris, quæ incipit *Invictorum*, a Sixto V edita die 13 aprilis 1586 (in bullario *Dominicanorum*, t. 5, pag. 447) ; in qua sic habetur : *Is* (1) *enim præclarus Ordinis Prædicatorum alumnus..., imitatione accensus Beati Patris Dominici, ut ille perpetuis et concionibus et disputationum congressibus officioque inquisitionis* (*quod ei primum prædecessores nostri Innocentius III et Honorius III commiserant*) *contra hæreticos mirabiliter se gessit, ita ipse, cum nullum iis perditionis filiis monendis locum in omni sermone unquam reliquisset, tum in obeundo inquisitoris munere, sibi litteris apostolicis commisso, mira quadam diligentia illos insectari atque urgere non destitit... Quamobrem post Beatum Dominicum non immerito princeps appellari debet sacro-sancti officii inquisitionis, cum ipse primus illud suos anguine consecraverit.* Fatendum est maximi ponderis esse ejusmodi testimonium, quo tam aperte in solemni Pontificia bulla sancto Dominico *Primi inquisitoris* titulus decernitur. Cui tamen Romani Pontificis asserto non esse necessario assentiendum contendit Cisterciensium Annalista Angelus Manrique (ad annum 1204, cap. 3, n. 13), adnotans in hunc modum : « Una nobis Sixti V auctoritas incutit reverentiam, « incuteret metum, si nesciremus materiam hanc omnino ex « illis esse, in quibus successores Petri nunquam asserere, « nedum definire; sed præcise ad communem, et plerumque « ad petentium mentem loqui in usu habeant. » Hæc de inquisitionis delegatæ origine. Adnotandum remanet quomodo in plerasque orbis catholici partes institutio hæc permearit.

IV. *De propagatione delegatæ inquisitionis per orbis provincias.* — Cum singuli delegati inquisitores in singulis sibi assignatis regionibus sua particularia tribunalia haberent, et officium suum exercerent, Sedi Apostolicæ visum est ut Romæ institueretur *supremum* et *universale* ejusmodi delegatæ inquisitionis tribunal, cui cæteri dicti inquisitores per orbem sparsi subjicerentur, et a quo normam et directionem acciperent.

(1) Nempe beatus Petrus martyr.

Quod summatim refert Cardinalis de Luca (*Relatio curiæ Romanæ*, discursu 14, n. 4 et seq.) his verbis : « Isto inquisitionis nomine ubique dilatato, in curia (Romana) inquisitionis « tribunal per ipsummet Pontificem, cum aliis ministris et « adjutoribus (quos juxta opportunitates assumere in tempora « videbatur) regebatur ; et præsertim cum opera et consilio « aliquorum ejusdem ordinis (sancti Dominici) alumnorum, « quorum unum, sub nomine *Magistri Sacri Palatii* tanquam « consiliarium et assessorem habere consuevit ; ac etiam alium « sub nomine *commissarii* hujus inquisitionis. Deindeque unum « ex Cardinalibus pro ejus majori adjutorio desuper præfecit, « cui propterea *Præfecti Inquisitionis* nomen seu vocabulum « tribuebatur. Singularum vero diœcesum vel provinciarum « inquisitionis ministris inferioribus ac subordinatis idem in- « quisitoris nomen dari cœpit ; qui cumulative cum Episcopis « (qui semper fuerunt ac sunt suarum diœcesum nativi inqui- « sitores) idem munus exercerent. Cum autem circa initia de- « cimi quinti sæculi, Lutherana hæresis... aliquas Italiæ partes « inficere cœpisset, hinc Pontifex Paulus III, istam sacram « *universalis inquisitionis* congregationem erexit, pro dicti tri- « bunalis sancti officii vel inquisitionis regimine, ac meliori « magisque auctoritativa directione. Aliique successores Pon- « tifices eam approbarunt, ac facultates respective auxerunt. » Ex qua historica notione patet, totam delegatam inquisitionem, bifariam dividi : in tribunalia nempe particularia seu inferiora, et in tribunal supremum seu universale, quod est ipsamet sacra congregatio universalis inquisitionis seu sancti officii.

Institutio tamen illa delegatæ inquisitionis in Hispaniarum regno in particularem formam adacta est. « Ferdinandus « quintus, circa annum Domini 1484 aut 1486 postulavit, ut « inquisitorum munere sese Dominicani fratres abdicarent ; ac « ita Romani Pontificis auctoritate commissum est clericis « sæcularibus, canonum ac legum peritis. Quare jussu regio, « et Pontificio concessu, demandata est cura constituendi sa- « cræ inquisitionis officium Cardinali Mendozio ; qui, adhibito

« multorum doctorum hominum consilio, leges composuit, or-
« dinem præscripsit, quem singuli inquisitores in Hispania
« observare deberent. » (Pignatelli, *Novissimæ consultationes canonicæ*, consult. 124, pag. 508, edit. Cosmopoli, 1711.)

Quod autem in plerasque mundi partes inquisitio delegata inducta sit, testantur monumenta historica ; quæ cum nimis longum esset hic retexere, nonnulla tantum ex Indice bullarii *Dominicanorum* indigitabimus : « Inquisitionis tribunal in Bur-
« gundia constitutum, tomo 1, pagina 127, constitutio 70, n. 3.
« Illud munus in quibusdam Italiæ locis exercent Fratres Mi-
« nores, ibidem, pag. 247. — Inquisitionis officium generali-
« ter in Lombardia Fratribus nostris commissum, tomo 1,
« pagina 208, 214, et tomo 7, pagina 28. — Inquisitionis
« officium in regno Hispaniæ per se exercendi, aut etiam ido-
« neum ad hoc religiosum constituendi provinciali Hispaniæ
« ordinis Prædicatorum conceditur, tomo 2, pagina 433. —
« Inquisitionis Gebennensis munus ordini fratrum Prædica-
« torum restituitur, tomo 2, pagina 566. — In Romandiola,
« tomo 5, pagina 176. — In Marchia Anconitana et Tri-
« visina, pagina 210. — Inquisitionis Bononiensis officium
« Fratribus Prædicatoribus commissum, tomo 5, pagina 275.
« — Inquisitor Germaniæ præsulibus ac principibus commen-
« datur, tomo 2, pagina 243. — Inquisitor Avenionensis,
« tomo 2, pagina 556. — Inquisitor Tolosanus, tomo 4, pa-
« gina 390. — Papiensis, tomo 5, pagina 229. — Bisuntini
« inquisitoris jurisdictio, tomo 2, pagina 644. — Inquisitoris
« Taurinensis privilegia, tomo 5, pagina 357. — Inquisitores
« Lombardiæ, Januæ, etc., tomo 1, pagina 199. — Inquisito-
« res in Brabantia et Lotharingia, tomo 1, pagina 37. — In-
« quisitores Tusciæ et ducatus Spoletani, tomo 1, pagina 81.
« — Inquisitores Franciæ, tomo 1, paginæ 128, 362, 391,
« 472, 512 ; tomo 2, paginæ 133, 155. — Inquisitores in Bi-
« turicensi, Burdigalensi, Narbonensi, etc., Archiepiscopati-
« bus, tomo 1, paginæ 47, 179. — In comitatibus Pictaviensi
« et Tolosano, pagina 194. — Inquisitores Provinciæ (de la

« Provence), tomo 1, pagina 287. — Inquisitores Parisienses, « tomo 1, paginæ 273, 280, 362. — Inquisitores in regno « Franciæ a provinciali constituendi, tomo 1, pagina 80. — « Inquisitores Franciæ et Provinciæ a Provinciali constituti, « tomo 2, pagina 29. — Inquisitores regni Franciæ et Carcas- « sonensis tabelliones creant, tomo 2, pagina 16. — Inquisito- « res Patavinus et Vicentinus, tomo 2, pagina 64. — Craco- « viensis et Wratislaviensis, pagina 138. — Pragensis et « Olomucensis, pagina 138. — Græciæ, pagina 143. — In « partibus Infidelium, pagina 299. — In Valentiæ regno, « pagina 579. — In regno Trinacriæ unus tantum, pagina 324. « — In Majoricensi regno, pagina 565. — Inquisitores in « regno Poloniæ, tomo 2, pagina 174. — Inquisitores Veronæ « ac Vicentiæ constituti, tomo 5, pagina 206. — Inquisitionis « tribunalia in Galliæ regnum introducit sanctus Ludovicus rex, « tomo 2, pagina 236, constitutione 23, n. 3. »

Unde illud solum opus, quod *Bullarium Dominicanorum* inscribitur, sufficientia recondit documenta ad probandum, in toto generaliter orbe catholico, et speciatim in Gallia, erecta, admissa et in exercitio fuisse delegatæ inquisitionis tribunalia. Et notetur id ex suprema Sedis Apostolicæ auctoritate fuisse actitatum ; ita ut institutio hæc ad generalem Ecclesiæ disciplinam pertinuisse omnino admittendum sit.

§ II.

Quinam sint inquisitores Ordinarii, et an etiam ipsi servare teneantur procedendi formam, delegatæ inquisitionis tribunalibus injunctam?

I. Certum est Episcopum in diœcesi sua posse, vi ordinariæ suæ jurisdictionis, contra hæreticos subditos suos procedere. Sequitur ex ipsamet episcopalis officii natura : ad Episcopum siquidem imprimis spectat extirpare hæreses, et ab ovili suo lupos arcere. Nedum autem quoad hoc aliqua lege ecclesiastica præpedita aut sublata fuerit eorum Ordinaria potestas, ex-

presse e contra id muneris diligenter ab ipsis obeundum sancivit Clemens V his verbis : *Propter quod, ad Dei gloriam et augmentum ejusdem fidei, ut negotium inquisitionis hujusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps ejusdem labis indago solemnius, diligentius et cautius peragetur; ipsum, tam per diœcesanos Episcopos, quam per inquisitores a Sede Apostolica deputatos decernimus exerceri* (Clementina *Multorum* 1, tituli 3, libri 5).

II. Certum est pariter Episcopum esse judicem competentem, etiam quoad exemptos, quando in jus vocantur ob crimen pravitatis hæreticæ. Constat ex capite *Ad abolendam* (9, tit. 7, libri 5 Decretalium), in quo sic decernitur : *Si qui vero fuerint, qui a lege diœcesanæ jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in his quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant judicium; et eis in hac parte tanquam a Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegiis) obsequantur.*

III. An autem Episcopus quoad exemptos in crimine hæresis sit *ordinarius delegatusve* inquisitor, aliquatenus inter doctores controvertitur. Communius tamen existimant eum esse delegatum dumtaxat, ut satis clare arguitur ex modo citato textu. Sed simul adnotant, ejusmodi Episcoporum in exemptos delegatam jurisdictionem *ordinariæ* æquiparari, cum, excepta appellatione (quæ fieri debet ad Papam delegantem, et non ad Metropolitanum), iidem sint effectus cæteri. « Quia tamen (ait Leurenius, « *Forum ecclesiasticum*, in tit. 7, libri 5 Decret., q. 183, n. 2) « hæc delegatio respectu exemptorum facta jure communi Epi- « scopis, non ratione personæ, sed ratione dignitatis episcopalis, « adeoque et successoribus illorum in ea, ideo æquiparatur ju- « risdictioni ordinariæ, ut potius ordinaria quam delegata cen- « senda sit; quamvis quoad appellationem sortiatur naturam « jurisdictionis delegatæ, ita ut a sententia Episcopi, lata in causa « hæresis in exemptos, appellari debeat, non ad Metropolitanum, « sed ad Papam delegantem. »

IV. Sede vacante, capitulum (utpote, ordinariæ Episcopi

jurisdictioni succedens) tanquam ordinarius inquisitor habendum esset. Ipsi tamen prohibitum esse ne causas hæreseos per seipsum judicet, probabilius tenent doctores, ob Clementinam *Ad abolendam* (1, *de Hæreticis*), quæ id satis aperte innuit; et putant expediri hasce causas debere per Vicarium capitularem.

V. De Vicario autem capitulari, ad quem totam transire Episcopi ordinariam jurisdictionem in tractatu *de Capitulis* probavimus, dubium non est quin in causis hæreseos competens sit et *ordinarius* inquisitor. Non tamen poterit, sicut Episcopus, in exemptos procedere; « quia non succedit Episcopo in iis quæ « Episcopo competunt solo jure delegato: ita probabilius. » (Leurenius, loco citato, n. 3.)

VI. « Posse quoque Prælatos quosdam, jurisdictionem quasi- « episcopalem habentes, esse judices ordinarios in causis fidei, « cum Molina tradit Castropalao. » (Leurenius, ibidem, n. 4.)

VII. « Modus vero procedendi, quem in crimine hæresis « observare debet Episcopus, idem est cum eo quem servant « inquisitores (1); idque sive ordinaria sive delegata Episcopi « potestate procedant. » (Leurenius, loco citato, n. 2.) Constat ex decretali *Statuta* (20, tituli 2, libri 5, in 6), in qua unus idemque procedendi modus, expresse tum Episcopis, tum cæteris inquisitoribus servandus præcipitur; et expressius etiam in decretali *Per hoc* (17, tituli 2, libri 5, in 6) ubi sic statuitur: *Sive autem ordinaria sive delegata Episcopi potestate procedant, illum in procedendo modum observent, quem inquisitores possunt et debent, per jura communia vel per speciales concessiones seu ordinationes Sedis Apostolicæ observare.*

§ III.

Quomodo sese habeat jurisdictio inquisitorum delegatorum, tum in seipsa, tum relative ad inquisitores ordinarios seu Episcopos.

Cum jam fere ubique desierint inquisitionis delegatæ tribunalia, cursim dumtaxat et nonnisi ad suppeditandam hac de re

(1) Nempe delegati a Sede Apostolica

notionem quamdam historicam, quomodo in jure determinata existat ejusmodi jurisdictio adnotamus.

1. Constituuntur inquisitores delegati, sive a Papa ipso, sive a Sacra Congregatione generalis inquisitionis. Olim etiam, ex facultatibus a Sede Apostolica concessis, eos constituere poterant Provinciales ordinis Dominicanorum et Franciscanorum; necnon generales in certis regionibus inquisitores.

2. Quoquomodo autem constituantur, remanent semper delegati judices, non autem ordinarii.

3. Potest inquisitor quilibet delegatus sibi constituere vicarium, etiam generalem (vide Leurenium, *Forum ecclesiasticum*, in tit. 7, libri 5 Decret., q. 184).

4. Officium inquisitoris absolute commissum, non expirat morte committentis (idem, ibid., q. 186).

5. Quomodo sese haberent ad invicem jurisdictio inquisitoris ordinarii seu Episcopi, et jurisdictio inquisitoris delegati in eadem diœcesi, satis determinatur sequentibus juris textibus : *Per hoc quod negotium hæretacæ privitatis alicui vel aliquibus ab Apostolica Sede generaliter, in aliqua provincia, civitate vel diœcesi, delegatur, diœcesanis Episcopis, quin et ipsi auctoritate ordinaria vel delegata (si habent) in eodem procedere valeant, nolumus derogari. Verum, ut dictum inquisitionis negotium efficacius, melius utiliusque procedat, concedimus quod per episcopos ipsos et per inquisitores de facto eodem inquiri valeat communiter vel divisim : et, si divisim processerint, teneantur sibi invicem communicare processus, ut per hoc possit melius veritas inveniri : et nisi hoc casu inquisitores in sententiæ prolatione diœcesanis, vel e contra, duxerint deferendum, per utrosque simul sententia proferatur : in qua ferenda, si non convenerint, per utrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam mittatur. Sive autem ordinaria, sive delegata Episcopi potestate procedant, illum in procedendo modum observent, quem inquisitores possunt et debent, per jura communia vel per speciales concessiones seu ordi-*

nationes Sedis Apostolicæ, observare (decretalis *Per hoc* 17, tituli 2, libri 5, in 6).

Ipsum (inquisitionis negotium) *tam per diœcesanos Episcopos, quam per inquisitores a Sede Apostolica deputatos decernimus exerceri. Sic, quod quilibet de prædictis sine alio citare possit et arrestare sive capere, ac tutæ custodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus vel manicis ferreis, si visum fuerit faciendum... Duro tamen tradere carceri sive arcto, qui magis ad pœnam quam ad custodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine inquisitore, aut inquisitor sine Episcopo diœcesano aut ejus officiali (vel, episcopali sede vacante, capituli super hoc delegato), si sui ad invicem copiam habere valeant, intra octo dierum spatium, postquam se invicem requisiverint, non valebit. Et si secus præsumptum fuerit, nullum sit et irritum ipso jure.* (Clementina *Multorum* 1, tituli 3, libri 5.)

6. Si eodem tempore quis citetur ab Episcopo et ab inquisitore, distinguendum an Episcopus agat tanquam Ordinarius, an tanquam delegatus a Sede Apostolica (verbi gratia, eo quod citatus sit exemptus) : si posterius, citatus coram quo maluerit comparere poterit : si prius comparere potius debet coram inquisitore. (Vide Leurenium, in tit. 7, libri 5 Decret., quæstione 185.)

7. « Idem de pluribus Inquisitoribus in eadem provincia « dicendum, quod dictum de Episcopo et inquisitore in eadem « diœcesi, juxta caput *Ut officium, de Hæreticis,* in 6. » (Leurenius, loco citato.)

§ IV.

De objecto inquisitionis, seu quænam causæ criminales processu inquisitionis tribunalibus proprio expediri debeant.

Jurisdictioni inquisitorum subjiciuntur 1° hæretici ; 2° apostatæ a fide ; 3° hæreticorum *credentes*, idest, qui, vel credunt hæreticorum erroribus (suntque proinde et ipsi proprie

hæretici) vel credunt hæreticos esse in bona fide, vel qui frequens commercium cum iis habent, eorum conciones audiendo, eorum libros legendo, eorum conventicula adeundo, etc. ; 4° receptatores hæreticorum ; 5° eorumdem defensores et fautores ; 6° suspecti de hæresi. Sub ea vero *suspectorum* denominatione intelligendi in jure veniunt : *primo*, qui impediunt Sacræ Inquisitionis officium ; *secundo*, qui postquam de se vel de aliis hæresim confessi sunt, postea negant ; *tertio*, qui hæreticorum conciones audiunt et cum eis frequens commercium habent ; *quarto*, religiosi professi, et clerici in sacris, qui matrimonium contrahunt ; *quinto*, qui fidem oretenus negant, propositiones hæreticas proferendo ; *sexto*, qui libros hæreticorum legunt vel retinent ; *septimo*, qui singulis annis peccata confiteri et sacram eucharistiam recipere omittunt ; *octavo*, Sacerdotes sollicitantes ad inhonesta in sacramento pœnitentiæ ; *nono*, qui non ordinati presbyteri missam celebrant ; *decimo*, exercentes astrologiæ judiciariæ artem aliasve divinationes ; *undecimo*, sortilegi, aliique ejusmodi, qui pactum cum dæmone expressum vel tacitum inierunt ; *duodecimo*, qui hostiam consecratam apud se retinent ; *tertiodecimo*, qui cruces vel sanctorum imagines conculcant ; *decimoquarto*, appellantes ad futurum concilium. (Vide quoad præsentem paragraphum Pignatelli, *Novissimæ consultationes*, consult. 126.)

§ V.

Quænam personæ inquisitorum jurisdictioni subjaceant.

I. *Regula generalis.* — « Inquisitores regulariter inquirere « et procedere possunt contra omnes hæreticos, eorumque « credentes, receptatores, fautores, defensores, necnon con- « tra infamatos vel suspectos de hæresi, existentes in provin- « cia, diœcesi, civitate, aliove loco, in quo ipsis officium in- « quisitionis est commissum. Sic itaque exercere possunt hanc « suam potestatem, tam circa personas laicas quam ecclesiasti-

« cas, tam sæculares quam religiosas, hasque etiam exemptas « quoad alia a jurisdictione ordinariorum. » (Leurenius, in tit. 7, lib. 5 Decret., quæst. 184.) Constat autem generalis hæc regula decretalibus *Accusatus* et *Ad abolendam* (tituli 7, libri 5 Decret.), necnon decretali *Ut officium* (*de Hæreticis*, in 6).

II. *Exceptiones ad præmissam regulam.* — 1° Nullus inquisitor delegatus potest procedere contra Episcopum, nisi specialiter hoc ei a Sede Apostolica fuisset commissum. Tenentur tamen inquisitores Episcopum hæreticum, vel de hæresi suspectum, Summo Pontifici denuntiare; et in ordine ad hanc denuntiationem, possunt depositiones testium recipere et Sedi Apostolicæ transmittere. Ita communiter doctores deducunt ex capite *Inquisitores* (*de Hæreticis*, in 6) et ex capite 5 sessionis 24 (*de Reformatione*) Tridentini concilii. Diximus nullus inquisitor *delegatus :* nam ordinarius, idest, Episcopus, si in ipsius diœcesi extet alius Episcopus, qui in hæresim labatur, vel de ea sit suspectus, potest contra eum procedere; ex potestate scilicet ei quoad hoc delegata. per caput *Ad abolendam* (*de Hæreticis*).

2° Nec ordinarii, nec delegati inquisitores procedere possunt contra Sedis Apostolicæ legatos, nuntios, aut officiales. Ita dispositum in extravaganti *Matthæus*, inter communes, *de Hæreticis.*

3° Contra inquisitores delegatos procedi nequit ab aliis inquisitoribus delegatis, neque ab Episcopis. Arguitur ex modo citata extravaganti.

§ VI.

An in causa hæresis possit adhiberi processus summarii forma.

Certum est, in judicandis criminibus ad hæresim pertinentibus, non adstringi inquisitores, sive ordinarios (idest Episcopos), sive delegatos, ad servandam ordinarii criminalis processus formam : sed possunt *summarie* procedere. Constat ex

capite *Statutum* (*de Hæreticis*, in 6), ex constitutione *Cupientes* Alexandri V, et constitutione *Licet ex omnibus* Urbani IV. Quænam autem sit *summarii* processus norma, jam supra expendimus. « Tametsi autem hoc procedendi modo in causis fidei « uti possint Episcopi et inquisitores, non tamen ad sic proce- « dendum obligantur, cum in citato capite *Statutum* dicatur « *concedimus.* » (Leurenius, in titulum 7, libri 5 Decret., q. 188.)

§ VII.

An in causa hæresis, sicut in aliis causis criminalibus, procedi possit, tum via accusationis, tum via denuntiationis, tum via inquisitionis?

Respondendum affirmative, quia quoad hoc nihil speciale seu juri communi derogans sancti officii tribunalibus fuit injunctum.

De facto tamen procedendi modus per viam accusationis non solet adhiberi, eo quod promotor fiscalis in ejusmodi causis accusatoris personam gerat. Atvero si quis nihilominus accusatorem agere vellet, admittendus esset; et tunc ejusmodi accusator libellum suum subscribere in pœnam talionis non teneretur, cum procedi possit summarie (ut superiori paragrapho dictum est), et in summario processu non requiratur ejusmodi formalitas. Si tamen falso accusasse deprehenderetur, puniendus esset. De quo vide Leurenium (in tit. 7, libri 5 Decret., quæst. 188, n. 2).

Procedi ergo solet contra hæreticam pravitatem, sive per viam denuntiationis, sive per viam inquisitionis ex officio, quando nullus intervenit denuntiator.

§ VIII

De necessitate citationis et probationum in processibus sancti officii, necnon concedendæ reo sese defendendi facultatis.

1° Sicut in cæteris criminalibus causis, ita et in processi-

bus sancti officii necessaria omnino est Rei citatio, ut possit sese defendere. Atque iterum citari debet reus ad audiendam sententiam. Omissisque ejusmodi citationibus, processus nullitate laboraret. (Vide Leurenium, in tit. 7, libri 5 Decret., quæst. 188.)

2° Pariter ut possit condemnari reus, requiritur *plena probatio;* neque quoad hoc quidquam particulare habent tribunalia sancti officii. (Vide Leurenium, ibid., q. 189.)

« 3° Nemini potest esse dubium defensiones, exceptionesque « legitimas, et tempus aptum ad illas probandas esse reo conce- « dendum ; quia jure naturali debetur : colligitur ex Clementina « *Pastoralis* (*de Sententia et rejud.*), Clementina *Sæpe* (*de Ver- « borum signif.*), et lege *Ut vim* (ff., *de Justitia et jure*). Quod « adeo verum est, ut reo non petenti debeant supradictæ defen- « siones ex officio judicis concedi... Nam judex ex officio tenetur « reo defensiones quærere, eo quod teneatur veritatem investi- « gare ; sed nulla alia via aptior ad veritatem enucleandam esse « potest quam concessio defensionum jure debitarum ; ergo. » (Castropalao, parte 1, tractatu 4, puncto 6.) Hæc perpetua fuit atque unanimis doctorum sententia ; unde quod toties in acatholicorum scriptis recantatum occurrit, apud sancti officii tribunalia non concedi reo sese defendendi facultatem, egregium mendacium est et mera calumnia. Ex certo illo principio quod reo defensiones concedendæ sint, sic deducit loco citato præfatus auctor :

« Ex his fit primo, concedendam esse indiciorum et probatio- « num adversantium copiam... ; alias non valebit (reus) se de- « fendere, cum præcipue defensio consistat in purgandis con- « trariis indiciis, et depositionibus contrariorum infirmandis.

« Secundo fit, reo dandum esse advocatum... Neque adver- « sus hæc obstat caput finale *de Hæreticis,* in 6, ubi conceditur « inquisitoribus, ut in causis fidei absque advocatorum et ju- « diciorum strepitu et figura procedere possint : quia proce- « dere possunt absque advocatis, dum illorum officium non re- « putatur defensioni rei necessarium ; eaque de causa non datur

« inquisitis de hæresi advocatus, quousque ter moniti ab inqui-« sitoribus de veritate dicenda, negant crimen objectum : tum, « inquam, propter suspicionem et dubium ex negatione prove-« niens, quod crimen objectum verum non sit, datur illis advo-« catus. Unde si manifeste constet inquisitum hæreticum esse, « nullus advocatus ejus patrocinium subire posset, quia esset « hæreticorum fautor et defensor, et perpetuæ infamiæ subjace-« ret. (Cap. *Si adversus, de Hæreticis.*)

« Fit tertio, reo inquisito minori 25 annis dandum esse cura-« torem, ut ejus authoritate accusationi respondeat. »

§ IX.

Quid sibi proprium habeat, quoad appellationem, processus in causa hæreseos.

1° Certum est a jure canonico denegari appellationis beneficium iis, qui per sententiam definitivam declarati sunt hæretici, et ut tales condemnati. Constat ex decretali *Ut inquisitionis* (*de Hæreticis*, in 6), ubi sic decernitur : *Cum tam secundum ordinationem prædecessorum nostrorum, quam secundum legem imperialem, appellationis et proclamationis beneficium expresse sit hæreticis et credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus et defensoribus interdictum.* « Hinc fit, pronuntiatam sententiam « adversus hæreticum, posse statim executioni mandari, nec opus « esse expectare terminum decem dierum a jure concessum ad « appellandum, cum appellatio esse non possit. » (Castropalao, parte 1, tractatu 4, disput. 8, puncto 7.)

Severam esse hancce juris sacri dispositionem negari nequit; atvero injusta nequaquam reputanda est. Sunt enim quædam delicta adeo societati nociva, et subversionis periculum inducentia, ut legislatores omnes prudenter æstimaverint, in iis judicandis concedendam non esse appellationum et plurium instantiarum facultatem. Hac de causa, verbi gratia, apud tribunalia militaria damnatus miles appellare nequit; atque idem ad quoslibet cives extenditur, quando ex malevolorum moliminibus pe-

riclitante republica, suspenduntur ad tempus ordinaria dicasteria, et processus militaris norma toti alicui regioni applicatur. Cum ergo hæresis serpat ut cancer, et populos in fidei discrimen facile adducat, quo efficacius tantum damnum præcaveretur, Ecclesiæ visum est ad id severitatis deveniendum. Equidem aliquando absolute accidere potest, ut quis injuste tanquam hæreticus damnetur, nec possit tunc, ob denegatam appellationem injustitia hæc reparari : sed id minus malum, atque adeo permittendum existimatum est.

Non tamen denegari condemnato ut hæretico recursum ad superiorem, per viam *querelæ et supplicationis*, est communior apud canonistas doctrina. (Vide Leurenium, in tit. 7, libri 5 Decret., q. 107, n. 1.)

2° Posse autem, in causa hæreseos, appellari a sententiis et actibus *interlocutoriis*, communiter tradunt canonistæ. Id tamen, ob dispositionem Tridentinam (de qua supra) circa interlocutorias sententias, restringendum videtur ad casum, quo sententia interlocutoria vim definitivæ haberet, vel damnum inferret per definitivam irreparabile.

§ X.

Quid sibi proprium quoad testes habeat processus in causa hæreseos.

1° Est regula generalis, in causa hæresis admitti etiam testes alias de jure inhabiles; prout sunt excommunicati, perjuri, judæi, hæretici, mulieres, domestici, consanguinei.

2° Non tamen admittuntur inimici.

3° Hinc reus excipere nequit contra *personam* ipsam ejusmodi testium, objiciendo eos esse de jure inhabiles.

4° Potest tamen excipere contra eorum dicta, objiciendo ea esse contradictoria, varia, vacillantia.

5° Quamvis ejusmodi alias inhabiles testes admittantur ad inquirendum, non tamen *sufficiunt ad condemnandum*. Ut enim reus condemnari possit, requiritur plena probatio : hæc autem non habetur per testes ejusmodi, sed dumtaxat per testes inte-

gros, seu omni exceptione majores. Hinc nullam involvit injustitiam dictorum testium admissio, cum ad facilius detegendam veritatem admittantur, non autem ut eorum testimonium pro plena probatione habeatur.

6° Possunt in crimine hæreseos examinari testes lite non contestata, et reo non citato; et valet eorum testimonium quin repetantur parte citata. Sequitur ex eo quod in hujusmodi causis summarie procedi possit.

7° Si tamen reus aliquid opponit depositionibus, vel interrogatoria dedit, repeti debent testes.

8° Facta depositione testium, ea reo notificanda est.

9° Nunquam tamen tenetur judex nomina testium reo manifestare, prout constat ex constitutione Pii IV *Cum sicut*.

Hæc cursim circa testes in causa hæreseos adnotata, vide fuse deducta apud Leurenium (in titulum 6, libri 5 Decret., q. 190 et seqq.), et Castropalaum (parte 1, tractatu 4, disput. 8, puncto 15).

§ XI.

Quid sibi proprium habeat, quoad sententiam, processus in causa hæreseos.

Sententia proferri debet ex *consilio peritorum :* constat ex capite *Ut commissi* (*de Hæreticis*, in 6). Alioquin irrita est.

Periti autem dicuntur theologi vel canonistæ ad hoc vocati; qui ex mandato inquisitoris tenentur, etiam sine ullo salario, consilium præstare.

Juxta communiorem doctorum sententiam, non tenetur inquisitor eorum consilium sequi.

Debet totus processus eis exhiberi, indicatis qualitatibus testium, non tamen eorum nominibus.

Hæc et nonnulla alia ad sententiam relativa, vide apud Leurenium (in tit. 7, lib. 5 Decr., q. 196).

Vide etiam apud Plettenberg (*Notitia congregationum*, p. 625 et seq., edit. Hildesii 1693), ubi descriptam reperies totam seriem processus, prout apud tribunalia inquisitionis fieri solebat.

§ XII.

Quid sentiendum de exprobrata tribunalibus inquisitionis injustitia et crudelitate.

Quam acriter et quanta voluminum mole in ejusmodi institutionem scriptores quamplurimi insectati sint, nemo est qui ignoret. Ad cujus arguendam injustitiam atque barbariem, ubique accensos rogos, sævientem torturam, prætermissas ex jure naturali necessarias formalitates, atque inde manca judicia, ob oculos perpetuo sistunt.

Phantasma tamen prudens quisque si intrinsecus rimetur, et quid in sese fuerit ipsa Ecclesiæ institutio expendat, in fumum atque inanem umbram monstrum evanescere comperiet.

Neque enim hac in re quid identidem judices a recto tramite alicubi exorbitaverint attendendum. Id non ipsa institutio est, sed institutionis abusus. Pronos autem esse homines pro fragilitate sua ad abutendum rebus quam optimis vulgare effatum est. Institutionem ergo ipsam qualem decrevit et probavit Ecclesia, non abusus, quos nedum probaverit, semper abhorruit et damnavit, tantisper expendamus; et num injustitiæ crudelitatisve insimulanda sit exquiramus.

Tribunalium porro inquisitionis institutio præcipue carpi solet ex sequentibus capitibus : 1° ex eo quod multæ ordinarii judicii formalitates omittantur; 2° ex eo quod in testes adhibeantur inhabiles et etiam consanguinei; 3° ex eo quod celentur reo testium nomina; 4° ex eo quod denegetur appellatio; 5° ex eo quod adhibeatur tortura; 6° tandem ex eo quod damnati hæretici pœna mortis olim afficerentur, et igne vivi comburerentur. Atqui ex nullis istis capitibus injustitiæ aut crudelitatis insimulari potest dicta institutio :

I. *Nulla merito objici potest injustitia, ex eo quod summarie procedere queant inquisitores.*—Nam in judicio etiam *summario* servari debent formalitates omnes, quæ de jure naturali in

omni judicio requiruntur ; nec ideo *summarium* dicitur, quod possit judex pro libitu procedere, sed tantum quia omitti possunt eæ ordinarii judicii solemnitates, quæ jure dumtaxat positivo præscribuntur , nec ad justum et rectum judicium necessario adhibendæ sunt. (Vide quæ diximus supra de judicio summario.) Ergo nullum judicium injustum dici potest, ex eo præcise capite, quod summarium fuerit.

II. *Nec injustum dici potest, quod in testes adhibeantur inhabiles et etiam consanguinei.* — Nam de jure naturali id dumtaxat quoad testes requiritur , ut unicuique testimonio non plus ponderis ad probandum tribuatur, quam ex seipso meretur. Quod autem certæ personæ inhabiles ad testificandum declaratæ sint, id positivi juris dispositio est. Cæterum ipsemet actus audiendi quoslibet testes, etiam quam maxime inhabiles, per se nullam involvit injustitiam, et persæpe ad detegendam veritatem utilis esse potest. Quoad tribunalia autem inquisitionis , licet decernatur admitti posse testes , alias de jure communi inhabiles (et etiam filium contra patrem, uxorem contra maritum, etc.), non tamen statuitur sufficere ad probandum ejusmodi testimonia, et ex eis posse reum condemnari; sed ad sententiam condemnatoriam requiruntur, sicut in omnibus aliis judiciis, testes omni exceptione majores. Unde revera perperam ex isto capite injustitia concluderetur.

III. *Nec inde oritur injustitia quod testium nomina reo non manifestentur.* — Quamvis enim *regulariter* exigat naturalis æquitas, reo nota fieri nomina testium, ut contra ipsos excipere valeat, ipsa tamen recta ratio dictat, ab hac generali regula recedendum esse in casu, quo dicta formalitas periculosissimæ alicujus criminum speciei coercitionem impediret. Porro docuerat experientia, id contingere quoad crimen hæreseos. Quamplurimi nempe a testimonio ferendo deterrebantur, metuentes ne in ipsos reus ejusve consanguinei vindictas et gravia damna molirentur. Hinc ne impune hæreticale virus serperet, et quia in casibus extremis prævalere debet certis-

simum juris naturalis principium, *salus populi suprema lex esto*, æquum atque opportunum Sedes Apostolica existimavit, a publicandorum nominum testium necessitate inquisitionis tribunalia eximere. Quam tamen necessariam severitatem aliquatenus temperavit; injungendo scilicet ut nomina *secrete coram aliquibus personis providis et honestis, religiosis, et aliis ad hoc vocatis* exprimerentur (constitutio *Licet* Urbani IV, § 9). Vide hac de re Cardinalem Petra (tom. 3, ad constit. 2 Urbani IV, n. 11 et seq., pag. 309, edit. Romæ 1708).

IV. *Nec inde argui potest injustitia, quod denegetur appellatio.* — Vide rationes expositas supra § 9.

V. *Nec ex eo quod adhibita olim fuerit tortura.* — Solent scriptores acatholici, dum inquisitionis institutionem describunt, incautis lectoribus persuasionem ingerere, proprium quid fuisse ejusmodi tribunalibus torturæ usum. Id porro mendacium est. Omnibus siquidem, tum sæcularibus, tum ecclesiasticis judicibus communis procedendi lex erat, ut criminales causas expediendo, certis in casibus a jure determinatis, torturam adhiberent. Id tunc in omnium populorum moribus et legibus positum; nec aliter recte administrari posse justitiam existimabatur. Cui universali persuasioni sese accommodare, Ecclesiæ etiam prudens et licitum visum est. Unde si torturæ usus injustus fuerit, non deberet injustitia hæc inquisitionis dumtaxat tribunalibus exprobrari, sed cæteris etiam sæcularibus et ecclesiasticis omnium regionum dicasteriis; nec probi scriptoris est proprium alicui institutioni fingere defectum, qui communis extitit.

Item fingunt dicti scriptores potuisse inquisitores pro libitu, et nulla præstatuta norma, torturam adhibere : quod pariter falsum est. Generalis siquidem regula quoad utrumque forum erat, ut adhiberi tortura non posset ad obtinendam rei confessionem, nisi jam obtenta contra ipsum semi-plena probatione, per testem (verbi gratia) omni exceptione majorem.

Jamdudum sublatum esse ex generali consuetudine torturæ usum, non minus quoad omnia ecclesiastica tribunalia, quam

quoad sæcularia, omnino certum est. Imo vitiosum in se fuisse et merito rejectum hunc administrandæ justitiæ modum, inficias non imus. Atvero posita generali (prout erat) populorum persuasione, de necessitate adhibendæ in causis criminalibus torturæ, vituperari nequit Ecclesia quod sese huic persuasioni accommodaverit. Quantumvis enim imperfectus fuerit dictus usus, non tamen in se peccaminosus et intrinsece injustus unquam probabitur. Cum ergo Ecclesia, si ab eo recedere voluisset, scandalum ingessisset, et favoris erga facinorosos insimulata fuisset, prudenter et licite suis etiam tribunalibus eam formam aptavit. Correctis autem dictis populorum moribus, non tantum lubens Ecclesia torturam dereliquit, sed quin posthac semper rejectura sit dubium non est. Hæc si quis velit tantisper æqua lance perpendere, facile concludet tot contorta in inquisitionis institutionem tela nihil aliud arguere quam infensum in Ecclesiam catholicam ejusmodi scriptorum animum; neque eos hujusmodi institutionis injustitiam, sed suam luculenter prodere.

VI. *Nec injustitiæ insimulari debet Inquisitio, ob mortis atque etiam ignis pœnam hæreticis inflictam.* — De stupendo hæreticorum numero, quos (ut declamant acatholici) igne vivos inquisitio consumpsit, fabulas prætermittimus; lectoremque monendo, ut hac in re nonnisi certis atque authenticis documentis fidem adhibeat, ad expendendam propositam juris quæstionem accedimus; num scilicet prava æstimanda sit inquisitionis delegatæ institutio, ob pœnam ignis, pertinacibus hæreticis inflictam.

1. *Pœna mortis in hæreticos, non ab Ecclesia primum, et cum inquisitionis delegatæ institutione, sed longe antea, et a sæculari potestate inducta fuit.* — Qui Justinianeum jus adierit, reperiet in eo dispositum, ut crimen hæreseos inter *publica crimina* numeretur. (Vide in Codice, libro 1, tit. 5, a lege 1 ad 9 exclusive, et a lege 11 ad 22 inclusive.) Reperiet et decretam in hæreticos mortis pœnam: *Manichæo, in loco romano degere deprehenso, caput amputator* (loco citato, lege 11): *Manichæi un-*

dique expelluntor, et capite puniuntor (ibidem, lege 20). Refert Petrus Siculus, noni sæculi scriptor (*Nova Bibliotheca Patrum*, tom. 16, pagina 760, columna 2), anno 1685, Justinianum juniorem Augustum Manichæos flammis extinxisse. Scribit Rodulphus Cluniacensis monachus (tomo 4 scriptorum francicorum Duchesnii, pagina 22) anno 1000 Vilgardum grammaticum, ipsiusque hæreseos sectatores, Ravennæ combustos fuisse. Testis oculatus est idem (suæ historiæ libro 3, capite 8), jussu Roberti regis Francorum, Aureliis anno 1017 Manichæos igne consumptos esse. Hoc eodem anno Tolosæ hæreticos ignis pœna mulctatos legitur in *Fragmentis historiæ Aquitanicæ* (pagina 81 apud laudatum Duchesne). Anno 1118 Alexius imperator Basilium, hæresis *Bongomilorum* parentem, Constantinopoli flammis devorandum tradidit (Spondanus, *Annal. eccles.* ad annum 1118, n. 12). Teste Willelmo Neubrigensi, scriptore coætaneo (libro 1, cap. 19), anno 1148, discipuli heresiarchæ Eon igne in Galliis perierunt. Ergo, ut multa alia hujusmodi facta prætermittam, ante sanctum Dominicum, et inquisitionis delegatæ institutionem, jam aliquatenus invaluerat, legum sæcularium auctoritate sancita, mortis, atque etiam ignis, in hæreticos pœna.

Calvinus ipse, cum in consilium adhibuisset Helvetios Tiguri (Zurich), Bernæ, Scafusiæ, Basileæque, die 27 octobris 1553, Michaelem Servet, de errore damnatum, vivum addixit ignis supplicio. Cumque de hoc agendi modo querela esset orta, totus fuit Calvinus ut legitime factum probaret, et librum divulgavit, quo demonstrat, hæreticos morte puniendos.

2. *Pœnam ignis in hæreticos obstinatos vel relapsos decrevit Fridericus imperator, denegato iisdem appellationis beneficio.* — « Statuimus imprimis ut crimen hæreseos, et damnatæ sectæ « cujuslibet (quocumque nomine censeantur) sectatores, prout « veteribus legibus est indictum, inter publica crimina nume- « rentur; imo crimine læsæ majestatis nostræ debet ab omni- « bus horribilius judicari, quod in divinæ majestatis injuriam

« noscitur attentatum... Investigari volumus diligenter hujus-
« modi scelerum patratores, et per officiales nostros, sicut et
« alios malefactores inquiri; ac inquisitione notatos a viris
« ecclesiasticis et Prælatis examinari jubemus: per quos si
« inventi fuerint a fide catholica, saltem in articulo, deviare,
« ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosi diaboli re-
« lictis insidiis noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erro-
« ris concepta instantia perseverent, præsentis nostræ legis
« edicto damnatos, mortem pati Patarenos, aliosque hæreti-
« cos, quocumque nomine censeantur, decernimus, ut vivi in
« conspectu hominum comburantur. » (In bullario *Dominica-norum*, tom. 1, pag. 126.)

« Statuimus... ut hæretici, quocumque nomine censeantur,
« ubicumque per imperium damnati fuerint ab Ecclesia, et
« sæculari judicio assignati, animadversione debita puniantur.
« Si qui vero de prædictis, postquam fuerint deprehensi,
« territi metu mortis, redire voluerint ad fidei unitatem, juxta
« canonicas sanctiones ad agendum pœnitentiam, in perpetuum
« carcerem detrudantur... Mortis sententiæ ducimus addicen-
« dos, si quos hæreticorum ad judicium tractos, in extremæ
« vitæ periculo hæresim abjurantes, postmodum... eos conti-
« gerit ejusdem morbi spontaneam incurrere recidivam...
« Omne insuper proclamationis et appellationis beneficium ab
« hæreticis, receptatoribus et fautoribus eorumdem, penitus
« amovemus. » (In bullario *Dominicanorum*, tom. 1, pag. 125.) Citatæ leges a Friderico imperatore editæ sunt Patavii, die 22 februarii 1224.

3. *Præmissæ imperiales contra hæreticos sanctiones, Sedis Apostolicæ auctoritate firmatæ fuerunt, et in generalem praxim transierunt.* — Constat bulla *Cum adversus* Innocentii IV (tomo 1 bullarii *Dominicanorum*, pag. 125), in qua sic magistratibus sæcularibus nonnullarum regionum præcipitur: « Cum adversus hæreticam pravitatem quondam Fridericus
« Romanorum imperator promulgarit quasdem leges, per quas
« ne vagetur compesci poterit pestis illa; Nos illas volentes

« ad robur fidei ac salutem fidelium observari, universitati « vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eas... fa- « ciatis singuli in vestris capitularibus annotari..., secundum « eas exacta diligentia processuri. Alioquin dilectis filiis Priori « Provinciali et Fratribus inquisitoribus hæreticæ pravitatis « ordinis Prædicatorum in Lombardia, Marchia..., ut ad id vos « per excommunicationem in personas, et interdictum in ter- « ram, appellatione remota, compellant. » Idem constat bulla *Ad extirpanda* Innocentii IV (tomo 1 bullarii *Dominicanorum*, pag. 209); bulla *Cum super* ejusdem Pontificis, quæ *universis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis* inscribitur, et qua dispositiones constitutionis citatæ *Ad extirpanda*, ab universis Prælatis servari præcipiuntur (ibid., pag. 248); bulla *Cum adversus* Clementis IV (ibid., pag. 460); bulla *Cum adversus* Nicolai IV, qua supra memoratæ leges imperatoris Friderici contra hæreticos, observari jubentur in Arelatensi, Aquensi et Ebredunensi provinciis (tomo 2 bullarii *Dominicanorum*, pag. 22).

4. *Justam esse pœnam ignis in hæreticos, communis fuit doctorum catholicorum sententia.* —« Profecto pœnam ignis in hæ- « reticos justam et debitam esse certum est...; inspecta tum « gravitate delicti in se, tum etiam ingentibus malis quæ « ipsorum occasione oriri semper vidimus, nimirum populo- « rum conjurationes, seditiones et religionis subversiones, ut « rem politice disserentes ostendunt P. Menocchius..., Coc- « chierus... Jure igitur meritoque a Friderico contra ipsos « pœna ignis in his legibus statuitur. » (Cardinalis Petra, tomo3, pagina 9, edit. Romæ 1708.)

5. *Fuit etiam sententia apud doctores catholicos communiter recepta, adesse in Ecclesia potestatem, ignis pœnam in hæreticos decernendi.* « Adesse in Ecclesia potestatem hanc pœnam in- « fligendi in hæreticos, dubio procul est, prout late probant « Bellarminus (tomo 1 Controversiarum, libro 3 *de Clericis*, « cap. 21 et 22), Valentia (tomo 3 Controv., dist. 1, punct. 3), « Suarez (*de Fide*, disput. 20, n. 18, et disput. 23, sect. 1 per « totam)... Si enim rei læsæ majestatis humanæ in conspectu

« populi vivi cremabantur, quemadmodum etiam milites deser-
« tores, quanto majori jure id bene dispositum erit in reos
« læsæ majestatis divinæ, et desertores militiæ christianæ.
« Hinc memoria dignum est quod de Ferdinando Hispaniarum
« rege refert Mariana (libro 12 hist., cap. 11); nempe ipsum
« soluisse propriis manibus ligna pro comburendis hæreticis
« ministrare. Unde deferentes ligna ad hunc finem indul-
« gentias lucrantur, ut tradit Fagnanus (cap. *Ad audientiam*,
« n. 52, *de Homicid.*). » Hæc, citato loco, Cardinalis Petra. Quæ omnia memoramus, ne videamur quidquam de veritate factorum celare.

6. *Inquisitionis tribunalia pœnam mortis in hæreticos non pronuntiabant, sed emissa contra eos sententia declaratoria hæreseos, sæculari potestati plectendos eos relinquebant.* — « Notandum quod licet sacrum inquisitionis tribunal mitioribus
« pœnis (jam a prioribus Ecclesiæ sæculis constitutis) hæreticos
« afficiat, nunquam tamen petit in ipsos capitis seu mortis
« pœnam : civilis enim magistratus istam semper decernit et
« irrogat. » (Editor bullarii *Dominicanorum*, tomo 1, pag. 127, nota 19.)

7. His prænotatis circa pœnam ignis in hæreticos statutam, expendamus an, ob istiusmodi pœnam, inquisitionis tribunalia injustitiæ merito possint insimulari.

Primo, tribunali inquisitionis imputandum non est, quod judex huic tribunali præsidens nunquam fecit, nec ex officio sibi commisso facere unquam debet : atqui inquisitores nunquam mortis aut ignis pœnam in hæreticos ipsi pronuntiabant ; et ex munere suo nunquam ejusmodi sententiam pronuntiare debent : sed ad ipsorum officium dumtaxat pertinet ut pronuntient an quis sit necne hæreticus, eumque, si hæreticum declaraverint, excommunicent, et postea magistratui sæculari tradant, juxta sæculares et canonicas leges plectendum. Quod autem de facto olim principis sæcularis lex, ab Ecclesia approbata, pœnam ignis in hæreticos decerneret et irrogaret, id non statuerant inquisitores : ergo etiamsi nimia, atrox et

injusta æstimanda foret dicta pœna, non inquisitionis institutioni id exprobrandum foret; sed principibus sæcularibus crimini vertendum quod eam sanxerint, et Sedi Apostolicæ quod eam approbaverit et servatam voluerit.

Secundo, sed neque potestates sæculares, ob statutam hujusmodi pœnam, injustitiæ facile insimulabit, qui temporum quo hæc acta sunt rationem, et societatum civilium tunc temporis vigentem formam attenderit. Hoc scilicet principio fundamentali quælibet temporalis respublica nitebatur, ut princeps ante omnia dogmatis catholici seu fidei integritati consuleret; nec ei a populis catholicis concessa suprema potestas censebatur, nisi sub hoc tacito pacto, quod hæreses procul arceret, et tanquam maximum et periculosissimum publicum crimen plecteret. Unde, sicut attento dogmate catholico, maximum flagitium est hæresis, ita attenta fundamentali cujuslibet temporalis reipublicæ constitutione, pro tali in foro sæculari crimen illud haberi et coerceri debebat : cum præcipue experientia docuisset statim imminere seditiones et cædes, ubi hæresibus janua pateret. Hinc quoad ejusmodi principes et catholicos populos, non adeo mirum videri debet, sceleri, quod maximum communi consensu reputabatur, quodque tale est attento dogmate catholico, maximam fuisse irrogatam pœnam.

Tertio, prædictas sæcularis potestatis leges approbare, et sua simul auctoritate firmare potuit Ecclesia, si leges illæ injustæ non fuerint : atqui in memoratis pristinorum temporum circumstantiis, injustas fuisse has leges probari nequit, etsi acerbissimæ in hæreticos videantur, ut modo diximus.

Quarto, scriptori catholico minime licitum reputari debet, Apostolicam Sedem condemnare, quasi pravum quid et injustum patraverit, dum mortis pœnam in hæreticos a sæculari potestate latam, suo assensu firmavit. Nam ejusmodi pœna, quatenus ab auctoritate ecclesiastica approbata, in generalem Ecclesiæ disciplinam transiit, et per plura sæcula viguit. Porro certa et omnino tenenda doctorum catholicorum sententia est, nunquam posse Ecclesiam catholicam quidquam

pravi et injusti in generali sua disciplina admittere. Hinc dupliciter errasse mihi videntur scriptores illi, qui et de se injustam fuisse ignis pœnam in hæreticos olim statutam concedunt, et negant ullas in hoc partes Ecclesiam habuisse. Dum enim hoc modo Ecclesiam ab hæreticorum et acatholicorum dicteriis recte vindicari existimant; revera magis hostilibus in eam oppugnationibus ansam præbent; siquidem imperiales leges de perimendis hæreticis a Sede Apostolica, non tantum approbatas fuisse, sed et eas servare magistratus sæculares ab eadem auctoritate ecclesiastica jussos fuisse, et ita de facto per plura sæcula invaluisse generalem praxim, documenta testantur quamplurima. Unde non negandum partes aliquas in hoc Ecclesiam habuisse, sed negandum pravum fuisse, attentis horum temporum circumstantiis, quod ipsa probavit, et a potestate sæculari jam dispositum servandum præscripsit.

Quinto, cæterum sublata jamdudum et legibus sæcularibus qualibet sanguinis in hæreticos pœna, desiit ipso facto Ecclesiæ statutum de servandis ejusmodi potestatis temporalis dispositionibus. Ecclesia enim pœnas sanguinis neque ipsa exequitur, neque pronuntiat. Imo eas olim non approbavit, nisi quatenus a sæculari potestate jam latas, et ab eadem exequendas. Unde prorsus nugantur, qui hodie fingunt sese reformidare, ne forte reducendam in hæreticos torturam et ignis pœnam Sedes Apostolica, et ii scriptores qui doctrinam romanam tuentur, animo revolvant. Quantum enim abest ut aliquis populus sæcularisve princeps cremandos hæreticos hodie decernat, tantum abest ut Ecclesia id opportunum pronuntiet; cum, ut dictum est, ejusmodi pœnas spontaneo populorum et principum sæcularium consensui decernendas Ecclesia relinquat.

SECTIO V

DE PROCESSU CIVILI FORI ECCLESIASTICI.

Civilis dicitur quilibet processus, qui non est criminalis; ac proinde quoties non agitur ad publicam alicujus delicti vindictam, sed ad obtinendum aliquid aliud, processus civilis est.

Hinc sicut in foro sæculari, ita et in foro ecclesiastico habentur, non tantum criminales, sed et civiles processus. Si nempe causa civilis versetur circa materiam *spiritualem* seu *ecclesiasticam* (verbi gratia, si lis moveatur de valore alicujus matrimonii, vel de jurisdictione alicujus prælati, vel de privilegio alicujus monasterii, etc.), subjacet judici ecclesiastico, et processus in curia ecclesiastica est ventilandus : secus, apud potestatis temporalis curias causa judicanda est. Quænam autem causæ sint ecclesiasticæ et judicibus ecclesiasticis subjaceant, diximus sub prima tractatus parte (sectione 3).

Porro ejusmodi processuum civilium, ad forum ecclesiæ pertinentium, nunc tradenda venit norma. In ea autem expedienda materia multo citius procedemus, quam in criminalis processus disceptatione. Nam multa sunt criminali et civili processui communia, quæ jam de priori agendo, sufficienter exposita sunt. Multa insuper, quæ civilem processum proprie respiciunt, ob materiarum connexionem, de criminali tractando, per transennam attigimus.

Quæ autem de expediendarum civilium causarum norma adhuc tradenda remanent, bifariam distribui possent ; ita scilicet ut 1° traderetur *communis* omnium generatim proces-

suum civilium norma; 2° ut *propria* nonnullis ejusmodi processuum speciebus forma subnecteretur.

Neutrum tamen membrum quoad totam ipsius extensionem lustrabimus; sed minus utilia resecantes, circa *communem* omnibus generatim civilibus judiciis normam, describemus dumtaxat synopsim quamdam totius telæ judiciariæ, in hujusmodi processibus servari solitæ, ea supplendo quæ ad dictos processus pertinent et nondum fuerunt exposita. Postea vero non omnes recensebimus civilium causarum species, in quibus expediendis aliquid *particulare* reperire est in jure præscriptum; id enim et nimis longum, et quoad praxim parum utile foret : sed *specialem* dumtaxat normam expendemus *matrimonialium causarum*. In his enim recte expediendis omnino solertem esse judicem ecclesiasticum, et rei gravitas postulat, et ejusmodi litium in foro ecclesiastico frequentia. Item nonnulla subjiciemus de causis circa nullitatem professionis religiosæ. Quoad cæteras vero civilium causarum species, quid particulare in modo procedendi exigant, dicendum remittimus passim in cæteris tractatibus, ubi de hujusmodi causarum materia quæstio instituetur.

Hinc præsentem sectionem in triplex caput distribuimus; quorum *primum* communem civilis processus telam summatim exhibebit; *secundum* vero specialem indigitabit in causis matrimonialibus procedendi normam; *tertium* denique subjiciet quid servandum sit in causis de professionis religiosæ nullitate.

CAPUT I.

COMMUNIS PROCESSUUM CIVILIUM TELA SUMMARIE DESCRIBITUR.

I. *De libello.* — « Judicium civile principium sumit a libello, « seu comparitione actoris. Ipse enim, sive per se, sive per « procuratorem comparet coram judice, cui porrigit libellum, « in quo petit se debere consequi aliquid ab aliquo, vel instat « aliquid aliud sibi fieri.

« Iste (*libellus*) debet esse clarus, ad hoc ut reus conventus « deliberare valeat, an liti cedere, vel contendere voluerit. « Alioquin Vicarius generalis (sive quilibet alius judex) illum « admittere non debet, sed potius rejicere; quia secundum « illum sunt per actorem ipsum faciendæ probationes, et for- « mandi articuli super quibus examinantur testes ; necnon « judex sententiam dare debet conformem libello. » (Pellegrini, *Praxis Vicariorum*, sub initium secundæ partis.) Ea quæ libellum respiciunt, quoad criminalem simul et civilem processum, expendimus sectione 3, subsectione 2, capite 1.

II. *De citatione rei conventi.* — « Post libelli porrectionem « fit citatio per judicem super eodem, ad hoc ut reus conven- « tus illius petitionis ab actore factæ notitiam habeat ; sine « appositione alicujus pœnæ. Solet tamen in aliquibus curiis « tali casu procedi per viam mandati pœnalis, quod fit ad in- « stantiam actoris aliquid petentis : in quo requiritur ut ap- « ponatur terminus aliquot dierum, cum verbo *peremptorie,* « ad hoc ut reus possit legitime comparere intra terminum « illorum dierum, habita ratione distantiæ loci.

« Ista citatio intimanda est reo de persona (1), si commode « haberi potuerit; alias domi suæ solitæ habitationis exe- « quenda, dimissa copia. Quæ executa altero ex supradictis « modis, fieri debet relatio a cursore, seu ministro curiæ quæ « citavit, super executione. Et hæc (*relatio*) aliquando fit per « notarium in calce ejusdem citationis seu mandati, medio ju- « ramento dicti ministri : aliquando vero scribitur per ipsum- « met ministrum cum sua subscriptione et duorum testium... « Est bene verum quod in quibusdam curiis non expeditur « citatio particularis; sed notificatur reo idem libellus cujus « copiam habere debet. » (Pellegrini, citato loco.)

Quæstiones quæ moveri solent de citatione, et modo illam intimandi, eædem sunt quoad civilem et criminalem processum; easque excussimus sectione 3, subsectione 2, capite 5.

(1) *De persona* , idest, ipsimet citato (à lui *en personne*).

III. *De contumacia rei conventi.* — « Quod si reus conven-« tus citatus non comparuerit in judicio, neque per se, ne-« que per alium suo nomine, ad dicendum et allegandum « quidquid dicere et allegare voluerit, accusantur contra « ipsum contumaciæ : ita tamen ut, si in citatione seu man-« dato appositus fuerit terminus duorum dierum reo ad com-« parendum post intimationem, et citatus fuit prima die « septembris (verbi gratia), prima contumacia accusari debet « die tertia ejusdem mensis, dummodo sit dies juridica, non « festiva; nam tunc accusabitur die sequenti.

« Quod intelligendum est ubi proceditur de jure ordinario, « non in judiciis summariis, in quibus non servatur ordo et « figura judicii; nec proceditur per apices juris, sed sine illis, « sola facti veritate inspecta.

« Ultima vero contumacia incusanda est post lapsum trium « dierum a die primæ contumaciæ accusatæ, si reus conventus « præsens fuerit in loco judicii. Si enim esset extra territorium « judicis, incusari debet infra duos menses : si in territorio « et jurisdictione, sed non in loco judicii, infra mensem ad « electionem actoris ; qui numerandi sunt a die primæ contu-« maciæ.

« Si vero in ultima contumacia reus conventus comparuerit, « vel ejus procurator, aut alius suo nomine, legitime tamen « cum ejus mandato, admittendus erit; et cum illo procedetur « ad ulteriora. At si nemo comparuerit, condemnandus erit in « contumacia. » (Pellegrini, loco cit.)

IV. *De copia libelli.* — « Quod si reus conventus, post ci-« tationem, seu intimationem libelli sive petitionis actoris sibi « juridice factam, comparuerit in curia, habere debet copiam « libelli, ut deliberare possit an cedere vel contendere volue-« rit. » (Pellegrini, loco cit.)

V. *De exceptionibus declinatoriis et dilatoriis.* — « Ex illo « autem tempore allegare poterit reus sua jura, et opponere « exceptiones quas habere prætendet, ante tamen litis con-« testationem. Inter quas primum locum obtinent, quæ perso-

« nam judicis respiciunt et fori declinatoriæ dicuntur; et istæ « judicii vires enervant et declinare faciunt forum, ita ut ad « ulteriora procedi non possit, absque actorum et processus « nullitate : ut si quis privilegium habeat a jure exemptionis, « propter quam dicit de judicis incompetentia.

« Istæ autem exceptiones declinatoriæ et incompetentiæ ju- « dicis opponendæ sunt ante omnes alias : alioquin si oppone- « rentur aliæ exceptiones dilatoriæ vel peremptoriæ, videretur « consentiri in judicem.

« Quod si judicium fundatum remaneat coram eodem judice « qui reum citavit, non obstantibus oppositis, tali casu poterit « reus conventus alias exceptiones dilatorias opponere, quæ « personam actoris respiciunt. Et istæ de sui natura negotium « principale ad longum aliquatenus protrahunt ; prout sunt « exceptio legitimationis personæ procuratoris actoris... Oppo- « nuntur tandem aliæ exceptiones dilatoriæ, quæ causæ seu « actionis qualitatem respiciunt, nimirum ineptitudinis vel « obscuritatis libelli, petendo ut actor illum declaret in tali vel « tali parte ; temporis anticipationis, etc.

VI. *De exceptionibus peremptoriis.* — « Opponere similiter « poterit reus exceptiones peremptorias, quæ quidem non « protrahunt judicium, sed illud omnino cessare faciunt : ut « est exceptio litis finitæ, perjurii, rei judicatæ, transactionis, « nullitatis processus, pacti de non petendo, et aliæ quæ im- « pedimentum præstant, ne ad ulteriora procedi possit in « causa. » (Pellegrini, citato loco.)

De exceptionibus, quoad civilem simul et criminalem proces- sum, satis diximus supra, sectione 3, subsectione 2, c. 7 ; *de reconventionibus autem*, ibidem, c. 9.

VII. *De litis contestatione.* — « Postquam autem oppositæ « et discussæ fuerunt prædictæ omnes exceptiones; et quæ- « dam ex illis admissæ, aut omnes rejectæ extiterint, sive per « judicem, sive per actorem ; vel forsan reservatæ ad merita « causæ, idest, ad decisionem litis; fit litis contestatio. » (Pelle- grini, loco citato.)

Item de litis contestatione egimus simul quoad civilem et criminalem processum, sectione 3, subsectione 3, capite 1.

VIII. « Deinde præstari solet juramentum calumniæ, evi- « tandæ scilicet, tam per actorem quam per reum. » (Pellegrini, loco citato.)

De juramento calumniæ, veritatis et malitiæ, quoad utrumque processum egimus, sectione 3, subsectione 3, c. 2.

IX. *De termino probatorio.* — « Successive datur terminus « in causa ad probandum incumbentia intra aliquot certos « dies, qui est utrique parti communis, videlicet actori ad facien- « das suas probationes, et reo convento ad faciendum suas de- « fensiones. » (Pellegrini, loco citato.) De termino probatorio, necnon de positionibus et articulis, diximus quoad utrumque processum, sectione 3, subsectione 3, capite 4.

X. *De positionibus.* — « Dato termino prædicto, fieri solent « aliquando positiones, super quibus respondendum est per « partem adversam, ad effectum ut releventur ad invicem ab « onere probandi. » (Pellegrini, loco cit.)

XI. *De articulis.* — « Quod si partes per positiones nullum « senserint commodum probationis, producere solent articulos, « super quibus examinantur testes in vim probationum, præce- « dente citatione partis adversæ, ad videndum illos jurare; et « in eodem termino per aliam partem producuntur interroga- « toria; super quibus interrogandi sunt prius testes, ut postea « respondeant articulis. » (Idem, ibid.)

XII. *De testium productione et examine.* — « Post articulo- « rum et interrogatoriorum productionem, fit citatio ad testes, « ut accedant ad curiam, ad se examinandum (1) super illis; « et eodem contextu citatur pars adversa ad videndum ipsorum « testium juramenta de veritate dicenda super contentis in arti- « culis. » (Idem, ibidem.)

XIII. *De testium absentium examine eorumque nominatione.* —

(1) Id est, ut circa veritatem articulorum examinentur et deponant. Non tantum hirsutæ, sed obscuræ etiam quandoque latinitatis est Pellegrinus.

« Ubi vero examinandi erunt testes absentes extra locum judicii, « fierisolet ipsorum nominatio ; et petuntur litteræ commisso- « riales seu missivæ, vel remissoriales ad partes ; quæ (*litteræ*) « diriguntur judicibus ordinariis locorum, in quibus testes « examinandi inveniuntur, dummodo (*ii judices ordinarii par- « tibus*) suspecti non fuerint. Post transmissionem litterarum, « judex remissorialis monet partes ad interessendum judicio « examinis testium ; assignando locum et tempus certum ; et « postea successive servatis servandis, illos examinabit super « articulis actoris et interrogatoriis rei conventi, vel e con- « verso. »

XIV *De publicatione testium.* — « Completis deinde proba- « tionibus, absolutisque testium examinibus, fit publicatio in « causa, per quam manifestantur utrique parti omnia dicta « testium. »

XV. *De repulsa et reprobatione testium.* — « Peracta publi- « catione in causa, et visis per partes collitigantes testium exa- « minibus, peti solet ab altera ex ipsis repulsatio seu repro- « batio ipsorum testium examinatorum. Qua per judicem « concessa, repulsantur intra terminum assignatum testes « pro parte adversa examinati, et approbantur alii examinati « pro se. Terminus autem repulsæ est medietas termini pro- « batorii... ; et currit de momento ad momentum. Expleto « examine testium reprobatoriorum, fit publicatio in causa re- « pulsæ. »

XVI. *De repulsa repulsæ.* — « Deinde si altera pars adversa « reprobare voluerit testes reprobatorios, petere potest re- « pulsam repulsæ, idest, alium terminum ad repulsandum « testes examinatos pro repulsa testium examinatorum in ter- « mino probatorio. Iste autem terminus concedendus est bre- « vissimus... Peracto postea examine, fit etiam publicatio in « hac secunda repulsa ; et tunc regulariter non datur alius « terminus. »

XVII. *De conclusione in causa.* — « Peractis omnibus pro- « bationibus..., fit conclusio in causa. Quæ (*conclusio*) opera-

« tur ne amplius fieri possint aliæ probationes, cum videatur « renuntiatum ulterioribus, quia alias causæ fierent immor- « tales. »

XVIII. *De monitione ad allegandum in jure et in facto.*— « Quibus omnibus expletis, monentur ac citantur ambæ partes, « ad dicendum et allegandum coram judice oretenus et in « scriptis, in jure et in facto, cum advocatis et procuratoribus, « ad effectum discutiendi probationes factas, ut possit tandem « judex ad sententiam devenire. »

XIX. *De modo videndi processum.* — « Deinde judex pro- « duci sibi per notarium causæ facit acta omnia, ad effectum « illa diligenter perscrutandi, ut ex his rectam sententiam pro- « ferre valeat. »

XX. *De citatione ad sententiam.* — « Successive postquam « omnia bene perpenderit ac rimatus fuerit, citare ac monere « tandem faciat ambas partes, ad audiendam sententiam defi- « nitive proferendam. »

XXI. *De sententia.* — « Postremo debet judex sententiam « definitivam secundum sacros canones... proferre ; quæ con- « demnationem vel absolutionem continere debet rei conventi ; « alias non valet. »

XXII. *De executione sententiæ.* — « Post sententiam conse- « quitur necessario, ut si valida fuerit, et ab ea per reum con- « demnatum non fuerit infra decem dies appellatum, debitæ « executioni demandetur; quod quidem in quibusdam causis « succedere solet, non obstante appellatione. » (Pellegrini, sub initium partis 2.)

CAPUT II.

AN ET QUOMODO PROCESSUS CIVILIS A CRIMINALI DIFFERAT, QUOAD REMEDIA CONTRA INJUSTAM SENTENTIAM : UBI DE *querela nullitatis,* ET DE *restitutione in integrum.*

Triplex remedium a jure datum est contra judicem inique

pronuntiantem : querela nempe nullitatis, appellatio, et restitutio in integrum. Duo priora remedia ordinaria vocantur : tertium autem, eo quod regulariter nonnisi deficientibus duobus prioribus concedatur, extraordinarium seu subsidiarium dici solet.

§ I.

De appellatione et querela nullitatis in processu civili.

Quoad appellationem, eadem est civilis et criminalis processus norma. Unde quæ dicta sunt supra de appellationibus, relative ad criminales causas, civilibus etiam applicanda veniunt.

Idem dicendum de *querela nullitatis.* Quod remedium, cum magni momenti sit, atque cursim dumtaxat supra (de criminali processu disserendo) indicatum fuerit, hic plenius exponendum duximus.

Quæstio 1ª.—*Quotuplici modo contingat sententiæ nullitas.* — « Sententia (ait Pellegrini, parte 2, sect. 3, subs. 1, n. 79) « nulla ipso jure dicitur decem modis : primo, ratione judi- « cis. Secundo, ratione jurisdictionis. Tertio, ratione litigan- « tium. Quarto, ratione loci. Quinto, ratione temporis. Sexto, « ratione causæ. Septimo, ratione quantitatis. Octavo, ratione « modi. Nono, ratione processus. Decimo, ratione manifestæ « iniquitatis. »

Sententia est nulla *ratione judicis*, quando judex est publice excommunicatus; quando est infamis; quando mercede corruptus sententiam pronuntiavit; quando est laicus et judicavit in causa ecclesiastica; quando est dumtaxat arbiter et pronuntiavit super alia quam sibi commissa causa; quando est dumtaxat delegatus, et mandatum non sese extendit ad rem de qua pronuntiavit; quando pronuntiavit contra Episcopum in criminalibus absque speciali mandato Sedis Apostolicæ.

Sententia est nulla *ratione jurisdictionis*, quando judex qui illam profert nullam omnino jurisdictionem habet; quando non est competens; quando pronuntiavit ut delegatus, et litteræ delegationis sunt falsæ; quando est delegatus super una causa, et pronuntiavit super alia.

Sententia est nulla *ratione litigantium*, quando prolata est contra minorem qui in judicio interfuit absque tutoris vel curatoris authoritate; quando litigans a jurisdictione judicantis est exemptus; quando pronuntiatum est in favorem actoris excommunicati et denuntiati (secus si contra ipsum); si pro aliquo litigantium intervenit falsus procurator; si sententia prolata sit contra mortuum; si contra aliquem bonis interdictum; si contra fiscum, absente ejus advocato; si advocatus vel procurator partis adversæ, pecunia subornatus est, ut pateretur se convinci.

Sententia est nulla *ratione loci*, quando eam judex profert extra locum suæ jurisdictionis; vel in loco non publico (nisi consenserint partes); vel in alio loco, quam partibus assignato.

Sententia est nulla *ratione temporis*, quando profertur die feriato; item, quando profertur de nocte.

Sententia est nulla *ratione causæ*, quando neque absolutoria, neque condemnatoria rei est. Non alia enim de causa fit judicium, quam ut reus vel absolvatur, vel condemnetur.

Sententia est nulla *ratione quantitatis*, quando judex jurisdictionem habet dumtaxat quoad causas summam aliquam (verbi gratia 50 scutorum) non excedentes, et pronuntiavit de summa majori.

Sententia erit nulla *ratione modi*, si judex eam ferat stando, non autem sedendo (excepto casu quo *summarie* proceditur); item, si eam pronuntiet non scriptam.

Sententia erit nulla *ratione processus*, si proferatur lite non contestata; vel contestatione litis dubia remanente, et parte eam negante; si feratur super probandis et nondum probatis; si feratur postquam fuerit legitime appellatum; si feratur contra primam sententiam, a qua non fuit appellatum; si fe-

ratur contra partem non citatam; generaliter si quid in processu omissum fuerit ex iis, quæ sunt de substantia ordinis judiciarii.

Sententia erit nulla ratione *manifestæ iniquitatis*, si feratur contra jus scriptum ; si contineat manifestum errorem ; si contineat aliquod impossibile ; si obtineatur per subreptionem. De his omnibus nullitatibus vide Pellegrinum (parte 2,. sectione 3, subsectione 1).

Quæstio 2ª. — *Coram quo judice tractanda sit causa nullitatis sententiæ.* — Difficultas nempe in eo est, num tractari possit coram eodem judice qui sententiam pronuntiavit, an vero dumtaxat coram judice appellationis. De quo sint duæ sequentes conclusiones :

1. *Attento juris rigore, dicendum est, et communiter doctores tenent, posse querelam nullitatis sententiæ proponi, tum coram judice ordinario qui sententiam tulit, tum coram judice appellationis.* — Id satis constabit ex adductis nonnullis canonistis, qui jura in probationem citent, et cæterorum doctorum communem sententiam testentur.

Anacletus Reiffenstuel (in tit. 28, libri 2 Decret., n. 28), indicans quomodo differant appellatio et querela nullitatis, sic habet : « Quarto differunt, quia appellatio semper coram supe-« riore proponenda est : nullitas vero sententiæ potest opponi, « vel coram eodem judice (dummodo ordinarius sit) qui senten-« tiam tulit ; vel, si principaliter intentetur, etiam coram judice « superiore : adeo ut hoc sit in arbitrio gravati (lege *Si accusa-« toribus* 4, juncta glossa, *de Accus.* ; lege *Si præses*, c. *Quomo-« do et quando* ; lege 1, ff. *Quæ sententiæ sine appell.*) ; atque « tradit Bartolus... Abbas... Felinus... Scaccia... Gailus, hanc « appellans communem sententiam. »

« Additur tamen notanter, *vel coram eodem judice, dummo-« do ordinarius sit.* Nam hic distinguendum est inter judicem « ordinarium et delegatum : et ordinarius quidem, si adeatur a « gravato et querelante super nullitate sententiæ, potest re-« formare sententiam suam de jure nullam, ac rursus super

« illa causa pronuntiare, conformiter dictis supra... E contra « judex delegatus (quod intellige de delegato ad causam par- « ticularem), postquam semel pronuntiavit, sive bene sive male, « functus est officio suo, sicque cessat ejus authoritas et jurisdic- « tio; ac proinde non potest amplius reformare sententiam « suam nulliter prolatam, sed oportet adire superiorem seu de- « legantem. »

Idem auctor (in titulum 27, libri 2 Decret., n. 135 et seq.) ad quæstionem *qualiter sententia quæ non transit in rem judicatam sit revocanda*, sic tradit : « Post lapsum decem dierum non « potest amplius hujusmodi sententia revocari per viam appel- « lationis, adeundo videlicet superiorem judicem, atque ad « ipsum appellando; sed solum per viam querelæ; puta, adeun- « do eumdem judicem qui hujusmodi sententiam tulit, atque « ipsum debite informando de injustitia sententiæ non trans- « euntis in rem judicatam : quo facto, judex ille dictam sen- « tentiam retractare potest.... Remanet proinde quod sententia « illa, quæ non transit in rem judicatam, post lapsum decendii « solum possit retractari per viam querelæ. Idque fieri po- « test adeundo judicem illum qui tulit sententiam, eidemque « per modum querelæ ac petitionis de retractanda sententia, « utpote in rem judicatam non transeunte, debite propo- « nendo gravamen sibi illatum.... Unde est notabilis diffe- « rentia inter appellationem et inter querelam, in causis non « transeuntibus in rem judicatam. Differunt quidem respectu « temporis : quia appellatio solum potest fieri intra decem « dies post latam sententiam. Querela vero potest proponi « etiam post lapsum decem dierum; potestque dein, cognita « veritate, sententia retractari quandocumque intra spatium « triginta annorum, si in ea non vertatur periculum animæ; « vel si subsit periculum animæ, in perpetuum.... Differunt « etiam respectu judicis : quia appellatio devolvit causam ad « superiorem...: querela vero potest cognosci ab eodem judice « qui sententiam, contra quam pars querelatur, tulerat : atque « is, interposita coram se querela, præmittat summariam ejus

« cognitionem, an videlicet allegetur aliqua verisimilis et pro-
« babilis causa querelandi ; hacque cognita, poterit querelan-
« tem restituere in integrum, eumdemque denuo judicialiter
« audire. Porro concessa restitutione in integrum adversus
« sententiam non transeuntem in rem judicatam, potest ille
« ipse judex qui eam tulerat, ex fortioribus rationibus talem
« sententiam retractare atque reformare : quanquam idcirco
« non negetur, quin querela nullitatis sententiæ etiam possit
« opponi coram superiore judice, si hunc gravatus adire ma-
« luerit. »

Eamdem doctrinam sic reperies brevius expositam apud Engel (in tit. 28, libri 2 Decret., n. 3) : « De nullitate opponi « potest, vel coram eodem judice qui sententiam tulit (lege 1, ff. « *Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur*), vel coram « judice superiore seu appellationis ; qui tunc potissimum adiri « solet, quando nullitas provenit, non ex errore, sed ex malitia « inferioris judicis ; quia tunc erit non facile reformaturus « suam malitiam ; et alias gravatus ad gravantem judicem « remitti non debet (lege *Eos*, c. *de Appell.*). In delegato judice « hoc est speciale, quod is sententiam suam nulliter prolatam « reformare non possit, sed delegans adeundus sit ; quia dele-
« gatus postquam pronuntiavit, sive bene sive male, functus « est officio, et ejus jurisdictio finita est (cap. *In litteris* 13 ; « et cap. *Quærenti* 26, *de Officio delegati*). » Consonat Pellegrinus (*Praxis Vicariorum*, parte 2, sect. 3, subsect. 1, n. 90) : « Debet tractari (causa nullitatis sententiæ), coram eodem « judice, qui potest jure ordinario pronuntiare (capite 1, *de* « *Sententia et re judicata;* capite *Dilecto, de Appellationibus;* « et lege 1 codicis, *de Sent. et interloc. omn. jud.*). Poterit ta-
« men pars, si voluerit, appellare ; et tunc judex appellationis « poterit pronuntiare sententiam esse nullam (capite *Licet* « *de Sentent. excomm.*, in 6 ; — lege *Quædam mulier*, ff. *Fa-*
« *miliæ erciscundæ*). Sed erit utilius, prius agere de nullitate « sententiæ coram eodem judice, quam coram judice superiore ; « quia si idem judex retractaverit sententiam, utile negotium

« agit : si vero non retractaverit, potest uti remedio appella-
« tionis. »

Idem tradit Schmalzgrueber, tum pluribus aliis locis, tum n. 78 et 79 in titulum 27, libri 2 Decretalium ; ubi ad quæsitum, *quem effectum sententia producat ex parte judicis,* sic respondet : « Facit ut judex officio suo censeatur functus, sic, ut senten-
« tiam a se latam revocare aut corrigere nequeat... ; nisi omnino
« fuerit nulla... Dixi *nisi fuerit omnino* nulla : nam si ipso jure
« nulla sit, revocare eam et corrigere judex potest : et ratio est
« quia nullam proferendo, judex nondum functus est officio suo
« (lege *Si accusatoribus* 4, c. *de Accusat. et inscript.* ; lege *Si*
« *ut proponis* 5, c. *Quomodo aut quando jud.*). »

Cæteros doctores si adeas, reperies in hac re omnino concordes. Attento nempe jure scripto, *unanimiter tradunt* posse querelam nullitatis sententiæ tractari tum a judice ipso qui sententiam nulliter tulit (modo tamen is ordinarius sit, non delegatus), tum a judice appellationis.

II. *Nihilominus hodie, ob contrariam generalem consuetudinem, causa nullitatis sententiæ a solo judice appellationis judicanda est.* — Hanc consuetudinem jam suo tempore *fere generalem* fuisse testatur Gailus (libro 1, *Pratic.*, observat. 127, n. 7), prout refert hoc modo Reiffenstuel (in tit. 28, libri 2 decret., n. 31) : « Notat tamen Gailus quod hodie ex usu fori ubi-
« que ferme obtinuerit, quod superior sive judex appellationis,
« super nullitate principaliter cognoscenda adeatur : præser-
« tim si nullitas ex malitia vel turpitudine judicis inferioris pro-
« venerit, et non aliunde, puta ex errore aliquo. Quinimo in
« tali casu iniquum foret, ut idem ipse suæ iniquitatis aut tur
« pitudinis cognitor existeret ; et forsan hanc malitiose occul-
« tando ulterius reum gravaret : nam cæteroquin etiam gravatus
« non debet remitti ad judicem gravantem (lege *Eos qui*, c. *de*
« *Appell.*).»

Jam vero hodiernis temporibus omnino generalem evasisse, atque in regulam transisse consuetudinem illam, ut ad solum appellationis judicem causa nullitatis sententiæ deferatur, non

autem ad judicem qui sententiam nulliter pronuntiavit, in dubium revocari nequit. Et merito quidem ita fuit ubique inductum : nam quantumvis verum sit, metaphysice loquendo, per sententiam nullitate laborantem judicem non fungi officio suo; ac proinde (dum eamdem causam iterum judicat) non committi vitium quod vocant *bis in idem;* quoad praxim tamen et effectus inde sequentes, idem contingit ac si vitium illud revera committeretur. Esto *nulliter judicasse,* in aliquo sensu idem sit ac *non judicasse :* verum nihilominus remanet, judicem illum perperam pronuntiasse. Porro ad corrigendam pravam sententiam, ipsummet rationis dictamen indicat recurrendum potius esse ad judicem superiorem, quam ad illum ipsum qui erravit. Hoc ipso enim quod erraverit, legitime præsumitur iterum perperam pronuntiaturus; unde aliquatenus dedecet et bono publico contrarium est, ut in judicem quoad eamdem causam assumi possit; cum aliunde pateat superius tribunal, nullis ejusmodi inconvenientibus obnoxium.

Quæstio 3ª. — *Intra quod tempus proponi possit querela nullitatis sententiæ?* — « Potest dici de nullitate usque ad triginta « annos; sed non ultra; cum omnis actio dicto tempore præscri« batur. » (Pellegrini, parte 3, sect. 1, n. 58.) Admittitur generalis hæc regula unanimiter a doctoribus. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 27, libri 2 Decr., n. 64; necnon Engel, in tit. 28, lib. 2 Decr., n. 7.) Sequitur ex eo quod sententia nullitate laborans in rem judicatam nunquam transeat, prout etiam adnotant doctores communiter. Ab ea vero generali regula excipit Pellegrinus (loco citato) sequentes casus : 1° si nullitas deducatur per modum exceptionis; quia tunc non limitatur ad 30 annos, cum omnes exceptiones sint perpetuæ; 2° quando actus est ipso jure nullus, « quia tunc etiam perpetuo potest de nullitate dici; » 3° quando per statutum vel per consuetudinem aliter alicubi disponeretur; 4° « quando nullitas proveniret ex defectu jurisdi« ctionis vel mandati; quia tunc usque ad mille annos de nulli« tate dici potest. »

Nota. Posse cumulari querelam nullitatis cum appellatione

ab injusta sententia; hac, verbi gratia, formula : *Dico sententiam esse nullam; et, si forte talis non sit, appello.* (Vide Engel, loco cit., n. 6.)

§ II.

De restitutione in integrum.

Quæstio 1ª. — *Quid sit?* — Est actus quo, qui læsum se contendit, per officium judicis reducitur in eum statum, in quo foret si asserta læsio non contigisset. Ita quoad sensum doctores communiter ; apud quos vide varios Justinianei juris textus, eamdem notionem exprimentes.

Certum est restitutionem in integrum non fuisse legibus inductam, nisi tanquam remedium extraordinarium et subsidiarium : unde *regulariter* concedi non debet, nisi quando læsis præcluditur quodlibet ordinarium ad repellendam injustitiam medium. Dicimus *regulariter :* nam « hanc regulam, quod re- « medium extraordinarium non detur, nisi ordinario deficiente, « limitant doctores (1), *nisi extraordinarium sit pinguius.* » (Engel, in tit. 41, libri 1 Decr., n. 2.)

Quæstio 2ª. — *An restitutio in integrum locum habeat in causis dumtaxat civilibus, non autem in criminalibus?* — Ut remedio restitutionis in integrum locus esse possit, « requiritur, « ait Schmalzgrueber (in titulum 41, libri 1 Decret., n. 2), ut « negotium ex quo restitutio petitur, sit negotium civile : nam « in criminalibus et delictis restitutio denegatur (lege *in Crimi-* « *nalibus* 1, c. *Si adversus delict.*), ubi ratio datur, quia *malo-* « *rum mores infirmitas animi non excusat.* »

Quæstio 3ª. — *Quibus personis possit, aut debeat concedi restitutio in integrum?* — Respondeo : 1° *minoribus*, et iis qui jure minorum gaudent, concedi debet restitutio in integrum, si con-

(1) Hæc limitatio tamen intelligenda est dumtaxat de *minoribus* et aliis jure minorum gaudentibus.

stet ipsos læsos fuisse ; atque etiamsi læsio ex ipsorum culpa contigerit. « Beneficium restitutionis (ait Schmalzgrueber, in tit. 41, « libri 1 Decret., n. 8) competit *minoribus*, seu iis qui 25 annos « ætatis nondum impleverunt (capite *Constitutus* 8, *de In inte-* « *grum restit.* ; et lege *Hoc edictum*, et sequentibus, ff. *de Mi-* « *noribus*) ; ubi etiam ratio additur, quod *fragile* sit *et infirmum* « *hujusmodi ætatum consilium, et multis captionibus supposi-* « *tum, multorum insidiis expositum.* »

Dicto autem minorum jure gaudent *Ecclesiæ* ; quo nomine veniunt etiam monasteria, hospitalia, et alia loca pia ; necnon et *universitates*. Textus juris quibus id sancitur, vide apud Schmalzgrueber, loco citato.

Respondeo 2° : etiam *majoribus* concedi potest et debet restitutio in integrum, dummodo concurrant tres sequentes circumstantiæ : *primo*, ut constet ipsos læsos fuisse ; *secundo*, ut probent læsionem ex ipsorum culpa non contigisse, ac proinde ostendant justum aliquod impedimentum, ex quo ipsis imputari non debeat quod læsionem non repulerint ; *tertio*, ut ipsis jam non pateat remediorum ordinariorum via ad repellendam læsionem.

Censetur autem quis *ex justa causa* læsionem sibi illatam non impedivisse, *primo*, si absens fuerit reipublicæ causa ; *secundo*, si absens fuerit propter justam mortis vel cruciatus metum, vel propter infirmitatem, vel propter grassantem pestem, vel propter captivitatem aut violentam quamlibet detentionem ; *tertio*, si sit persona in qua juris ignorantia supponitur et toleratur, quales sunt mulieres et rustici ; *quarto*, si quacumque de causa in eo statu fuit, ut non potuerit jus suum defendere. Hæc variis juris textibus firmant doctores ; inter quos vide Schmalzgrueber (in tit. 41, lib. 1 Decret., n. 9).

Quæstio 4ª. — *Quinam sint actus contra quos concedi valeat restitutio in integrum?* — Respondeo 1° : regula generalis est, locum esse restitutioni in integrum contra quoslibet actus civiles, validos et rescindibiles, quibus læsus est, qui ejusmodi remedii privilegio gaudet. Hinc datur restitutio in integrum, 1° ad-

versus emptiones et venditiones, etiam facta solutione; 2° adversus permutationes, locationes, conductiones, societates, mutua, et quoscumque alios onerosos contractus; 3° adversus compromissum in judicem; 5° adversus donationem, etiam ex causa, verbi gratia, remunerationis; 6° adversus aditionem hæreditatis, si damnosa; vel repudiationem, si utilis fuisse hæreditas appareat (modo tamen res sit adhuc integra); 7° adversus sententiam; 8° adversus appellationis fatalia; 9° adversus usucapionem. Vide id firmatum apud canonistas, ubi explanant titulum 41, libri 1 Decretalium.

Respondeo 2°, a præmissa generali regula excipi nonnullos actus, contra quos non datur, etiam minoribus, restitutio in integrum. Ejusmodi sunt : 1° matrimonium. Quantumvis enim quis, etiam minor, ex matrimonio contracto læsus fuerit, nullo remedio ei succurri potest ut restituatur in statu libertatis, quia matrimonium est indissolubile. 2° Si minor veniam ætatis impetraverit, contra actus postea gestos non habere poterit restitutionem in integrum, nisi in iis casibus et cum eis conditionibus, quibus illam habere posset, si foret major. 3° Idem est si, major factus, actum ratum habuerit. 4° Item si, licet minor, actum juramento firmaverit, ob religionem nempe juramenti (capite *Cum contingat* 28, *de Jurejurando;* capite *Quamvis* 2, *de Pactis*, in 6; lege *Si minor* 1, et authentica *Sacramenta puberum*, c. *Si adversus vendit.*). 5° Si minor simulavit se esse majorem, ut alium ad contrahendum induceret. 6° Si beneficio restitutionis in integrum minor juramento renuntiaverit. 7° Contra professionem religiosam concedi restitutionem in integrum, etiam elapso quinquennio, et non obstante Tridentino in contrarium decreto, vide probatum infra (hujus sectionis capite 4, § 2). 8° Si læsio non sit notabilis, non datur restitutio in integrum.

Quæstio 5ª.—*Quomodo minores a majoribus differant quoad beneficium restitutionis in integrum?* — Ex dictis, non tantum minoribus, et iis qui minoribus æquiparantur (verbi gratia, ecclesiis et locis piis) competit beneficium restitutionis in in-

tegrum ; sed etiam quibuslibet aliis, si in certis circumstantiis et conditionibus versentur. Est tamen minores inter et cæteros notabilis disparitas. « Quadruplex maxime assignatur discri- « men : 1° minoribus, et cæteris qui jure minorum gaudent, « ut remedio hoc succurratur, sufficit si constet quod læsi « sint, vel hoc legitime sit probatum. At majores, ut restitui « possint, præter læsionem, opus est accedere justam causam, « verbi gratia, absentiæ reipublicæ causa, infirmitatis, etc., « ob quam læsio acciderit, et ipsis imputari nequeat (juxta « clausulam *Si qua alia justa causa*, legis *Hujus*, ff. *Ex quibus* « *causis maj.*). 2° Minor, vel Ecclesia, si graviter læsa sit, ex « officio judicis in integrum restitui debet, etsi nemo sit qui « petat : at majoris restitutio ad instantiam potius quam ex « officio judicis datur. 3° Majoribus non succurritur per bene- « ficium restitutionis in integrum, quando suppetit remedium « appellationis, vel aliud ordinarium, quo læsioni occurrant : « at minoribus et iis qui jure minorum gaudent, beneficium « hoc indulgetur, etiam cum aliud remedium habent. 4° Mi- « nor restituitur, quamvis tutore vel curatore interveniente « læsus sit... : at major, si absens procuratorem ad sua negotia « et lites reliquit, non restituitur. » (Schmalzgrueber, in tit. 41, libri I decret., n. 13.)

Quæstio 6ª. — *Quinam judices restitutionem in integrum possint concedere ?* — Quoad hanc quæstionem imprimis attendendum est ad caput 9, tituli 41, libri 1 Decretalium, tenoris hujuscemodi : *Causa restitutionis in integrum coram judicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis, tractari poterit et finiri, sive hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commisso eis negotio contingat incidere hujusmodi quæstionem. Delegati vero ab ordinariis, qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem judicandi, seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter.* In hac decretali difficultatem faciunt illa verba *judicibus ordinariis administrationem habentibus*, quorum sensus nisi prius determinetur, clare solvi nequit

proposita quæstio. Ex communi autem interpretum doctrina, per ordinarios *administrationem habentes*, ibi designari censendi sunt ordinarii, *territorium et mixtum saltem imperium habentes;* quales sunt, verbi gratia, Episcopi et cæteri Prælati jurisdictionem quasi-episcopalem obtinentes: ad distinctionem nempe eorum qui judicandi simpliciter potestatem habent, absque territorio et imperio. « Quænam sit differentia inter judicem « administrationem habentem, et non habentem..., explicat « Panormitanus : quod nimirum judices administrationem « habentes dicantur illi, qui habent certum territorium, seu « districtum, in quo jurisdictionem exerceant, uti Episcopi... : « administrationem vero non habentes illi sint, quorum juris- « dictio est fundata tantum in personis ; sicut exemplum ponit « in doctoribus profitentibus, qui habent jurisdictionem in « scholares, sine administratione territorii : item exemplum « esse potest in præpositis et superioribus collegiorum et com- « munitatum, qui in illos qui de communitate sunt jurisdi- « ctionem exercent. » (Engel, in tit. 41, libri 1 Decret., n. 8.) His prænotatis, ad propositam quæstionem

Respondeo 1°. Solent canonistæ, ubi titulum 41, libri 1 Decretalium explanant, advertere, hodiernis moribus « obti- « nuisse in pluribus provinciis ut restitutionem in integrum « (quasi non tam sit justitiæ quam gratiæ) solus princeps aut « supremum ejus consilium concedat. » (Leurenius, in dictum titulum, q. 1079, n. 1.) Atvero id intelligendum de curiis sæcularibus. Quid vero sentiendum de curiis ecclesiasticis dicimus infra quæstione octava.

Respondeo 2°. Restitutionem in integrum possunt concedere ordinarii, habentes territorium cum imperio saltem mixto. Constat ex citata decretali *Causa;* ubi expresse decernitur posse causam restitutionis tractari et finiri coram judicibus ordinariis *administrationem habentibus;* quibus vocibus designari ordinarios territorium cum mixto imperio habentes, supra adnotavimus. Possunt ergo Episcopi, et Prælati jurisdictionem quasi-episcopalem habentes, dictam restitutionem

concedere. An autem id possint etiam Vicarii generales vi officii sui et absque speciali ad hoc mandato, negant plures, eo quod, ut putant, ejusmodi facultas in generali eorum mandato non comprehendatur : sed *affirmant alii probabilius*, ait Leurenius (in tit. 41, libri 1 Decret., q. 1079, n. 1).

Respondeo 3°. Restitutionem in integrum possunt etiam concedere judices delegati, in duobus casibus : *primo*, si id eis specialiter fuerit commissum ; *secundo*, quando in negotio ipsis commisso *incidenter* contingit quæstio restitutionis in integrum. Id expresse statuitur in supra transcripta decretali *Causa*.

Respondeo 4°. Restituere in integrum potest etiam delegatus ad universalitatem causarum, et territorium habens cum administratione ; quia talis delegatus Ordinario æquiparatur. Non potest tamen, ait Schmalzgrueber (in tit. 41, libri 1 Decret., n. 16), restituere contra sententiam definitivam a seipso latam : « Nam hoc nullus delegatus judex potest, nisi ipsi specialiter « commissum sit ; quippe qui, post latam a se sententiam, cen- « setur functus officio suo. »

Respondeo 5°. Alii præter memoratos judices restitutionem in integrum concedere nequeunt.

Nota. Dum asserimus supradictos judices posse restitutionem in integrum concedere, subintelligitur *dummodo alias sint competentes*. Unde ulterius expendenda venit.

Quæstio 7ª. — *Inter judices, qui possunt in integrum restituere, quisnam habendus sit tanquam competens quoad unumquemque casum ?* — « Regulariter loquendo restitutio in integrum « petenda est a judice illius, contra quem, seu in cujus præjudi- « cium petitur restitutio ; eo quod actor forum rei sequi « debeat. » (Leurenius, in tit. 41, libri 1 Decret., q. 1079, n. 2.) Est autem generalis illa regula apud canonistas unanimiter recepta : ex illo scilicet fundamento, quod restitutionem petens pro actore habendus sit ; ille vero contra quem petitur, pro reo. Textus juris hac de re afferri solitos, vide apud Leurenium, citato loco.

Diximus *regulariter loquendo*, ob excipiendos sequentes

casus : *primo*, si ecclesia petat restitutionem in integrum contra laicum, non tenetur adire judicem sæcularem, cujus jurisdictioni subjacet ille laicus ; sed ob privilegium suum speciale potest restitutionis causam movere coram judice ecclesiastico. Vide id probatum apud Leurenium (in tit. 41, libri 1 Decret., p. 1079, n. 2). *Secundo*, quando petitur restitutio contra aliquem contractum, non est necessario adeundus judex loci, in quo domicilium habet ille contra quem restitutio petitur; sed potest etiam adiri judex loci in quo celebratus est contractus, et judex loci in quo res sita est. Vide id probatum apud Schmalzgrueber (in tit. 41, libri 1 Decret., n. 38).

Quæstio 8ª. — *An judices ordinarii qui possunt restitutionem concedere, id etiam valeant contra definitivam sententiam a se ipsis prolatam?* — Respondeo 1°. Si attendatur ad solas juris scripti dispositiones, dubium non est memoratos ordinarios etiam contra propriam suam definitivam sententiam posse restituere. Nam citatum caput *Causa* (9, tituli 41, libri 1 Decret.) expresse decernit, absque ulla limitatione, posse causam restitutionis in integrum tractari et finiri *a judicibus ordinariis administrationem habentibus*. Unde merito adnotat Engel, *noti juris esse, quod restitutio quoque adversus sententiam definitivam, ab eodem judice qui eam tulit, fieri possit* (in tit. 41, libri 1 Decret., n. 7).

« Magistratus, ait Devoti (libro 3, tit. 16, § 6) adversus « suam, aut judicis inferioris, parisve potestatis sententiam « restituit : inferior autem magistratus contra superioris senten- « tiam restituere non potest. »

Respondeo 2°. Quod supra diximus de causa nullitatis sententiæ (quæ scilicet hodie, ob generalem consuetudinem, non judicatur a judice qui sententiam tulit, sed a superiore), applicandum pariter venit præsenti quæstioni de restitutione in integrum. Quantumvis enim, attento jure scripto, eam restitutionem concedere valeat judex qui sententiam pronuntiavit, prævaluit jamdudum consuetudo, ut nonnisi a Principe (id est

a Sede Apostolica), vel a judice appellationis concedatur. Quæ consuetudo ita generalis evasit, ut pro regula hodie habeatur. Atque merito ea etiam juris communis moderatio inducta est. Non enim institutum fuit restitutionis in integrum remedium, nisi ut reparari possit damnum per injustam sententiam illatum. Porro judex, qui sententiam pronuntiavit, timendum habet, ne aliquatenus in opinione publica vilescat, si perperam se pronuntiasse fateatur : unde nec facile concedet restitutionem in integrum; et, si eam concedat, et causam iterum judicet, non facile priorem sententiam mutabit. Ergo multo magis decet, et bonum publicum aliquatenus expostulat, ut pro concessione restitutionis in integrum adiri debeat judex superior, atque ut is (non vero qui jam judicavit) causam iterum cognoscat et dirimat.

Quæstio 9ª. — *Quodnam concedatur tempus ad petendam restitutionem in integrum, et quomodo tempus illud sit computandum?* — 1° Certa est generalis regula, concedi a jure quadriennium (lege finali, c. *de Temp. in integr. restit.*); atque illud quadriennium est *continuum*, ita scilicet ut in eo computari debeant etiam dies feriales.

2° « Minori numerandum est (illud quadriennium) ab anno « vigesimo quinto ætatis completo, quo minor esse desinit, « usque ad annum 29 completum; nisi veniam ætatis impetra- « verit; tunc enim a die quo venia ætatis obtenta fuit et inti- « mata quadriennium numerari eidem debet. »

3° « Ecclesiæ, civitati, et aliis qui jure minorum gaudent, « incipit currere a die factæ (et, ut aliqui putant, innotescentis) « læsionis; ut statuitur capite *Ecclesia* 1, et sequentibus, tituli « *de In integrum restitutione*, in 6. Excipitur, nisi aut prævari- « catio, aut fraus manifesta, aut alia rationabilis causa judicem « moveat ad quadriennium extendendum. »

4° « Majoribus concessum computari debet a die, quo cessat « causa absentiæ, vel alterius impedimenti, propter quod eis « conceditur restitutio. (Lege *In his* 1, et lege finali, c. *de* « *Temp. in integr. restit.*) Excipitur restitutio ex causa metus

« et doli : illa enim anno, hæc biennio continuo finitur. » (Schmalzgrueber, in tit. 41, libri 1 Decret., n. 39.)

Quæstio 10ª. — *Quibus in casibus, non obstante præmissa generali regula, etiam lapso quadriennio restitutio concedi possit?* — Ecclesiæ conceditur restitutio, etiam post quadriennium, *primo*, si hoc quadriennio adhuc vixerit Prælatus, cujus contractu Ecclesia læsa fuit : *secundo*, si frequentes et repentinæ Prælatorum mutationes hoc quadriennio factæ sint : *tertio*, si læsio fuerit enormis. (Vide hæc apud Schmalzgrueber, in tit. 41, libri 1 Decret., n. 40.)

Minoribus autem et majoribus, elapso quadriennio, non conceditur restitutio. (Ibid., n. 41.)

Quæstio 11ª. — *An restitutio in integrum contra sententiam judicis, suspendat ejus executionem?* — « Dicendum est, quod « restitutio regulariter suspendat executionem; nisi ex con- « jecturis præsumi posset, quod ea tantum ad protelationem « litis peteretur. » (Engel, in tit. 41, libri 1 Decret., n. 10.)

CAPUT III.

NORMA PROCEDENDI IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

Antequam specialem in expediendis causis matrimonialibus adhibendam normam exponamus, præmittendum est, quænam causæ *matrimoniales* proprie dicantur, et judici ecclesiastico subjaceant.

« Proprie hoc nomine (ait Schmalzgrueber) veniunt illæ, « quibus controversia et quæstio est, de matrimonii et spon- « salium natura, qualitatibus, contractu et benedictionibus « nuptialibus : de conjugum et sponsorum juribus et obliga- « tionibus, ortis ex contractu sponsalitio vel matrimoniali : « de sponsalium et matrimonii valore, et de legitimitate pro- « lium ex isto orta : de ipsorum impedimentis : dispensatio- « nibus in hujusmodi impedimentis : ipsius matrimonii vel

« sponsalium ob ista (impedimenta) dissolutione aut redinte-
« gratione, etc. Nam de his et similibus, sicut leges condere,
« ita et controversias super illis exortas decidere ecclesiasticæ
« est potestatis. Contra ad forum sæculare et judices sæcula-
« res pertinent causæ, quibus de dote, et propter nuptias
« donatione, de hæreditaria successione, alimentis et simi-
« libus agitur; ut ex communi sensu docet Bellarminus...,
« Pirrhing..., Viestner... Excipitur, nisi hujusmodi quæstio
« incidat in causam matrimonialem proprie dictam, quæ princi-
« paliter agitatur; hoc enim casu, cognoscere de hujusmodi
« causis et pronuntiare judex ecclesiasticus potest. » (Schmalz-grueber, in tit. 18, libri 4 Decret., n. 6 et 7.)

Quibus prænotatis dicemus, 1° de causa restitutionis in materia matrimoniali; 2° de actoribus et testibus admittendis vel rejiciendis in causis matrimonialibus; 3° de norma procedendi a Benedicto XIV statuta in causis nullitatis matrimonii; 4° de norma speciali procedendi in causa nullitatis ex impedimento impotentiæ; 5° de modo concedendæ dispensationis pro matrimonio rato non consummato; 6° de norma procedendi ut constet contracturos matrimonium esse in statu libero. In his enim omnibus, non communis processuum civilium forma, sed diversa et particularis fuit a sacris canonibus sancita, quam judex ecclesiasticus apprime callere debet, ne alias in vitia nullitatis impingat, vel illicite procedat.

§ I.

De causa restitutionis quoad matrimonium.

Quæstio 1ª.—*Quotuplici modo quoad matrimonium spolium contingere, ac proinde causa restitutionis oriri possit.* — « Spo-
« lium in causa matrimoniali contingit, non tantum per alium
« tertium qui vi aufert conjugem a conjuge, sed etiam fieri
« potest ab ipsis conjugibus inter se, et hoc tripliciter maxime.
« 1° Quando conjux propria authoritate recedit a conjuge :
« nam sic recedendo privat illum jure suo quod habet ad ob-

« sequia conjugalia, ab altero sibi exhibenda : 2° quando uxor « propria authoritate discessit a marito ; sed facti pœnitens « ad illum redire vult ; nam si ita revertentem maritus non « recipiat, spoliasse illam censebitur ; eo quod nulla temeritas « aut culpa conjugis (excepto adulterio) per se directe et per- « petuo deroget juri matrimoniali : 3° quando uxor expulsa « quidem est a marito, sed ab hoc postea revocatur, revocata « autem redire non vult. » (Schmalzgrueber, in tit. 13, libri 2 Decret., n. 57.)

Quæstio 2ª. — *Si maritus uxorem expulerit, et postea revocet ; hæc autem redire nolit ; et maritus petat se restitui in possessione uxoris suæ ; an judex ecclesiasticus debeat hanc restitutionem decernere ?* — Respondendum affirmative, et est communis doctorum sententia. (Vide Schmalzgrueber, loco citato, n. 58.) Quamvis enim in aliis materiis, ille qui rem suam expellit, animo amittendi ejusdem rei possessionem, eam possessionem revera amittat, aliter tamen currit quoad matrimonium. Possessio nempe reciproca conjugum naturam sequitur ipsiusmet matrimonii ex quo fluit : matrimonium autem nequit ex solo consensu destrui ; et hinc est quod neque dicta possessio ex tali consensu amittatur : unde quamvis maritus uxorem expellens renuntiet possessioni quæ ipsi competit, eam tamen non amittit ; ac proinde quando postea uxorem revocans, postulat restitui in possessione, non petit quod amisit, sed quod suum est. Quod autem diximus de marito expellente et postea revocante uxorem, idem dicendum est de uxore expellente et postea revocante maritum, cum æquale sit jus utriusque conjugis.

Quæstio 3ª. — *Si alter conjugum temere fugiens, et postea rediens, ab altero non recipiatur, et petat judicialiter se restitui in possessione conjugis ; an debeat judex ecclesiasticus eam restitutionem decernere ?* — Respondendum affirmative ; atque id communiter tenent doctores, ob rationes sub præcedenti quæstione expositas, quæ in præsenti casu omnino applicandæ redeunt.

Quæstio 4ª. — *Quando unus conjugum propria authoritate discessit, quid faciendum, si alter se in possessione restitui judicialiter petat?* — Triplex distinguendus casus. Vel enim sola intercesserunt sponsalia, vel matrimonium ratum non consummatum, vel matrimonium consummatum.

I. *Casus quo sola sponsalia fuerunt inita.* — In hoc casu non debet judex ullam restitutionem decernere. « Ratio est, quia « ubi non præcessit possessio, non potest habere locum spo- « liatio, quæ supponit possessionem rei qua quis spoliatur : « atqui per sponsalia nondum acquiritur possessio sponsæ, sed « tantum juris ad complendum contractum sponsalitium ; cu- « jus propterea adimpletionem petere ille potest ; et tenebi- « tur sponsa eum implere, si nullam justam exceptionem alle- « gare possit : ergo. » (Schmalzgrueber, in tit. 13, libri 2 Decret., n. 59.)

II. *Casus quo præcessit matrimonium ratum non consummatum.* — In hoc casu, an debeat judex decernere ut pars, quæ propria authoritate discessit, redeat ad conjugem, restitui in possessione petentem, non concordant doctores. Alii nempe, cum glossa (in caput *Ex transmissa*, tituli 13, libri 2 Decretalium) et Innocentio IV (in dictum titulum, n. 4), negant tunc decernendam esse restitutionem ; ex eo nempe quod ante matrimonii consummationem, utrique conjugi permittatur recessus et ingressus in religionem, prout constat ex capite *Verum* 2, et ex capite *Ex publico* 7 (*de Convers. conjug.*). Existimant etiam illi auctores sibi favere capita *Ex transmissa* 8, et *Ex conquestione* 10 (tituli 13, libri 2 Decretalium), necnon caput (*Causam*, 14. *de Probationibus*).

Communius tamen sustinent alii doctores, decernendam esse in hoc casu restitutionem, sed *quoad habitationem* dumtaxat et *alia obsequia* conjugalia, non autem *quoad torum*. Vide Schmalzgrueber id firmantem (in tit. 13, libri 2 Decret., n. 60).

III. *Casus quo præcessit matrimonium consummatum.* — In hoc casu, nisi recedens justam allegare possit recedendi causam,

decernenda est a judice restitutio, etiam quoad torum. « Ratio « est, quia per matrimonium consummatum acquiritur plena « possessio conjugis, et consequenter spoliatus plene restitui « debet. »

« Addidi *nisi justam causam proponere possit.* Talis erit « 1° si discedens prætendat inter se et conjugem intercedere im- « pedimentum dirimens. 2° Si opponat exceptionem sævitiæ ; « nam in hoc casu non ante marito facienda est restitutio, quam « is de malo aliquo uxori non inferendo, per pignora, aut fide- « jussionem, vel juramentum, cautionem præstiterit. Si vero « uxor adhuc diffidat viro ob capitale odium, quo in se fertur, « apud parentes, cognatos aut in alio tuto loco collocari pote- « rit, dum causa videatur. Visa et discussa causa, si tute mu- « lier cohabitare marito nequeat, ad sententiam divortii est « procedendum, ut colligitur ex capite *Litteras* (13, tit. 13, « libri 2 decret.). 3° Si uxor a marito divertit propter aliud « grave corporis vel animæ periculum, verbi gratia, quod vir « ipsam inducat ad idololatriam, hæresim, sui prostitutionem, « vel aliud flagitium, quod alia via averti facile non possit. « Hoc enim casu maritus possessorium recuperandæ inten- « tans, non audietur, antequam hujusmodi periculum cesset. » (Schmalzgrueber, in tit. 13, libri 2 Decret., n. 61.)

Quæstio 5ª. — *Quid agendum, quando, rato sed nondum consummato matrimonio, conjux discedens prætendit existere impedimentum dirimens, et alter petit se restitui in possessione conjugis?* — Supponamus, verbi gratia, Bertam a marito suo Titio recessisse, prætendendo matrimonii rati, sed non consummati nullitatem ex impedimento dirimente : Titium vero apud curiam episcopalem actionem intentare possessorii, petendo nempe ut per sententiam judicis ecclesiastici restituatur ante omnia in possessione uxoris suæ. An tunc judex ecclesiasticus debeat restitutionem decernere, idest, Bertam condemnare ad cohabitandum cum Titio, donec probatum fuerit impedimentum dirimens ?

Ad cujus quæstionis solutionem duplex casus distinguen-

dus est ; prout nempe allegatum impedimentum *notorium* est, vel non.

I. *Casus quo impedimentum est notorium.* — Tunc audiendus non est Titius restitutionem petens : sed judex ecclesiasticus, Bertam interea relinquendo a marito separatam, debet statim ad causam nullitatis cognoscendam et dirimendam procedere. An autem (ex eo quod impedimentum sit *notorium*, ex hypothesi) possit tunc judex ecclesiasticus causam illam dirimere *extra-judicialiter*, vel in forma *summarii judicii*, et non servata norma a Benedicto XIV præscripta, discutitur infra, § 3. Ratio vero cur in hoc casu rejicienda sit actio Titii in possessorio, est quia ob impedimenti *notorietatem* jam satis constat judici de matrimonii nullitate, etiam ante institutum de hac nullitate processum. Judex autem qui certo scit, et quidem scientia publica per notorietatem acquisita, matrimonium esse nullum, non tenetur, imo nec licite potest Bertam cogere ad cohabitationem tori cum Titio ; quia hoc esset eam cogere ad fornicationem. Et neque potest eam cogere ad simplicem cohabitationem absque tori consortio, quia ad id jus nullum habet Titius, posita nullitatis notorietate.

II. *Casus impedimenti non-notorii.* — Quando impedimentum allegatum non est notorium, iterum duplex casus distinguendus venit : vel enim ejusmodi impedimentum est *dubium* dumtaxat, vel omnino *certum*.

1 *Quid si impedimentum sit dubium ?* — Tunc, ait Schmalzgrueber (in tit. 13, libri 2 Decret., n. 62), « possessio valoris « est penes matrimonium ; et hinc cum in dubio nemo privari « debeat possessione juris sui, restitui debet conjux conjugi « quoad habitationem et alia obsequia conjugalia. Ad usum « vero matrimonii (etsi is, casu quo bona fide contractum est « matrimonium, nec veritas post diligentem inquisitionem de- « prehendi possit, licitus sit), unus tamen alterum non potest « cogere, præsertim vir fœminam, quamdiu lis pendet super « valore matrimonii. Exponeretur enim valde gravi periculo, « si postea contra matrimonii valorem pronuntiari contingeret,

« et ipsa corrupta sit, ita ut neque aliud honestum matrimo-
« nium facile inire, neque inter sacras virgines in monasterio
« velari possit. »

2. *Quid si impedimentum sit certum?* — « Denuo distinctio
« est adhibenda, et videndum an recedens habeat paratas pro-
« bationes vel non :

« Si paratas habeat et in incontinenti offerat probationes,
« audienda est pars recedens : et si probaverit impedi-
« mentum, absolvenda ab obligatione matrimonii. (Schmalz-
grueber, loco cit.) Unde tunc non audiendus est conjux re-
stitutionem postulans ; sed statim cognoscenda est causa de
nullitate.

Si recedens non habeat paratas probationes, decernenda
est restitutio, interea dum pronuntietur in causa nullitatis ;
sed quoad habitationem dumtaxat, non quoad torum. (Vide
Schmalzgrueber, ibid.)

Quæstio 2ª. — *Quid agendum quando, consummato matri-
monio, conjux discedens prætendit impedimentum dirimens, et
alter petit se restitui in possessione conjugis?* — In præcedenti
quæstione matrimonium supponebatur ratum, sed non consum-
matum : hic vero quoad matrimonium consummatum eadem
quæstio expenditur. Quam solvemus easdem fere distinctiones
instituendo, nempe :

I. *Casus quo impedimentum allegatum sit notorium.* —
Tunc non est recipienda actio possessorii, sed Bertam interea
relinquendo a marito suo separatam, debet judex causam nulli-
tatis cognoscere et dirimere (qua autem forma, dicetur § 3).
Militant enim rationes supra expositæ quoad similem casum
circa matrimonium ratum non consummatum.

II. *Casus impedimenti non notorii.* — Vel pars impedimen-
tum illud allegans paratas probationes offert, vel paratas non
habet, et dilationem ad eas exhibendas postulat.

1. *Quid si allegans impedimentum, probationes in continen-
ti exhibet?* — « Restituenda quidem est uxor viro quoad habi-
« tationem, non vero quoad torum. » Ita Schmalzgruber (in

tit. 13, libri 2 Decret.), et omnino constat ex decretali *Litteras* (13, tit. 13, libri 2 Decret.), infra transcribenda.

2. *Quid si allegans impedimentum nequeat statim probationes exhibere?* — « Restitutio facienda est, etiam quoad to-« rum; quia hoc casu præsumptio stat contra conjugem, quæ « sine judicio Ecclesiæ a viro discessit. » (Schmalzgrueber, loco citato.) Constat pariter ex decretali *Litteras* (13, tit. 13, libri 2 Decret.) in qua sic disponit Innocentius III : *Quod si non habeat probationes in continenti paratas, sed dilationes expetat longiores (quia præsumitur contra eam, quæ sine judicio Ecclesiæ, sua tantum temeritate, recessit a viro) ad restitutionem plenariam ecclesiastica debet censura compelli.*

3. *Quid vero si, decreta a judice prædicta restitutione etiam quoad torum, pars quæ discessit certa sit de matrimonii nullitate?* — Debet parere conscientiæ et non judici; idest debet denegare debitum, et a fortiori ab eo petendo abstinere : quod si sub censura decreta fuit restitutio plenaria, debet hanc censuram patienter tolerare, usque dum probationes præparatas offerat; et tunc a censura absolvetur. Constat ex citata decretali *Litteras*, in qua de prædicta censura sic habetur : *Quam tamen (censuram) ipsa, tori negando consortium, debet humiliter tolerare, donec probationes offerat præparatas ; et tunc absolutione petita secundum formam Ecclesiæ, absolvetur.*

Casum autem plenius evolvit Schmalzgrueber hoc modo : « Postquam autem est restituta, multum interest an conjux « allegans impedimentum certa sit de impedimento, an vero « tantum ex conjecturis quibusdam, vel propter quorumdam « assertionem credat subesse impedimentum.

« *Si certa* de impedimento est, ipsius conscientiæ incumbet « abstinere interea a consortio tori, donec in impedimento dis-« pensetur, si illud sit dispensabile; quia cum viri talis conjux « revera non sit, carnale cum eo commercium rationem forni-« cationis, nullo casu permissæ, habet. Proceditque hoc non ob-« stante præcepto Ecclesiæ, ad hujusmodi cohabitationem per « censuram excommunicationis compellentis : nam tunc, ut

« decisum est capite *Litteras* (13, tit. 13, libri 2 Decret.), et « capite *Inquisitioni* 44, *de Sententia excomm.*), debet potius « excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per « carnale commercium peccatum operari mortale.

« *Quod si vero non sit certa* de impedimento, sed ex conje- « cturis solum illud credat subesse, videndum est an ex levibus « solum conjecturis id credat, vel utrum ex gravibus. Si ex le- « vibus, poterit totum illud dubium ex consilio Ordinarii vel « confessarii deponere, et licite reddere et petere debitum con- « jugale. Si ex gravibus, potest quidem reddere debitum, ne « maritum in bona fide et possessione existentem jure suo pri- « vet ; sed non potest exigere, quia in dubio practico agere non « licet, et in eo tutior pars est eligenda (capite *Inquisitioni* ci- « tato) : quod verum est saltem antequam debito modo in ve- « ritatem impedimenti latentis indagaverit. »

Quæstio 7ª. — *Si consummato matrimonio, uxor propria authoritate recedat, objiciens mariti adulterium, et maritus petat se restitui in possessione conjugis, an judex hanc restitutionem decernere debeat?* — Vel adulterium est *notorium* vel non : 1° si adulterium notorium sit, non est decernenda restitutio, nisi adulterium commisisset etiam uxor. Constat capite *Significasti* (4, *de Divort.*), capite *Ex litteris* (5, *de Divort.*), et capite *Intelleximus* (6, *de Adult.*). 2° Si adulterium ab uxore objectum notorium non sit, statim plene decernenda est restitutio, etiam quoad torum, priusquam probationes de adulterio audiantur ; proceditque hoc etiamsi uxor adulterium objiciens paratas haberet probationes, et in continenti exhibere posset. Ita doctores communiter. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 13, libri 2 Decret., n. 65.)

Quæstio 8ª. — *Si uxor recesserit, votum perpetuæ continentiæ mutuo consensu emissum objiciens, et maritus restitutionem petat, an sit decernenda restitutio?* — Nonnulli putant hoc casu uxorem, si religionem ingressa sit, non esse marito restituendam. Sed communius ita distinguitur : restitui nequit quoad torum, antequam probatum sit emissum mutuo consensu vo-

tum; ob periculum scilicet violandi voti, si revera emissum fuerit : restituenda tamen est quoad habitationem et alia conjugalia obsequia; quia per dictum votum neuter conjux censetur se his privasse. (Vide Schmalzgrueber, cit. loco, n. 66.)

Nota. Antequam huic disceptationi de *causa possessionis seu restitutionis* quoad matrimonium finem faciamus, abs re non erit decretalem *Litteras* (13, tit. 13, lib. 2 Decret.) hic describere, in expositæ doctrinæ confirmationem. Est autem tenoris hujusmodi : *Propterea melius videtur quod, cum opponitur consanguinitas (præsertim in gradibus divina lege prohibitis) et probationes offeruntur in continenti paratæ, in cæteris* (1) *adjudicanda sit restitutio (sed ad majorem cautelam juramento recepto quod talis objectio malitiose non fiat); sola quoad commixtionem carnalem (maxime si fama consentit) est restitutio differenda, donec auditis probationibus et discussis, causa sine diffugio terminetur. Quod si non habeat probationes in continenti paratas, sed dilationes expetat longiores (quia præsumitur contra eam, quæ sine judicio Ecclesiæ, sua tantum temeritate, recessit a viro), ad restitutionem plenariam ecclesiastica debet censura compelli; quam tamen ipsa, tori negando consortium, debet humiliter tolerare, donec probationes offerat præparatas; et tunc, absolutione petita, secundum formam Ecclesiæ absolvetur. Si vero tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet ei restitui, sed ab eo potius amoveri : alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate provisa, profecto videtur conjux ante causæ cognitionem restituenda marito.*

§ II.

De actoribus et testibus admittendis vel rejiciendis in causis matrimonialibus.

QUÆSTIO 1ª. — *Quisnam agere valeat ad impediendum ma-*

In cæteris, id est, quoad habitationem et obsequia conjugalia; non vero quoad torum.

trimonium nondum initum ? — Cum impediri nequeat matrimonium, nisi aliquod impedimentum objiciendo, illi agere valent ad matrimonium impediendum, qui admittuntur ad objiciendum seu denuntiandum ecclesiastico judici impedimentum aliquod. Porro ad hujusmodi impedimentorum denuntiationem, non tantum admittuntur, sed etiam sub gravi tenentur quicumque norunt impedimentum aliquod existere, et alias suspecti non sunt de malitiosa et falsa denuntiatione.

Quæstio 2ª. — *Quis admitti debeat ad petendum divortium quoad cohabitationem et torum dumtaxat ?* — Ad hujusmodi petitionem admittendus est tantum conjux innocens, cujus nempe interest divortium obtinere. Ita communiter doctores, qui id concludunt ex nonnullis juris textibus. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 18, libri 4 Decret., n. 13.) Ratio est quia hocce divortium jure introductum est in favorem conjugis innocentis. Is vero, licet rationes sufficientes habeat ad obtinendum divortium, potest tamen, si velit, injuriam a consorte sibi illatam ipsi condonare, et cum ipso cohabitare. Unde si malit injuriam tolerare et in cohabitatione permanere, ad id jus habet ; ac proinde nullus alius admitti potest, ad petendum a judice dictum divortium.

Quæstio 3ª. — *Quinam in judicio petere possint ut matrimonium declaretur nullum ?* — Distinguendum est inter impedimenta dirimentia quæ allegantur : unde,

I. Si matrimonium prætendatur nullum ex impedimento impotentiæ, ad agendum pro nullitate matrimonii admittendi sunt soli conjuges. Ita doctores communiter. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 18, libri 4 Decr., n. 14.) Ratio est quia non obstante impotentia, possunt conjuges, si velint, cohabitare tanquam frater et soror; ergo ne lædatur hoc eorum jus, non debet ullus alius admitti, ad petendam vinculi matrimonialis solutionem ex causa impotentiæ.

II. Idem dicendum quoad impedimentum erroris et metus. Quia errore aut metu cessante, potest pars quæ erravit, vel ex metu contraxit, libere consentire in matrimonium contractum.

Imo quando sic conjuges solo consensu suo mutuo impedimentum tollere et matrimonium ratificare valent, ipsimet admittendi non sunt ad agendum pro nullitate matrimonii, si post acquisitam impedimenti notitiam adhuc carnaliter se invicem cognoverunt; quia tunc matrimonium novo consensu ratificasse, et consequenter indissolubile effecisse de jure præsumuntur. (Vide Schmalzgrueber, loco citato; necnon sanctum Ligorium, lib. 6, c. 3, n. 1110 et 5 seq.)

III. Si impedimentum allegatum sit consanguinitas, affinitasve ex copula conjugali orta, aut publica honestas, ii præ cæteris ad proponendam matrimonii nullitatem admittuntur, qui meliorem hujusmodi impedimenti notitiam habere solent: quales sunt imprimis parentes; deinde consanguinei cæteri; et, his deficientibus, vicini. Ita doctores communiter. (Textus juris allegari solitos vide apud Schmalzgrueber, in tit. 18, libri 2 Decret., n. 16.)

IV. Si allegandum sit aliud, præter memorata, impedimentum dirimens, ad denuntiandam seu accusandam matrimonii nullitatem admitti possunt quicumque impedimenti notitiam habent, modo aliunde repellendi non sint ob aliquam ex causis infra enumerandis. Ita doctores communiter; et colligitur ex capite *Perlatum* (1, *de His quæ vi, metusve causa*).

Quæstio 4ª. — *Quinam ab accusanda matrimonii nullitate repellendi sint?* — 1° Repellendus est qui accusat turpis lucri causa; verbi gratia, qui pecunia ad accusandum inductus est. Constat ex capite *Significante* (5, tit. 18, libri 4 Decret.). Hi scilicet falso et malitiose accusare præsumuntur.

2° Qui, cum proclamationes matrimonii fierent, impedimentum non manifestarunt; nisi cum juramento vel probationibus affirment, se impedimentum nescivisse quando proclamationes factæ sunt, aut ipsas proclamationes fieri se ignorasse; et sic elidant præsumptionem, quod denuntiationem post contractum matrimonium differendo, calumniose nunc ejus nullitatem accusent. Constat ex capite ultimo tituli 18, libri 4 Decretalium. Posset tamen, ut in dicto capite statuitur, is qui

denuntiationem debito tempore omisit, impedimentum alteri personæ manifestare; hæc autem postea nullitatem judici denuntians audienda esset.

3° Item ab accusanda matrimonii nullitate repellenda est conjux, quæ initio quidem invita et gravi metu coacta contraxit, postea tamen carnalem copulam admisit; prout constat ex capite *Insuper* (4, tit. 18, libri 2 Decret.). Atque id sublatum non videtur per statutum a concilio Tridentino clandestinitatis impedimentum; quamvis enim matrimonium ob defectum consensus ab initio fuerit nullum, si postea suppleatur consensus, non fit novum matrimonuim, clandestinitatis vitio infectum, sed illud idem nulliter, sed non clandestine, celebratum convalidatur. Libere autem admittendo carnale consortium, uxor consensisse in matrimonium de jure consetur. Atque ita tenendum cum communi doctorum sententia, et attendendam non esse paucorum sententiam contrariam, vide fuse deductum a sancto Ligorio (libro 6, n. 1110 et seq.).

4° Repellendi etiam sunt qui nullitatem matrimonii per litteras accusant. Cautum nempe est (canone *Per scripta* 5, causæ 2, q. 8, et capite *A nobis* 2, tit. 18, libri 2 Decret.) ut a personaliter dumtaxat præsentibus accusari possit matrimonii nullitas. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 18, libri 2 Decret., n. 21.)

Quæstio 5ª. — *Quinam testes admittuntur ad deponendum de nullitate matrimonii, in facie Ecclesiæ contracti?* — « Illi præ « aliis, qui impedimenti, quod ab accusatore objicitur, notitiam « certiorem habent, et non sunt suspectæ fidei. (Capite *Li-* « *cet* 47, *de Test. et attest.*) Et hinc ad testimonium in hac causa « dicendum admittitur etiam pater; licet in aliis causis filii te- « stis esse non possit: item consanguinei cæteri, saltem casu « quo agitur de matrimonio dissolvendo ob impedimentum « consanguinitatis, affinitatis et publicæ honestatis (capite *Vi-* « *detur* 3, tit. 18, libri 4 Decret.; capite *Quoniam* 5, *de Testi-* « *bus et attest.*) : quia non solum distantiam affinitatis vel con- « sanguinitatis melius censentur nosse, sed etiam creduntur

« incestarum nuptiarum probrum in sua familia non tolera-
« turi.

« Proceditque hoc, etsi deponant pro matrimonio susti-
« nendo, et contra accusantem illud tanquam invalidum; nisi
« appareat quod alter contrahentium affectet illud matrimo-
« nium; vel ex circumstantiis testimonium illorum suspectum
« appareat arbitrio judicis, ut si sponsa petat in virum aliquem
« se superiorem divitiis, nobilitate...: tunc enim ad testifi-
« candum nequaquam sunt admittendi parentes vel consan-
« guinei talis sponsæ, sive quæratur de consanguinitate, sive
« de contractu matrimonii, nisi concurrant circumstantiæ
« propter quas testimonium tale judicaretur non suspectum.

« Repelluntur autem a testimonio contra matrimonium di-
« cendo, præter alios aliunde suspectos, 1° qui ad id facien-
« dum vel omittendum pecunia inducuntur. (Capite, *Sicut* 29,
« *de Testibus et attest.*) 2° Qui testimonium, non propria
« voce præsentes, sed absentes per litteras perhibent. (Capite
« *A nobis* 2, tit. 18, libri 4 Decret.; canone *Testes* 15, causæ 3,
« q. 9.) Excipitur si sint personæ nobiles et illustres...
« 3° Qui matrimonium accusat et actor est; ex generali prin-
« cipio quod non possit idem esse simul actor et testis. Ex-
« cipitur si judex ex officio inquirat : hoc enim casu is qui im-
« pedimenti denuntiator est, ad testificandum de impedimento
« admittitur. » (Schmalzgrueber, in tit. 18, libri 4 Decret.,
n. 22 et seq.)

Quæstio 6ª. — *Quodnam sit tempus intra quod, qui matrimonii nullitatem accusat, audiri debeat?* — « Auditur etiam post
« 30 vel 40 annos, modo paratas probationes offerat, vel alias
« suspicionem purget. Neque enim matrimonium ab initio in-
« validum tractu temporis convalescit, aut mediante præscri-
« ptione impedimentum tollitur. Imo datur accusatio contra
« illud, etsi pro valore illius sententia lata jam esset; quia in
« matrimonio sententia nunquam transit in rem judicatam.
« (Capite *Lator* 7, *de Sent. et re jud.*)

« Ex quo sequitur, quod etiam actioni vel accusationi præ-

« scribi nequeat, quamdiu causa accusandi durat. *Excipitur* si « mortui jam sint conjuges, et post 30 vel 40 annos moveatur « lis filiis super legitimitate, quod matrimonium nullum fuerit : « nam hoc casu, cum cesset periculum peccati, ob quod per- « petua est actio contra matrimonium, nihil obstat quominus « dispositio juris communis locum habeat, juxta quod actio- « nes civiles quæcumque post 30 vel 40 annos, accusationes « autem criminum 20 annorum spatio extinguuntur. » Schmalz-grueber, in tit. 18, libri 4 Decret., n. 26 et 27.)

§ III.

De norma procedendi a Benedicto XIV statuta in causis nullitatis matrimonii.

Celebris est constitutio Benedicti XIV, quæ incipit *Dei miseratione*, diei 3 novembris 1741 (in bullario dicti Pontificis, tomo 1, n. 33), utpote qua commune jus antea vigens quoad modum procedendi in causis matrimonialibus multipliciter immutatum est. Exponendæ igitur ejus dispositiones, et solvenda nonnulla dubia, quæ de ejusmodi novo jure recte intelligendo mentem subire possunt.

Punctum I. — *De constituendo in unaquaque diœcesi matrimonii defensore.* — De constituendo hujusmodi defensore sequentia præscripsit Benedictus XIV : 1° ut quilibet Ordinarius in sua diœcesi aliquem deputet, qui ex officio in causis matrimonialibus matrimonii valorem defendat; 2° ut is vocetur *defensor matrimonii;* 3° ut idem, si fieri possit, clericus sit, et tum vitæ probitate, tum juris scientia idoneus ; 4° ut justa de causa ab Ordinario revocari possit ; 5° ut eo deficiente vel impedito, dum aliqua matrimonialis causa ventilanda occurrit, aliquis alius similiter idoneus quoad hanc causam deputetur. En dicti Pontificis de hac re verba : « Motu proprio, certa scientia, ac « matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis « plenitudine, hac nostra in perpetuum valitura sanctione « constituimus, decernimus ac jubemus, ut ab omnibus et sin-

« gulis locorum Ordinariis in suis respective diœcesibus, per-
« sona aliqua idonea eligatur, et, si fieri potest, ex ecclesiastico
« cœtu, juris scientia pariter et vitæ probitate prædita, quæ
« matrimoniorum defensor nominabitur; cum facultate tamen
« eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, et
« substituendi aliam æque idoneam et iisdem qualitatibus or-
« natam; quod etiam fieri poterit quotiescumque persona ad
« matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi
« obtulerit, erit legitime impedita. »

Punctum II. — *Quisnam sit defensor matrimonii in secunda instantia, extra Romam?* — 1. Si judex secundæ instantiæ sit Metropolitanus, vel Nuntius Apostolicus, vel Episcopus vicinior, matrimonii defensor debet esse ille idem quem isti Ordinarii deputarunt : si nempe judex secundæ instantiæ sit Metropolitanus, defensor matrimonii ille erit, quem idem Metropolitanus pro sua diœcesi constituit : si Episcopus vicinior, ille defensor matrimonii erit, quem idem Episcopus constituit in sua pariter diœcesi : si vero Nuntius Apostolicus (et idem a fortiori dicendum de Legato Apostolico), ille matrimonii defensorem aget, qui ad id officii fuerit ab eodem Nuntio vel Legato deputatus, quoad regionem in qua jurisdictionem obtinent.

2. Si judex secundæ instantiæ ordinariam jurisdictionem non habeat, sed sit dumtaxat commissarius, cui Sedes Apostolica terminandam causam demandavit, defensor matrimonii erit ille idem, qui constitutus est ab Ordinario diœcesis, in qua causa secundæ instantiæ judicanda est. En Benedictinæ constitutionis verba : « Si judex in secunda instantia fuit Metropolitanus,
« aut Sedis Apostolicæ Nuntius, aut Episcopus vicinior, matri-
« monii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemad-
« modum ipsis deputare mandamus, ut quæ a nobis superius
« constituta sunt peragere possit. Si autem judex in secunda
« instantia erit judex commissarius, cui a Sede Apostolica causæ
« cognitio demandata sit, et qui tribunal et jurisdictionem ordi-
« nariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii,
« volumus ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus

« fuerit ab Ordinario, in cujus diœcesi causam cognoscet, « etiamsi idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem « causa pronuntiaverit. »

Punctum III. — *Quisnam sit defensor matrimonii quando causa matrimonialis Romæ judicanda est?* — 1. Cardinalis Vicarius, quoad causas matrimoniales sibi in prima instantia subjectas, idem debet peragere ac quilibet Episcopus in diœcesi sua, et eodem modo aliquem constituere matrimonii defensorem. Quod vide expresse decretum in dicta constitutione Benedicti XIV, § 13.

2. Cæteræ causæ matrimoniales, quæ ad Sedem Apostolicam deferuntur, sive in prima instantia ex consensu partium, sive in secunda per appellationem, omisso medio, sive in tertia instantia, judicandæ committi solent, vel Sacræ Congregationi Concilii, vel Auditorio Palatii, vel alicui particulari ad hoc deputatæ congregationi. (Vide id pariter expressum in dicto constitutionis paragrapho.)

3. Porro quoad causas a Congregatione Concilii terminandas, matrimonii defensor deputari debet a Cardinali Præfecto dictæ congregationis : quoad causas Auditorio Palatii commissas, a decano hujus tribunalis matrimonii defensor constituendus est : et tandem si causam judicare debeat congregatio particularis, dignior ejusdem congregationis defensorem matrimonii nominabit. (Ibid., § 13.)

Punctum IV.— *Quodnam sit officium defensoris matrimonii.* — Ejusmodi officium determinat Benedictus XIV his verbis : « Ad officium autem defensoris matrimoniorum ut supra electi « spectabit, in judicium venire, quotiescumque contigerit « matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram « legitimo judice disceptari ; eumque oportebit in quolibet actu « judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis ma- « trimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad « matrimonium sustinendum necessaria censebit. » (§ 6.)

Insuper decernit dictus Pontifex, ut defensor matrimonii non appellet, si matrimonium pronuntietur validum : e contra

ut appellet, si in prima instantia pronuntietur invalidum; idque sive ambæ partes, sive una tantum, sive neutra, a sententia nullitatis appellent; vel si pars, interjecta primum appellatione, ab ea postmodum desistat.

Si vero pronuntietur nullitas in secunda instantia, poterit quidem defensor sententiæ acquiescere, si justa ipsi videatur; sed debebit etiam ab ea appellare, si male pronuntiatum existimet.

Imo, si pronuntiata sit validitas in secunda instantia, et postea (parte appellante) nullitas pronuntietur in tertia, poterit defensor matrimonii, sive solus, sive adhærens alteri parti, ab hac tertia sententia appellare. Quæ omnia constant his constitutionis verbis: « Si a judice pro matrimonii validi-« tate judicabitur, et nullus sit qui appellet, ipse etiam ab « appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si a judice se-« cundæ instantiæ pro validitate matrimonii fuerit judicatum, « postquam judex primæ instantiæ de illius nullitate sententiam « pronuntiaret. Sin autem contra matrimonii validitatem sen-« tentia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit, « adhærens parti, quæ pro validitate agebat. Cum autem in « judicio neque unus sit, qui pro matrimonii validitate negotio « insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, judicium de-« seruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem provocabit. » (§ 8.)

« Quod si a secunda sententia super nullitate, vel altera pars « appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei salva conscientia de-« fensor matrimonii acquiescendum non putet (vel quia sibi « videtur manifeste injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata « in tertia instantia, et sit revocatoria alterius præcedentis « super validitate in secunda instantia emanatæ), volumus ut, « firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias trans-« eundi nuptias..., causa in tertia et quarta instantia cogno-« scatur; servatis diligenter omnibus, quæ a Nobis in prima et « secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet « judiciali actu, citato et audito defensore matrimonii, qui « a judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit. » (§ 11.)

Quando autem vel a Sacra Congregatione Concilii, vel a Congregatione specialiter deputata, vel a S. Palatii Auditorio pronuntiatur matrimonii nullitas, quomodo instare vel appellare debeat matrimonii defensor, decernit Benedictus XIV his verbis : « Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii « emanata, si causa in Congregatione Cardinalium concilii Tri- « dentini interpretum, vel in Congregatione particulari depu- « tata cognoscatur, et similiter in palatii Nostri Auditorio, « unica sententia super eadem nullitate pronuntiata minime « sufficiat, ad tribuendam liberam conjugibus facultatem novas « nuptias contrahendi. Sed si causa in præfata Congregatione « Cardinalium Tridentini concilii interpretum introducta fue- « rit, rursus in eadem, ad defensoris matrimonii instantiam « reproponatur. Si vero Congregationi particulari commissa « fuerit, ad petitionem ejusdem defensoris, altera etiam par- « ticularis Congregatio deputabitur. Si vero in palatii Nostri « Auditorio judicata sit, a præfato defensore appellatione inter- « posita, ab aliis auditoribus juxta ordinem in gyrum seu tur- « num definiatur. Si autem causa universo tribunali commissa « fuerit, ab omnibus auditoribus rursum examinabitur : nolen- « tes omnino, ut ullo in casu matrimonii vinculum dissolutum « censeatur, nisi duo judicata vel resolutiones, aut sententiæ « penitus similes et conformes (a quibus neque pars, neque « defensor matrimonii crediderit appellandum) emanaverint. » (§ 14.)

Insuper debet matrimonii defensor juramentum præstare de fideliter explendo officio suo, non tantum quando prima vice constituitur, sed etiam in singulis causis in quibus matrimonii validitatem tuendam suscipit; prout expresse decernitur § 7.

Punctum V. — *An et quatenus ad processus valorem necesse sit intervenire defensorem matrimonii.* — Citari et adesse omnibus actibus judicialibus dictum defensorem adeo requiritur, ut alias iidem actus prorsus nulli sint atque irriti; id decernente Benedictina constitutione in hunc modum : « Defen- « soris hujusmodi persona, tanquam pars necessaria ad judicii

« validitatem et integritatem censeatur; semperque adsit in ju-
« dicio... Quæcumque vero, eo non legitime citato aut intimato,
« in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac
« pro nullis, cassis et irritis haberi volumus, perinde ac si citata
« et intimata non esset ea pars, cujus citari intererat, et quam
« juxta legum et canonum præscripta, ad legitimam judicii va-
« liditatem citari aut intimari omnino necessarium erat. »

Punctum VI. — *Quot requirantur sententiæ conformes de nullitate matrimonii, ut liberum sit conjugibus ad novas nuptias convolare?* — 1° Nunquam sufficit unica sententia; atque id verum est etiamsi a sententia nullitatis non appelletur, vel interposita appellatio deseratur. Item id verum remanet, sive nullitas pronuntietur ab Ordinariis locorum, sive Romæ a Sacra Congregatione Concilii, vel ab Auditorio palatii, vel ab aliqua Congregatione ad id specialiter deputata. Conjuges autem qui post unicam dumtaxat sententiam de nullitate novum celebrare matrimonium audent, non tantum interdictarum nuptiarum pœnis subjacent et cohabitare prohibentur, sed insuper latas contra polygamos a sacris canonibus pœnas incurrunt. Id nempe decrevit Benedictus XIV his verbis : « Appellatione a
« prima sententia pendente, vel etiam nulla (ob malitiam, vel
« oscitantiam, vel collusionem defensoris et partium) interposi-
« ta, si ambo vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare
« ausus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non solum serven-
« tur, quæ adversus eos, qui matrimonium contra interdictum
« Ecclesiæ contrahunt statuta sunt (præsertim ut invicem a
« cohabitatione separentur, quoad usque altera sententia su-
« per nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit
« appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit);
« sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium hu-
« jusmodi omnibus pœnis, contra polygamos a sacris canonibus
« et constitutionibus apostolicis constitutis, omnino subjaceant;
« quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate
« simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus. » (§ 9.)

2° Post secundam sententiam de nullitate matrimonii, si ab

ea non appelletur vel appellatio deseratur, possunt conjuges novum matrimonium inire, modo aliunde id eis non sit interdictum. Quod sic in Benedictina constitutione (§ 11) decernitur : « Si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc « est, si in secunda æque ac in prima nullum ac irritum ma- « trimonium judicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro « sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellatio- « nem interpositam prosequendam minime censuerit; in po- « testate et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere; « dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum vel legiti- « mam causam, id vetitum non sit. »

3° Prædicta facultas conjugum ad novas nuptias, post duplicem conformem de nullitate sententiam, transeundi, intelligenda est, « salvo semper et firmo remanente jure seu privi- « legio causarum matrimonialium, quæ ob cujuscumque tem- « poris lapsum nunquam transeunt in rem judicatam; sed si « nova res quæ non deducta vel ignorata fuerit detegatur, re- « sumi possunt et rursus in judicialem controversiam revocari. » (§ 11.) Hinc si post pronuntiatam bis nullitatem primi matrimonii et novas celebratas nuptias, detegatur validum fuisse primum conjugium, pronuntianda erit posterioris nullitas, et conjuges ad standum priori cogendi erunt.

Punctum VII. — *An et unde solvendum matrimoniorum defensori salarium?* — Id determinavit Benedictina constitutio in hunc modum : « Defensor matrimonii, quem ad munus suum « gratis obeundum pro amore Dei et proximi utilitate et Ec- « clesiæ reverentia in Domino exhortamur, si operam suam « sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusave- « rit, ab ipsius causæ judice ei constituatur, et ab ea parte, quæ « pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur : « sin minus, a judice primæ, vel secundæ, vel tertiæ instantiæ « respective subministrabitur; qui pecunias ex mulctis suorum « tribunalium redactas vel redigendas, et in opera pia ero- « gandas, in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero « judices causæ erunt judices commissarii, qui neque forum

« habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis colle-
« ctam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satis
« fiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus diœcesi
« judex commissarius, juxta Sedis Apostolicæ mandatum, ju-
« dicium exercebit. » (§ 12.)

Punctum VIII. — *Quibusnam in causis matrimonialibus observandæ sint Benedictinæ constitutionis dispositiones?* — Certum est constitutione hac non attingi nisi causas illas matrimoniales, in quibus de valore vel nullitate contracti matrimonii lis instituitur. Constat hisce præfatæ constitutionis verbis : « Ad
« officium defensoris spectabit in judicium venire, quotiescum-
« que contigerit matrimoniales causas super validitate vel nul-
« litate coram legitimo judice disceptari. (§ 6.) Cum igitur
« controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii vali-
« ditate, etc. » (§ 8.) Atque idem confirmat generalis hujus bullæ contextus, ut pervolventi facile patebit.

Hinc causæ de sponsalibus, de divortio quoad torum et habitationem, et cæteræ omnes, quæ circa matrimonialis vinculi nullitatem aut valorem non vertuntur, juxta normam juris communis, ante Benedictum XIV vigentis, hodiedum expediendæ sunt.

Punctum IX. — *An Benedictina constitutio observanda sit etiam in casu, quo matrimonii nullitas evidens seu notoria existat?* — Maximi momenti quoad praxim est proposita quæstio, ac proinde sedulo expendenda. Negari enim nequit multa oriri incommoda, si adamussim servari debeant, in casu *notoriæ nullitatis*, Benedictinæ constitutionis præscriptiones. Quæ incommoda sic recensebat Sonorensis (in America septentrionali) Episcopus, in sua visitatione sacrorum liminum (in *Thesauro resolutionum*, 26 augusti 1848) : « In bulla *Dei miseratione* Be-
« nedicti XIV, præscribitur forma quæ servari debet in judi-
« ciis de matrimonii nullitate : et licet nulla sit difficultas cum
« de casibus dubiis agitur, non minima sunt quæ occurrunt
« obstacula in casibus, in quibus aperta et notoria sit matri-
« monii nullitas. Exempli gratia, N. religiosus professus et

« subdiaconus, dimisso habitu et ementito nomine, pluribus « abhinc annis, ex Mexicana provincia huc advenit, publice- « que matrimonium contraxit. Facta mihi diœcesim ingresso « denuntiatione, omnia patefacta sunt, nedum ipsius rei con- « fessione, testium depositionibus, attestatis indubiis profes- « sionis solemnis et ordinis, verum et identitate personæ reli- « giosi insinuati... (*Alia ejusmodi exempla subnectit laudatus « Antistes; tum hoc modo prosequitur :*) « Jam si in iis aut si- « milibus casibus omnia adamussim servarentur, quæ a Bene- « dicto XIV præscribuntur, non minimum publicæ utilitati et sa- « luti fidelium afferretur detrimentum ; præcipue ob dilationes « in prima, secunda, aut etiam tertia instantia necessarias ; quas « partes ita inique ferunt, ut insuper habito judicio nullitatis, « non matrimonium aliud contrahere satagant, sed prout li- « buerit incontinentem vitam ducere. Cum nulla sit tanti mali « spes avertendi, postulo itaque a Sacra Congregatione decla- « rari, prædictam constitutionem Benedicti XIV locum non « habere in casibus ita certis et notoriis, ut matrimonii nulli- « tas nulla possit tergiversatione celari ; aut, si super hac re « extitit Congregationis declaratio, talis declarationis mihi co- « piam præberi. »

Quibus prænotatis, ad quæstionis solutionem procedemus hoc modo : 1° rationes deducemus quæ innuunt Benedictinam constitutionem non obligare in casibus notoriæ seu evidentis nullitatis ; 2° in contrarium militantia argumenta recensebimus ; 3° tandem quid tenendum videatur concludemus.

I. *Rationes quæ innuunt bullam Benedictinam in casu matrimonii notorie nulli applicandam non esse.* — Ejusmodi rationes sic deductas reperies, in memorata causa Sonorensi (26 augusti 1848, in tomo anni ejusdem, pagina 363) : « Hanc autem dispo- « sitionem (*nempe bullæ Benedictinæ*) in casibus tantum dubiæ « nullitatis locum habere suadent verba per Pontificem adhibita « sub constitutionis initium : *Cum igitur* (ita ille) *coram ordi- « nario... controversia aliqua proponetur, in qua de matri- « monii validitate dubitabitur...* Verbum siquidem *dubi-*

« *tabitur* clare demonstrat laudatum Pontificem non voluisse « formam judicii a se præscriptam nisi in casibus dubiis obser- « vandam; minime vero ubi nullitas evidens esset atque noto- « ria. Quod confirmatur ex dispositione sacrorum canonum, « quibus præscribitur appellationem in notoriis non esse ad- « mittendam (post caput *Cum sit* 5, *de Appellationibus;* caput « *Pervenit* 13, et caput *Consuluit* 14, ejusdem tituli; Viestner, « ad eumdem titulum, n. 47) : et merito : nam appellationes « hujusmodi esse non possunt nisi frivolæ; quibus proinde « justitia non defert, nec est a judice deferendum (ex capite « *Cum appellationibus* 5, in 6). Neque aliud ex praxi Sa- « cræ Congregationis colligi videtur, cum, si omnes evolvan- « tur causæ matrimoniales in eadem pertractatæ, aut grave « aut leve dubium de validitate, saltem ab initio, præ se ferre « dignoscentur. Unde haud immerito licebit inferre, judicia, in « quibus evidenter patet de nullitate matrimonii, absolvi « posse forma magis brevi quam ea, quæ præfata constitu- « tione demandatur. »

II. *Rationes quæ suadere videntur, etiam casui notoriæ nullitatis applicandam esse Benedictinam constitutionem.* — Eas in memorata causa Sonorensi descriptas habes hoc modo : « Li- « cet hactenus deducta minime spernenda videantur, verius « tamen contrarium dici potest. Præstantissimus enim Pontifex « Benedictus XIV verbis utitur generalibus, ad omnes causas « matrimoniales pertinentibus; ita ut nullum posuerit inter « dubiæ ac evidentis nullitatis judicia discrimen. Quinimo ad « omnem prætextum et cavillationem propulsandam, mentem « suam clarissime patefecit, inquiens : *Nolentes ut ullo in casu « matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata « vel resolutiones aut sententiæ penitus similes et conformes... « emanaverint.* Ubi ergo Pontifex alibi meminit de controver- « sia *in qua de matrimonii validitate dubitabitur*, haud ita « loquitur ut casus excipiat evidentes... Quin aliquid negotii « facessant superius allati canones, ex quibus infertur appella- « tiones in notoriis esse rejiciendas; nam præterquam quod in

« illis agitur de causis criminalibus, ac proinde ad matrimo-
« niales non pertineant, in casu quovis contrario illorum sanc-
« tioni pro causis matrimonialibus Benedictina constitutio de-
« rogasset. Nec sub obtentu *notorietatis* frivolæ dicendæ sunt
« hujusmodi appellationes; quia, cum res sit de causis gravis-
« simis, caute admodum procedendum est; præsertim cum no-
« torietas illa quæ prætenditur, quandoque esse potest tantum
« apparens et illusoria.

« Neque secus argui potest ex praxi Sacræ Congregationis :
« plura siquidem in *Thesauro resolutionum* afferuntur exempla,
« quibus comprobatur, in casu etiam evidentis nullitatis, for-
« mam a Benedictina constitutione præscriptam constanter
« fuisse servatam. Ex iis autem duo tantum referemus : alte-
« rum in *Teatina matrimonii*, diei 18 julii et 19 septembris
« 1761; alterum in *Tridentina nullitatis matrimonii*, 22 junii
« 1822: in quorum primo, licet Sacra Congregatio instante
« muliere nullum declarasset matrimonium ex præcedenti
« polygamia viri, precibus tamen ejusdem mulieris iterum
« proposita fuit causa et confirmata resolutio. In altero autem,
« quamvis pronuntiatum fuisset a curia episcopali pro nullitate
« matrimonii, ob probatum inter conjuges quartum consangui-
« nitatis gradum, appellatum tamen fuit ad Sacram Congrega-
« tionem, quæ sententiam curiæ episcopalis confirmavit. Hi
« vero erant profecto casus nullitatis evidentis, non secus ac
« illi de quibus meminit in suo postulato Sonorensis Episcopus. »

III. *Quid tenendum videatur.* — Respondeo, etiam in casibus evidentis et notoriæ nullitatis servandam esse Benedictinæ constitutionis formam. Etenim quando dubius est alicujus ecclesiasticæ legis sensus, si clare decidat Sacra Concilii Congregatio quonam sensu lex illa intelligenda sit, huic decisioni in praxi standum, et controversia pro finita habenda est. Porro ipsissimam quæstionem de qua agimus decidendam proposuit Sonorensis Episcopus; postulavit nempe *declarari prædictam constitutionem Benedicti XIV locum non habere in casibus ita certis et notoriis, ut matrimonii nullitas nulla possit ter-*

giversatione celari. A Sacra autem Congregatione responsum est *negative, et ad mentem.* Ex qua responsione patet, velle Sacram Congregationem ut Benedictina constitutio tanquam obligatoria, etiam in casu notoriæ nullitatis, habeatur et observetur. Solet tamen interdum dispensare ab observandis iis dictæ bullæ dispositionibus, quæ habita circumstantiarum ratione, difficilioris executionis forent; prout etiam factum erga præfatum Sonorensem Præsulem, addita clausula et *ad mentem.* Mens autem Sacræ Congregationis fuit (prout relatum reperio, non quidem in tomo *Thesauri* anni 1848, sed in publicatione periodica *la Correspondance de Rome*, sub initium tomi 1, pag. 11), « de demander à Sa Sainteté un indult, pour « autoriser Monseigneur l'Evêque de Sonora à confier la seconde « sentence conforme à un Evêque voisin, vu l'éloignement du « Métropolitain, ou bien de se réserver cette seconde sentence, « en se faisant assister de quelques prêtres, qui n'auront pas « pris part à la première sentence. »

Punctum X. — *An ex Benedictina constitutione sequatur jam non posse causas matrimoniales per formam summarii judicii expediri?* — 1. Certum est causas omnes matrimoniales potuisse, ante Benedictum XIV, *summarie* expediri. Constat ex Clementina *Dispendiosam* (2, *de Judiciis*), in qua sic decernitur : *Statuimus ut in causis super electionibus, necnon super matrimoniis... procedi valeat de cætero simpliciter et de plano, ac sine strepitu judicii et figura.* Hæc autem facultas summarie procedendi in quibuslibet causis matrimonialibus, nequaquam fuerat ante præfatum Pontificem sublata.

2. Sed neque sublata est per Benedictinam constitutionem, quoad causas saltem in quibus de nullitate aut validitate matrimonii non agitur : siquidem, ut supra (puncto VIII) dictum est, constitutionis hujusce dispositiones ad causas nullitatis valorisve matrimoniorum restringuntur.

3. In causis autem nullitatis vel validitatis matrimoniorum, an forma *summaria* per constitutionem *Dei miseratione* omnino sublata sit, non adeo liquet. Nam quoad hujusmodi causas,

præscribit quidem Benedictus XIV multa observanda; sed quoad reliquas processus partes de quibus nihil particulare decernit, plenarii judicii formam esse tenendam, nec posse *summarie* procedi, Pontifex non dicit, sed de hoc silet : unde concludendum videretur, perseverare facultatem summarie procedendi in iis, quæ in præfata constitutione alio modo speciali expedienda non præscribuntur.

Aliunde tamen generalis dictæ constitutionis contextus, satis aperte supponere videtur *plenario* judicio tractandas esse causas nullitatis seu validitatis matrimoniorum, cum speciali insuper forma quoad illas ibidem præscripta.

Quo stante dubio, in praxi ejusmodi causas prudens judex ecclesiasticus plenarii judicii forma tractabit; ne forte, si qua in parte *summarie* processerit (quamvis adamussim servatis constitutionis Benedictinæ præscriptionibus), processus ab aliqua partium, vel a matrimonii defensore, tanquam irregularis oppugnetur.

§ IV.

De norma speciali procedendi in causa nullitatis ex impedimento impotentiæ.

In hujusmodi causa, non tantum servanda est Benedictina constitutio, ex generali nempe ratione quod agatur de nullitate matrimonii, sed insuper nonnullæ aliæ occurrunt sacrorum canonum præscriptiones, nunc exponendæ.

Quæstio 1ª. — *An habita certitudine de impotentia perpetua unius conjugis, possit alter propria auctoritate recedere?* — « Certum est conjugem potentem ab impotente (etiamsi certus « sit de impotentia istius) propria auctoritate non posse recedere : « arguitur capite *Porro* (3, *de Divort.*). Opus igitur ad dissol- « vendum ejusmodi matrimonium erit authoritate Ecclesiæ et « judicis ecclesiastici.

« Interim tamen hujusmodi conjuges, si certo cognoscant « adesse ex parte unius impotentiam perpetuam, abstinere te-

« nebuntur ab omni ulteriori attentatione copulæ et tactibus « lascivis : ubi enim de impotentia certo constat, certo etiam « constat quod matrimonium inter eos initum nullum sit : « consequenter abstinendum erit ab actibus, qui nonnisi veris « vel saltem dubiis conjugibus liciti sunt.

« Debet autem judex, propter arduitatem negotii, ad matri- « monii dissolutionem ex causa impotentiæ faciendam maxima « circumspectione procedere; neque solis conjugum, etiam « utriusque, assertionibus credere; sed eam solum decernet, ob- « tenta plena impotentiæ probatione. Ratio est, quia alias con- « juges mutuæ cohabitationis pertæsi, facile colludere, et sepa- « rationem necnon licentiam alteri nubendi obtinere possent; et « sic dissolutio matrimonii semel contracti penderet ex voluntate « contrahentium, quod fieri non debet. » (Schmalzgrueber, in tit. 15, libri 4 Decret., n. 69 et seq.)

Nota. — Qualis impotentia requiratur et sufficiat ad pronuntiandam matrimonii dissolutionem, expendi solet in tractatu de matrimonio. Ibi scilicet doctores sequentes theses firmant : 1° impotentia temporanea matrimonium non dirimit; 2° impotentia perpetua antecedens matrimonio illud irritum reddit; 3° impotentia perpetua superveniens matrimonio consummato, illud non solvit; 4° impotentia perpetua superveniens matrimonio rato sed nondum consummato, illud per se non dissolveret; sed solvi tunc potest sive per ingressum in religionem, sive per dispensationem Pontificis; 5° si impotentia perpetua matrimonio antecedens, sit respectiva tantum, idest locum non habeat nisi relative ad talem conjugem, non vero relative ad quoscumque, solvit quidem matrimonium sed non impedit novas nuptias : si vero absoluta sit, et solvit matrimonium contractum, et impedit ne sic impotens aliud valide contrahere possit. Quæ omnia hic adnotasse sat erit ad præsentis disceptationis scopum.

Quæstio 2ª. — *An matrimonii dissolutionem ex causa impotentiæ in judicio petere possit, non tantum conjux potens, sed etiam impotens?* — « *Certum est* quod proclamare adversus

« matrimonium possit vir, quamvis ex parte ipsius impotentia « se teneat...; quia viri interest ipsum dissolvi, ne cogatur ad « onera matrimonii irriti sustinenda. Excipit Sanchez duos « casus : *unum* quando vir proclamans contra matrimonium eo « tendit ut sibi ad alias nuptias transitus permittatur : tunc « enim allegans frigiditatem propriam audiri non debet, quod « petitio ejus adversetur allegationi : secus si allegaret impoten- « tiam fœminæ aut maleficium, quia maleficium communiter « est tantum respectu illius fœminæ cum qua contraxerat. « *Alterum*, si contraxit conscius impotentiæ propriæ : tunc « enim non ipse, sed mulier cum qua contraxit adversus ma- « trimonium proclamare deberet; nisi periculum incontinentiæ « subesset ex consortio cum ea uxore existimata; nam eo casu « petere posset a judice ut ex officio suo eos separet.

« *Major difficultas est*, an quando impotentia se tenet ex « parte fœminæ illam ignorantis tempore matrimonii, si postea « eam comperiat, illa possit proclamare adversus matrimonium, « allegando suam impotentiam. Videtur quod non: quod fœ- « minæ tali casu non intersit id matrimonium dissolvi : et ita « tenere videntur glossa, Joannes Andreas..., qui putant id « speciale esse in viro, ut liberetur a sustinendis oneribus ma- « trimonii, quæ ratio locum non habet in fœmina. Sed melius « docet Sanchez, etiam fœminam impotentem proclamare ad- « versus matrimonium ex causa impotentiæ suæ posse; quia « satis ipsius interest separari ab eo, qui vere non est suus vir, « nec ipsi subjici, et restitui sibi dotem. » (Schmalzgrueber, in tit. 15, libri 4 Decret., n. 71 et seq.)

Quæstio 3ª. — *Quantum temporis conjugibus concedatur ad petendam matrimonii solutionem ex impotentiæ causa?* — Difficultatem faciunt nonnulli juris textus, qui videntur inter se contrarii. Nam capite *Accepisti* (1, tituli 15, libri 4 Decret.), mulieri, post annum et dimidium alleganti impotentiam viri, denegatur audientia; et rationis loco ei objicitur, cur tamdiu tacuerit, cum facile et intra breve tempus scire potuerit an maritus sit aptus ad copulam. E contra in ultimo capite

ejusdem tituli (15, libri 4 Decret.), adversus matrimonium conquerens auditur post octo cohabitationis annos. Imo capite *Fraternitatis* (6, tituli 15, libri 4 Decret.), statuitur audiendum post multos etiam annos. De concordandis istis textibus quid varii disseruerint canonistæ prætermittentes, subjungemus dumtaxat magis receptam, prout a præclaro Schmalzgrueber traditur, difficultatis solutionem. « Vel uterque conjux (inquit ille) fatetur « impedimentum alterutrius, vel unus solum adversus matri- « monium ob impotentiam proclamat, alter vero impotentiam « negat.

« *Si primum,* audiendi sunt proclamantes adversus matri- « monium quocumque tempore, etiam post multos annos, ut « recte colligitur ex capite *Fraternitatis* (6, tituli 15, libri 4 « Decret.), et capite finali (ejusdem tituli) citatis ; quia tractu « temporis matrimonium irritum non firmatur.

« *Si secundum,* videndum est an proclamatio fiat ante trien- « nium, ab experientia potentiæ vel impotentiæ a jure conces- « sum, vel post illud.

« *Si post illud*, audienda est pars proclamans, etiam contra- « dicente altera, ut iterum colligitur ex capite *Fraternitatis*, et « capite finali citatis.

« *Si ante triennium*, iterum distinguendum est, an procla- « mans allegatæ a se impotentiæ signa certa, aut saltem verisi- « milia, afferat, an vero dubia dumtaxat. *Si certa aut saltem « verisimilia*, audiri debet etiam ante triennalem experientiam. « *Si vero dubia solum*, ante triennalem experientiam audientia « illi denegatur ; non tamen post illam ; imo nec ante illam, si « statim, idest, post unum vel duos menses, a copulæ attenta- « tione lapsos proclamet : qui genuinus est sensus capitis *Acce- « pistis* citati. » (Schmalzgrueber, in tit. 15, libri 4 Decret., n. 73 et seq.)

Quæstio 4ª. — *Quomodo probata esse debeat impotentia, ut ex ea possit judex ecclesiasticus matrimonii nullitatem pronuntiare ?* — 1. Certum est impotentiam esse probandam ; nec sufficit eam ab altero, vel etiam utroque conjuge asseri. Imo com-

muniter tenent doctores *plenam* requiri probationem, prout supra affirmantem Schmalzgrueber vidimus.

2. Certum est licite fieri posse inspectionem corporum, ad obtinendam impotentiæ probationem: corporis nempe viri a medicis et chirurgis: fœminæ vero ab obstetricibus, honestisve matronis. Unde si ambo conjuges solutionem matrimonii ex dicto impedimento petant, et inspectionem, ad illud impedimentum probandum necessariam, subire nolint, audiendi non sunt. Si vero unus inspectionem recuset, et ex alterius inspectione sufficiens impedimenti probatio non oriatur, solutio pronuntiari nequit: secus si unius dumtaxat inspectio satis allegatam impotentiam probet.

3. Medici et matronæ quæ ad corporis inspectionem adhibentur, debent, non tantum esse bonæ famæ, et a subornationis suspicione immunes, sed insuper a judice ipso eligi et deputari; alioquin eorum testimonium ad probandam impotentiam non valeret.

4. Ad inspectionem viri sufficere duos expertos; ad fœminæ autem duas honestas et expertas matronas tenent doctores communiter. Ad cautelam tamen major numerus, si judici videbitur, adhiberi poterit.

5. Ejusmodi autem experti juramentum prævio præstare debent de sincero testimonio ferendo.

6. Si ex inspectione corporum, aliisve mediis, oriantur *certa* allegatæ impotentiæ signa (verbi gratia, si medici referant virum utroque teste carere, vel alio defectu corporis laborare, ex quo certa sit impotentia perpetua ad copulam), potest et debet statim pronuntiari matrimonii nullitas, et conjugi potenti fieri copia ad novas, si velit, nuptias transeundi.

7. Si *dubia* dumtaxat obtineantur impotentiæ signa, debet judex triennale experimentum decernere: id est conjugibus concedere, ut per triennium experiantur, num revera matrimonium inter eos consummari nequeat.

8. Si impotentiæ signa nec simpliciter seu physice *certa*, nec simpliciter *dubia* sint, sed *moraliter certa*, tunc præstandum

est juramentum ab utroque conjuge, cum *septima manu ;* id est, cum septem suis consanguineis aut (consanguineis deficientibus) totidem vicinis : et conjuges quidem jurabunt, se coire non posse ; alii vero, se credere dictos conjuges jurasse verum. Peritis ergo ex inspectione judicantibus *verisimiliter* adesse impotentiam, et concordantibus juramentis conjugum et septimæ manus, solutionem matrimonii pronuntiabit judex, prout in casu signorum *certorum.* Si vero discordent prædicta testimonia, aget judex prout in casu, quo *dubia* dumtaxat signa obtenta sunt.

Quæstio 5ª. — *Quid facere debeat judex ecclesiasticus, si transacto triennali experimento nondum appareant nec simpliciter nec moraliter certa impotentiæ signa ?* — 1. Si matrimonium vere consummatum neget vir, affirmet vero fœmina, fides affirmanti habenda, et sententia pro matrimonii valore ferenda est. Ratio est, quia in pari causa potior est conditio possidentis, nec præsumitur quod fœmina viro impotenti cohabitare et sterilis apparere velit.

2. Si contra fœmina neget consummatum esse matrimonium, vir autem affirmet, fides habenda est viro (nisi tamen medici affirmarent certam impotentiam viri, vel matronæ uxorem esse adhuc virginem ; quia tunc pronuntiandum esset pro uxore contra virum).

3. Si adhuc post triennalem experientiam uterque conjux impotentiam alterutrius affirmet, ad tollendam collusionis suspicionem, debet judex eis deferre juramentum præstandum cum *septima manu,* id est, cum septem consanguineis viri et totidem mulieris (vel totidem vicinis, si consanguinei desint, vel paucioribus si tot haberi nequeant). Cum ergo conjuges juraverint adesse impotentiam, et prædicti consanguinei vicinive aut honestæ personæ juraverint, se credere conjuges affirmasse verum, judex irritum matrimonium pronuntiet, et illi qui potens est ad alias nuptias transire permittat.

Quæstio 6ª. — *A quo tempore computandum sit triennale experimentum ?* — Est sententia communis computandum esse

a die attentatæ copulæ. Ex praxi autem Romanæ curiæ, computari a die decreti judicis adnotat Schmalzgrueber (in tit. 15, libri 4 Decret., n. 85).

Nota. — Tres ultimas quæstiones cursim attingimus, receptam communiter doctrinam exponendo, prætermissis ad ejus probationem documentis ; ne scilicet ejusmodi materiæ plusquam necesse est immoraremur. Facile autem supplere lector poterit, legendo septem capita, quibus constat titulus 15, libri 4 Decretalium; necnon caput 4 et caput 14 tituli 19, libri 2 Decretalium ; et canonistas præfatum titulum 15, libri 4, commentariis illustrantes.

Quæstio 7ª. — *Quid faciendum, si is, ob cujus impotentiam dissolutum est matrimonium, deinde aliud ineat ?* — Vel ob relativam impotentiam dissolutum fuit matrimonium, vel ob absolutam :

Si ob relativam, valet secundum matrimonium ; siquidem primum revera nullum fuit ob relativam impotentiam, quam falso allegatam fuisse nequaquam probat secundum matrimonium.

Si ob absolutam, irritum secundum matrimonium : nam vel vera fuit impotentia absoluta ; et tunc permanet, et irritum reddit matrimonium posterius; vel falsa fuit, et tunc valet prius matrimonium, ac consequenter valide contrahi non potuit posterius. Unde in hoc casu posterius matrimonium, absque ulla etiam probatione, dissolvendum est.

Si posterius matrimonium contractum est mortua jam priori uxore, nihilominus vir (ob cujus impotentiam absolutam prius conjugium solutum fuit) prohiberi debet a dicto posteriori consortio, donec probaverit se potentem esse, et Ecclesiam fuisse deceptam. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 15, libri 4 Decret., n. 92.)

Quæstio 8ª. — *Quid agendum, si is, ob cujus impotentiam dissolutum est matrimonium, postea comperiatur fuisse potens?* — Restaurandum est matrimonium dissolutum, etiamsi alter conjux transierit ad novas nuptias ; quæ novæ nuptiæ con-

sequenter pro nullis tunc habendæ sunt et dissolvendæ. Est autem generalis regula hæc omnino certa et unanimiter admissa. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 15, libri 4 Decret., n. 95.) Hinc resolves,

1° Restaurandum esse matrimonium dissolutum ob impotentiam *absolutam* viri, si is ex actu carnali cum qualicumque fœmina reperiatur potens : quia tunc falsum est extitisse impotentiam absolutam ; ac proinde erronee pronuntiata est matrimonii nullitas. Idem dicendum de fœmina, si ob ejus impotentiam *absolutam* dissolutum fuit matrimonium, et postea ex carnali consortio cum qualicumque viro potens reperiatur.

2° Item restaurandum est matrimonium solutum ob impotentiam relativam, si postea comperiatur hanc relativam impotentiam non extitisse : verbi gratia, si iidem ipsi conjuges, inter quos judicatum est existere dictam relativam impotentiam, carnale postea consortium consumment : item si mulier, quæ ob arctitudinem judicata est relative impotens, actum postea carnalem consummet cum aliquo, qui priori suo marito quoad virilia similis sit ; quæ tamen similitudo tunc probanda est, antequam prioris matrimonii restauratio seu validitas pronuntietur.

3° Procedit autem tradita regula quantumcumque tempus a pronuntiata prioris matrimonii dissolutione effluxerit ; quia sententia lata ex errore, et præsertim contra matrimonii validitatem, nunquam in rem judicatam transit.

4° Excipiendus tamen est a præfata regula casus, quo pronuntiata matrimonii solutione ob impotentiam, conjux qui prætensus est impotens, religionem sit professus : etsi enim is postea potens fuisse reperiatur, non restaurandum est prius matrimonium, utpote ante consummationem per professionem religiosam vere dissolutum ; sed stat validitas professionis religiosæ, et secundi matrimonii ab altera parte contracti. Memorant præterea doctores inter casus a regula generali excipiendos, casum sublatæ per miraculum vel per artem magicam

impotentiæ, quæ naturaliter erat vere perpetua. Licet enim tunc potens evadat qui fuerat impotens, non tamen restaurandum est prius matrimonium, nec solvendum posterius.

§ V.

De modo servando quoad dispensationes matrimonii rati non consummati.

Matrimonium, etsi valide contractum, quamdiu non fuit consummatum, solvi potest, tum per utriusque vel alterutrius conjugis ingressum in religionem, tum per dispensationem Romani Pontificis. Concessa autem dicta dispensatione, possunt conjuges aliud inire matrimonium. Hinc frequentes Romam dirigi solent preces, ad obtinendam matrimonii rati non consummati dispensationem. De quibus instantiis dicendum venit, 1° quid statuerit Benedictus XIV ; 2° quid requiratur ut eas dispensationes valide et licite Romanus Pontifex concedere possit ; 3° quæ sint partes Sacræ Congregationis Concilii quoad dispensationes ejusmodi ; 4° an in expedienda causa dispensationis matrimonii rati non consummati, servari debeant apud Sacram Congregationem præscriptiones Benedicti XIV circa nullitatis causas.

I. *Quid statuerit Benedictus XIV ?* — In supra citata constitutione *Dei miseratione* (tomo 1 Bullarii dicti Pontificis, n. 33) sic occurrit hac de re dispositum, § 15 : « Quoniam sæpe apud « Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione « matrimonii rati et non consummati, quæ ut plurimum pro « voto consultivo ad congregationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ « Cardinalium Concilii interpretum, vel nonnunquam ad ali- « quam congregationem particularem, deputatam a Romanis « Pontificibus pro tempore, remitti solent; ut hujusmodi in- « stantiæ ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut « supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore « exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species « contineatur, causæque omnes in eo exprimantur, quæ ad

« obtinendam petitam dispensationem conducere posse a sup-
« plicante censentur ; ut Romanus Pontifex eo lecto, et mature
« considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat,
« vel ejus examen alicui ex dictis congregationibus committat :
« a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit,
« a secretario ejusdem congregationis totius negotii series exa-
« cte Romano Pontifici pro tempore referatur ; qui pro sua
« prudentia judicabit, an Congregationis resolutio sit appro-
« banda, vel potius totius causæ examen alteri Congregationi
« vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus commit-
« tendum. »

II. *Quid requiratur ut valida et licita sit pontificia dispensatio ?* — 1° Ad validitatem ejusmodi concessionis, seu ut matrimonium revera dissolvatur, et aliud a conjugibus iniri possit, omnino necesse est non intervenisse matrimonii consummationem. Si enim matrimonium fuerit consummatum, jam non est per Pontificiam dispensationem dissolubile ; et præterea dispensationem Pontifex non concedit, nisi in hypothesi quod matrimonium non fuerit consummatum. Hinc, si postea detegatur deceptum fuisse Pontificem, et revera consummatum fuisse matrimonium quod prætendebatur non consummatum, pronuntiari debet, non obstante dispensatione, hujus matrimonii validitas, et subsequenter contracti conjugii nullitas. 2° Ad liceitatem requiritur *probatio* de non consummato matrimonio, et *justa causa* illud dissolvendi : probatio quidem de non consummato matrimonio ; quia si ex sola assertione petentium dispensatio concedatur, cum hæc assertio falsa esse possit, adest periculum januam aperiendi adulteriorum flagitiis ; siquidem mediante dispensatione transibunt conjuges ad nova connubia, quæ utpote irrita, nihil aliud erunt quam flagitia. Sed postquam constat consummatum revera non fuisse matrimonium, concedi non debet dispensatio, nisi ex justa causa : relaxatio enim matrimonialis vinculi est quid per se bono generali Ecclesiæ nocivum ; unde fieri non debet absque motivo rationabili.

Hinc in libello supplici, quo matrimonii rati non consummati dispensatio postulatur, clare ostendenda seu probanda sunt hæc duo: matrimonium non fuisse consummatum, et justam adesse concedendæ dispensationis causam : alioquin dispensatio non concedetur.

III. *Quæ sint partes Sacræ Congregationis Concilii quoad dispensationes ejusmodi?* — 1° Nequit ipsa dispensationem concedere, sed tantum votum consultivum emittere super hoc dubio, *num sit locus concedendæ dispensationi.* Constat ex modo citata Benedicti XIV constitutione. 2° Non debet ad examen ejusmodi instantiarum procedere, nisi postquam examen illud a Summo Pontifice illi fuerit commissum. Constat pariter ex Benedictina constitutione. 3° Tota indagatio ad determinandum Sacræ Congregationis votum (quando ipsi expendendum committitur ejusmodi dispensationum negotium), versatur circa duo hæc: an probetur matrimonium non fuisse consummatum ; et an, hoc probato, justa allegetur dispensandi causa. Quæ duo si constent, Sacra Congregatio respondet *affirmative*, idest dari locum concedendæ dispensationi ; si autem alterutrum desit, *negative* respondet. Quod votum consultivum secretarius Sacræ Congregationis defert ad Sanctissimum ; et prout Sanctissimus illud approbat vel rejicit, expeditur vel denegatur postulata dispensatio.

IV. *An in expedienda causa dispensationis matrimonii rati non consummati, servandæ sint apud Sacram Congregationem solemnitates a Benedicto XIV præscriptæ in causis nullitatis matrimonii?* — 1° Causa dispensationis matrimonii rati non consummati, semper implicite continet et involvit causam nullitatis matrimonii : nam in causa dictæ dispensationis, Sacræ Congregationi solvendum incumbit hoc dubium, *an expediat necne concedi* matrimonii (quod prætenditur non consummatum) *dispensationem.* Hoc autem dubium affirmative solvi nequit nisi prius soluto hoc altero dubio, *utrum verum sit, non intervenisse matrimonii consummationem.* Prout autem hoc ultimum dubium affirmative vel negative solvitur, pronuntiatur

validum vel irritum fore, post obtentam dispensationem, tum novum matrimonium quod contraheretur, tum prius matrimonium, pro quo solvendo obtenta fuisset dispensatio. Ergo causam dispensationis matrimonii rati non consummati dirimere, est simul et indivulse dirimere causam nullitatis vel validitatis alicujus matrimonii. Unde si revera deberet Sacra Congregatio Concilii matrimonii rati dispensationem ipsa concedere, exequi deberet Benedictinæ constitutionis præscriptiones, cum ad concedendam dispensationem deberet prius veram causam nullitatis seu validitatis dirimere.

2. Sed notandum est, dispensationem matrimonii rati non consummati non concedi a Sacra Congregatione, sed a Sanctissimo; et Sacra Congregatio emittit dumtaxat votum consultivum. Unde cum solemnitates a Benedicto XIV præscriptæ respiciant, dumtaxat judices, qui *pronuntiare* debent de nullitate vel validitate matrimoniorum, non autem eos qui votum dumtaxat consultivum emittendum habent, in rigore non tenetur Sacra Congregatio dictas solemnitates adhibere.

3. Sæpe autem contingit ut causa dispensationis ad Sacram Congregationem veniat simul, conjuncta cum causa nullitatis ex impedimento impotentiæ, vel ex defectu consensus. Partes scilicet disjunctive petunt, vel matrimonium declarari nullum, vel saltem concedi dispensationem ex eo quod, etsi valide contractum, consummatum tamen non fuerit. Tunc vero Sacra Congregatio judicandam habet ante omnia *causam nullitatis*; ac proinde procedere debet juxta normam Benedictinæ constitutionis. Quod si valide contractum matrimonium pronuntiaverit, emittendum ei remanet votum consultivum super dubio, an consulendum sit Sanctissimo pro concedenda matrimonii rati non consummati dispensatione.

4. Sed etsi solum habeat emittendum consultivum votum de opportunitate concedendæ dispensationis, solet tamen matrimonii defensorem constituere et audire; cujus tunc partes sunt sustinere certam esse, vel saltem præsumendam matrimonii consummationem, et de contrario non satis constare;

ac proinde dispensationem esse denegandam. Cæterum necessarium tunc non esse defensoris matrimonii interventum, neque duplicem sententiam conformem, sequi videtur ex superius deducta ratione; ex eo nempe quod nulla tunc sit pronuntianda a Sacra Congregatione sententia de nullitate vel valore matrimonii, sed emittendum dumtaxat votum consultivum. Unde, quod etiam in eo casu adhibeatur defensoris matrimonii ministerium, tribuendum videtur stylo Congregationis, non autem rigorosæ obligationi, ex Benedictina constitutione exurgenti.

§ VI

Norma informationis capiendæ de statu libero eorum, qui matrimonium inire volunt.

1° Decreta ecclesiastica hac de re emanata præmittemus. 2° Expendemus quodnam ex his decretis commune jus oriatur. 3° Exquiremus an et quatenus jus illud commune hodiedum vigere censendum sit.

Punctum I. — *Præmittuntur hac de re emanata decreta ecclesiastica.* — Duo extant ejusmodi decreta : alterum Tridentinæ synodi ; alterum vero sancti Officii, a Clemente X confirmatum.

I. *Tridentini concilii dispositio.* — Respicit dumtaxat vagos, et est hujusmodi : « Multi sunt qui vagantur et incertas ha- « bent sedes ; et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, « aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis « ducunt. Cui morbo cupiens sancta synodus occurrere, « omnes ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus homi- « num vagantium ad matrimonium facile recipiant. Magistra- « tus etiam sæculares hortatur ut eos severe coerceant. Pa- « rochis autem præcipit ne illorum matrimoniis intersint, nisi « prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium « delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » (Sess. 24, c. 7, *de Ref. matrim.*) Vi hujus Tridentini decreti, licite nequit

parochus vagorum matrimoniis assistere, nisi prius diligenter inquisiverit num sint liberi ad contrahendum, idest, nullo jam contracto matrimonio ligati ; et insuper nisi rem ad Ordinarium detulerit, et licentiam matrimonio assistendi ab eo obtinuerit.

II. *Instructio sancti Officii, per decretum Clementis X confirmata.* — « Cum alias per Sacram Congregationem sancti Of-« ficii, iteratis instructionibus ab eadem emanatis, de anno 1658 « et 1665, locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit, « ut præscriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad pro-« bandum statum liberum contrahentium matrimonium indu-« cuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc « vivente altero conjuge, aut alias impediti, ad secunda illi-« cita vota transire satagebant : videns nihilominus Sanctissi-« mus Dominus Noster quamplures locorum Ordinarios, vel « eorum Vicarios et deputatos ad excipiendas testium deposi-« tiones, necnon parochos et notarios, in casibus expressis, « aut omittere aut non observare earumdem instructionum « tenorem ; et licet aliquando plene observent, non tamen in-« terrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus : ideo « volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere, re mature « considerata cum Eminentissimis et Reverendissimis Dominis « Cardinalibus Generalibus inquisitoribus, præsenti decreto « perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum injungit « omnibus Vicariis seu deputatis pro examinandis testibus ad « probandum statum liberum contrahentium matrimonium, « necnon parochis, notariis et quibuscumque aliis respective, « sub pœnis etiam gravibus corporalibus arbitrio Sacræ Con-« gregationis, ut instructionem infrascriptam ad unguem ob-« servent. — *Instructio pro examine illorum testium, qui « inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in curia « Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Urbis « Vicarii, quam in aliis curiis cæterorum Ordinariorum.* — « 1° Imprimis testis moneatur de gravitate juramenti in hoc præ-« sertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana

« majestas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam et gra-
« vitatem ; et quod imminet pœna triremium et fustigationis de-
« ponenti falsum.

« 2° Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exer-
« citio et habitatione.

« 3° An sit civis vel exterus ; et quatenus sit exterus, a quo
« tempore est in loco quo testis ipse deponit.

« 4° An ad examen accesserit sponte vel requisitus : si dixerit
« accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia præ-
« sumitur mendax. Si vero dixerit accessisse requisitum, inter-
« rogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram qui-
« bus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod im-
« pedimentum inter contrahere volentes.

« 5° Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit ali-
« quid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere
« volentibus, vel ab alio, ipsorum nomine.

« 6° Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a
« quanto tempore ; in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis
« vel conditionis existant. Si responderit negative testis, dimit-
« tatur : si vero affirmative,

« 7° Interrogetur an contrahere volentes sint cives vel ex-
« teri. — Si responderit esse exteros, supersedeatur in licen-
« tia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum con-
« trahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo
« tempore quo permanserunt in sua civitate vel diœcesi. Ad
« probandum vero eorumdem contrahere volentium statum
« liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet, usque ad tem-
« pus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui
« legitime et concludenter deponant statum liberum contra-
« here volentium, et reddant sufficientem rationem causæ eo-
« rum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestatio-
« nes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes
« moram traxerunt. — Si vero responderit contrahere volentes
« esse cives,

« 8° Interrogetur sub qua parochia hactenus contrahere

« volentes habitarint, vel habitent de præsenti. Item an ipse « testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quan- « doque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse « in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex or- « dinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel pres- « byteratum ; vel habere aliud impedimentum, ex quo non « possit contrahi matrimonium. — Si vero testis responderit, « non habuisse uxorem vel maritum, neque aliud impedimen- « tum ut supra,

« 9° Interrogetur de causa scientiæ, et an sit possibile, quod « aliquis ex illis habuerit uxorem vel maritum, vel aliud impedi- « mentum, et quod ipse testis nesciat. Si responderit affirma- « tive, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concluden- « ter non habuisse uxorem vel maritum, neque aliud impedi- « mentum. Si vero responderit negative,

« 10° Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde judex col- « ligere poterit an testi sit danda fides. Si responderit con- « trahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse « mortuos,

« 11° Interrogetur de loco et tempore quo sunt mortui, et « quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. « Et si responderit mortuos fuisse in hospitali, vel vidisse sepeliri « in certa ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militi- « bus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testi- « monio authentico a rectore hospitalis, in quo prædicti præ- « decesserunt, vel a rectore ecclesiæ in qua humata fuerunt eo- « rum cadavera, vel, si fieri potest, a Duce illius cohortis, in « qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia ha- « beri non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere « alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dum « modo sint legitimæ et sufficientes.

« 12° Interrogetur, an post mortem dicti conjugis defuncti, ali- « quis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda « vota. Si responderit negative,

« 13° Interrogetur an esse possit, quod aliquis ex illis transierit

« ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat. Si respon-
« derit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producan-
« tur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero
« negative,

« 14° Interrogetur de causa scientiæ ; qua perpensa, judex po-
« terit judicare, an sit concedenda licentia vel ne.

« Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam con-
« trahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse li-
« beros; et in aliis servata forma concilii Tridentini, capite
« *Multi*, sessionis 24.

« Fides, aliaque documenta quæ producuntur de partibus,
« non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi
« ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam
« manum et sigillum ; et attente consideretur fides, seu testimo-
« nia bene et concludenter identificent personas de quibus
« agitur.

« Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei
« quam extranei : quia præsumuntur melius informati ; et cives
« magis quam exteri. Nec admittantur homines vagi et milites,
« nisi data causa et maturo consilio. Et notarius exacte de-
« scribat personam testis ; quem si cognoscit, utatur clausula,
« *mihi bene cognitus*. Si minus, examen non recipiat, nisi una
« cum persona testis, aliqua alia compareat, cognita notario, et
« quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de
« idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi
« examinibus debet interesse, in Urbe ultra notarium, officialis
« specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario ; et extra
« urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis
« et idonea, ab Episcopo specialiter deputanda : alias puniatur
« notarius arbitrio Sacræ Congregationis, et Ordinarius non
« permittat fieri publicationes.

« Ordinarii præcipiant omnibus et singulis parochis in eorum
« diœcesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris con-
« trahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi
« certiorato Ordinario, a quo, vel ejus generali Vicario, prius

« teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio « fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant sta- « tum liberum contrahere volentium.

« Contravenientes autem severe puniantur. »

Punctum II. — *Expenditur quodnam ex præmissis decretis commune jus oriatur.* — 1° Attentis decretis hujusmodi, pro certa de jure communi habenda est generalis regula, non posse licite ad matrimoniorum celebrationem procedi, nisi prius in curia episcopali juridice probatus fuerit liber contrahere volentium status.

Procedit autem regula hæc, etiamsi contracturi sint diœcesani, et parochus liberum eorum statum certo cognoscat. Decretum enim Clementis X non præscribit tantum ut habeatur scientia certa, sed ut sumatur probatio juridica de libero utriusque contracturi statu.

2° Examen testium, qui ad probandum statum liberum producuntur, fieri regulariter debet coram Episcopo vel ejus Vicario generali : sed potest etiam Ordinarius alicui viro idoneo id officii demandare; ita tamen ut tunc depositiones testium ad curiam episcopalem mittantur, et ab eadem curia semper expediatur status liberi attestatio. « Testes (ait Monacelli, « parte 1, tit. 8, formula 1, adnotatione 1) qui in curia epi- « scopali recipiuntur ad probandum statum liberum, juxta « instructionem Sacræ Congregationis inquisitionis de Urbe, « debent examinari coram Episcopo vel ejus Vicario generali. « In diœcesi tamen ampla, ne testes et partes distantes nimium « graventur accessu ad curiam episcopalem, poterit examen « pro matrimoniis diœcesanorum (nunquam tamen vagorum) « alicui idoneo viro delegari, prout ipsa instructio permittit; « mandato tamen quod testium receptorum depositiones trans- « mittantur ad curiam episcopalem, a qua debet semper expe- « diri attestatio. »

3° Forma faciendi juridici examinis non relinquitur examinantis arbitrio, sed prout in præmissa sancti Officii instructione determinatur, ad unguem servari præcipitur.

4° Debet examini interesse notarius, qui potest esse actuarius seu cancellarius episcopalis curiæ ; ut nempe totum examen in acta redigat.

5° Pro matrimoniis *cum exteris* contrahendis, prohiberi debent ab Ordinariis parochi ne publicationes faciant, ante receptam a curia episcopali attestationem, quod pro tali matrimonio probatus sit per testes liber status. Cum autem hoc decernatur expresse pro matrimoniis contrahendis *cum exteris*, sequitur posse parochum, si contrahatur *inter diœcesanos*, ante receptam dictam attestationem publicationes facere : ad celebrationem autem matrimonii necessaria erit, etiam quoad diœcesanos, prævia illa attestatio.

6° Quoad vagos, exigitur ut exhibeant attestationes Ordinariorum suorum de statu libero; et insuper ut servetur decretum Tridentinum (sess. 24, cap. 7, *de Ref. matrim.*), idest, ut parochus ad eorum matrimonium celebrandum non procedat, nisi certiorato suo Ordinario, et obtenta ab eo licentia.

Contingere autem potest ut hujusmodi vagi statum liberum probare nequeant, neque per attestationes Ordinariorum suorum, neque per testes. Tunc autem solere institui ab eis recursum ad Sacram Congregationem Inquisitionis testatur Monacelli his verbis : « Hi..., si uxorem ducere velint, et de illorum « statu libero, neque fidem Ordinariorum, nec testes afferre « valeant, recursum habere solent ad eamdem Sacram Con« gregationem Inquisitionis; quæ attenta facti expositione, et « morali impossibilitate certam status fidem habendi, preces « Ordinariis locorum remittit, cum facultate ut possint (com« minata prius contrahere volentibus pœna triremium, irremis« sibiliter infligenda, in casu quod ipsos alibi habere uxores « vel viros detegatur, præstitoque per eosdem juramento ad « Sancta Dei Evangelia, se esse liberos ad contrahendum) ad « celebrationem matrimonii devenire ; ut non semel mihi in« cidit tempore quo munere Vicariatus fungebar. Verum est « autem quod, non semper sacra congregatio sancti Officii pro

« hujusmodi vagantibus talem facultatem concedit ; sed arbi-
« trio regulato a qualitate personæ, diuturnitate vagationis, et
« aliis facti circumstantiis, vel indulget, vel denegat, vel re-
« scribit quod probent statum liberum eo modo quo meliori
« potest probari. » (Parte 1, titulo 8, formula 1, adnotatio 3 et 4.)

Punctum III. — *An et quatenus expositum jus commune hodiedum vigere censendum sit?* — I. Certum est non vigere hodie eas præfatæ instructionis dispositiones, quarum executio evasit impossibilis. Porro revera hodie in multis regionibus ad executionem deduci nequit auctoritate ecclesiastica triremium fustigationisve pœna, quæ in dicta sancti officii instructione comminanda præcipitur iis, qui de statu libero contrahere volentium falsum deponerent. Unde in iis regionibus omittenda est ejusmodi comminatio.

II. Cæteræ decreti dispositiones non censendæ sunt abrogatæ per legitime præscriptam contrariam consuetudinem. Nam relata sancti officii instructio iterum sub Leone XII renovata et confirmata est ; porro ab hujus Pontificis tempore usque nunc, non ea effluxit diuturnitas quæ requiritur, ut consuetudo contra generalem Ecclesiæ legem prævaleat.

III. — Si tamen alicubi hodie cessasse constet præcipuum ejusmodi legis finem, ibi legem illam non obligare sustineri potest.

IV. In nonnullis autem regionibus videtur hodie cessasse præcipuum finem, cujus ergo præfatæ sancti officii instructionis observantia præscripta est. In Gallia, verbi gratia, non celebratur matrimonium (ita cogente potestatis sæcularis lege), nisi prius coram gubernii officialibus celebratus fuerit civilis contractus. Ad ejusmodi autem civilem contractum non admittuntur nisi ii de quorum statu libero constat ; et ne fraus in ea re fieret, satis providit sæcularis potestas. Unde quando celebrato illo contractu civili, partes ad Ecclesiam ad contrahendum verum matrimonium accedunt, jam satis constat de earum libero ad contrahendum statu. In ea ergo et

similibus regionibus, non videtur hodie stricte obligare dicta sancti officii instructio. Quam tamen conclusionem (ne forte satis tuta non sit) nonnisi dubitative proponimus, et doctiorum, auctoritatisque præsertim ecclesiasticæ judicio omnino subjicimus.

Nota. — Formulas ad concedendam attestationem de statu libero tradit Monacelli (parte 1, tit. 8, formula 1, 2 et 3); et prima est hujusmodi :

« *N., Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N. — Universis et singulis, ad quos præsentes nostræ pervenerint, fidem facimus et attestamur N..: de..., nunquam habuisse, neque de præsenti habere uxorem* (vel maritum); *sed esse in statu libero ad contrahendum matrimonium, prout ex depositionibus testium coram nostro Vicario generali* (vel coram Nobis), *medio eorum juramento, ad præscriptam formam instructionis Sacræ Congregationis inquisitionis de Urbe examinatorum plene constat. In quorum... Datum... — N., Episcopus, — N., cancellarius.* » — Et apponitur sigillum consueto loco.

Aliam ibidem formulam subjungit Monacelli, ad attestandum aliquem discessisse e diœcesi in statu libero; et aliam ad attestandum aliquem exterum, tempore quo in diœcesi moram traxit, permansisse et esse in statu libero ad ineundum matrimonium. Sed duæ posteriores formulæ facile ad normam primæ concinnari poterunt, quin opus sit eas hic annectere.

CAPUT III.

NORMA PROCEDENDI IN CAUSIS NULLITATIS PROFESSIONIS RELIGIOSÆ.

Sicut in causis nullitatis matrimonii, ita et in causis nullitatis professionis religiosæ determinata et præscripta fuit specialis procedendi forma; ad quam exponendam et sanciendam edidit Benedictus XIV constitutionem suam quæ incipit *Si da-*

tam hominibus (tomo 2 bullarii sui, n. 47, pag. 393, edit. Romæ 1749).

Præcipuas hac de re dispositiones describemus sub duplici paragrapho; prout nempe reclamatio contra valorem professionis intra quinquennium proponitur, vel post elapsum quinquennium a die emissæ professionis.

§ I

Norma procedendi in causis nullitatis professionis religiosæ, quando intra quinquennium contra professionem reclamatur.

I. Quoties aliquis religiosus intra quinquennium a die professionis suæ prætendit ejusdem professionis nullitatem, causa judicanda est *a superiore suo et Ordinario*. Constat ex capite 19 sessionis 25 Tridentinæ synodi, in quo sic decernitur: *Quicumque regularis prætendat se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; et tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit deduxerit coram superiore suo et Ordinario.*

II. Præfata dispositio intelligenda est etiam quoad religiosos fœminarum ordines. Ita expresse declarat Benedictus XIV in citata bulla *Si datam*.

III. Item intelligenda est, non tantum in casu quo religiosus vel religiosa nullitatem prætendit, sed etiam quando ab ipso ordine religioso contenditur nullam fuisse alicujus sui membri professionem. (Ita expresse in dicta Benedicti XIV bulla.)

IV. Quinquennium numerandum est a die emissæ professionis, etiamsi prætenderetur metum durasse ultra illud quinquennium, et defuisse libertatem intra quinquennium reclamandi. (Citata bulla.)

V. Si actio nullitatis intentata fuerit intra dictum quinquennium, licet postea deserta fuerit, si reassumatur elapso quinquennio, admittenda est et judicanda a superiori regulari et Ordinario. (Citata bulla.)

VI. Certum est *regularem superiorem*, de quo in decreto Tridentino, intelligendum esse, quoad virorum ordines, *superiorem localem, nimirum Abbatem vel Guardianum, sive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum præpositum, seu rectorem illius monasterii aut cœnobii, in quo reclamans professionem emisit; eum nempe, qui hujusmodi monasterii aut cœnobii regimen exercet, quo tempore causa super nullitate professionis in judicium deducitur.* (Bulla citata *Si datam.*)

VII. Quoad fœminarum Ordines, *si agatur de monialibus Ordinario loci immediate subjectis, tunc, cum nullus sit earum superior regularis, solus Ordinarius judicat de professione reclamantium intra quinquennium: si vero moniales regularium regimini subsint, tunc hujusmodi causæ judicandæ sunt ab Ordinario loci simul et a superiore regulari; ab eo nimirum, cui concreditum est universum monasterii regimen, non autem a confessario regulari monialium.* (Bulla citata *Si datam.*)

VIII. Regularis, qui simul cum Episcopo est de jure judex in causa nullitatis professionis, nequit jus suum cedere Episcopo, seu permittere ut is solus judicet: potest tamen alterum regularem sibi substituere seu delegare. (Bulla citata *Si datam.*)

IX. Si Ordinarius et superior regularis in judicando dissentiant, ex facto ipso hujus dissensus, causa remanet Sedi Apostolicæ devoluta. (Ibid.)

X. Si professio nulla prætendatur, ex eo quod facta fuerit extra cœnobium, instituendis novitiis destinatum (prout in hoc casu nullam fore decrevit Clemens VIII *quoad nonnullas regiones*), ad Sacram Congregationem Concilii causa tunc privative pertinet. (Bulla *Si datam.*)

XI. Regularis nullitatem professionis suæ prætendens audiendus non est, nisi constet eum morari in religionis suæ

claustris, et habitum regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit. (Capite 19, sess. 25 concilii Tridentini ; et citata bulla *Si datam.*)

XII. In hujusmodi expediendis causis conficiendus est verus et judicialis processus : *Volentes atque districte mandantes ut ad adstruendas probationes in hujusmodi causis necessarias verus et judicialis processus omnino conficiatur; in quo et articuli exhibeantur ex parte illius qui adversus professionem agit; et interrogatoria dentur ab ea parte, quæ stat pro ipsius professionis validitate ; et testes tam super articulis, quam juxta hujusmodi interrogatoria examinentur ; utque hac forma non servata, processus ipse, et sententia dependenter ab eo prolata insanabili nullitatis vitio corruere censeantur ; salva etiam dispositione juris communis quoad alia nullitatis capita , si quæ forte in ipsa processus completione intervenerint.* (Bulla *Si datam.*)

XIII. Citari debent, tum defensores monasterii seu cœnobii ; tum professi ipsius consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit aut cessit ; tum cæteri omnes, quorum interest illius professionem validam sustineri. (Bulla *Si datam.*)

XIV. Deputandus est ab unoquoque Ordinario in diœcesi sua *defensor professionum,* ad instar defensoris matrimonii. (Bulla *Si datam.*)

XV. Quæcumque statuta sunt quoad defensorem matrimonii, valent respective quoad *professionum defensores.* (Bulla *Si datam.*)

XVI. Expensæ pro honorario defensoris professionum solvendæ sunt ab illis, quibus religiosus professus bona sua cessit. Si tales non existant, solvere debet religio, modo tamen de iis sit quæ bona temporalia possidere potest. Si ordo bona non possideat, nec sint quibus religiosus professus bona sua dimiserit, satisfiat ex mulctis illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, prout de matrimonii defensore statutum fuit. (Bulla *Si datam.*)

XVII. Si a judicibus in prima instantia professio pronuntietur nulla, defensor professionum appellare debet. (Bulla *Si datam.*)

XVIII. Ut religiosus a religione discedere possit, requiritur ut duplici conformi sententia professio declarata sit nulla, et ut a secunda sententia appellatum non fuerit : alioquin a religione discedens pœnis apostatarum subjacet. (Bulla *Si datam.*)

XIX. Judices secundæ instantiæ duo sunt, nempe : ille Ordinarius ad quem appellandum est a sententia Ordinarii, qui judicavit in prima instantia (verbi gratia, Archiepiscopus, si Episcopus Suffraganeus sententiam primæ instantiæ tulit), *una cum superiore regulari, non quidem illius monasterii in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii (ejusdem Ordinis) in civitate aut diœcesi prædicti Ordinarii secundæ instantiæ existentis ; vel, tali monasterio non extante, una cum superiore vicinioris monasterii.* (Bulla *Si datam.*)

XX. Si causa ad Sedem Apostolicam devolvatur, sive committatur Sacræ Congregationi Concilii, sive Sacræ Congregationi Episcoporum et regularium, sive romanæ Rotæ, prædictus *regularis superior* tanquam judex non admittitur. (Bulla *Si datam.*)

XXI. Prædicta omnia procedunt etiam quoad curiam Cardinalis Vicarii. (Bulla *Si datam.*)

§ II.

Norma procedendi in causis nullitatis professionis religiosæ, quando nullitas post quinquennium a die emissæ professionis proponitur.

I. Attentis dumtaxat supra citati decreti Tridentini verbis, nulla actio nullitatis post elapsum a die professionis quinquennium admitti deberet, siquidem ibi expresse decernitur : *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die professionis.*

II. De facto ita olim servatum est : et ita servandum præcripsit Gregorius XIII, decreto diei 5 martii 1598, cujus verba,

in tomo decretorum Congregationis Concilii, folio 55, sic se habent : *Gregorius XIII, ex sententia Congregationis Concilii declaravit, eos qui per vim et metum se religionem professos prætenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso non esse audiendos, tametsi allegarent vim et metum semper durasse.*

III. Postea tamen inductum est, ut in hoc casu concederetur *restitutio in integrum;* idest, ut posset causa admitti et judicari, quamvis post elapsum quinquennium actio nullitatis proponeretur. (Bulla citata *Si datam.*)

IV. Ejusmodi restitutio in integrum concedi nequit, nisi a Sede Apostolica. (Dicta bulla *Si datam.*)

V. Præteritis temporibus, solebat Sedes Apostolica, visa probabili ratione a reclamante exposita, dictam restitutionem concedere, id est, indulgere ut reclamans adversus professionem, licet elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram judicibus competentibus actionem promovere posset. (Bulla citata *Si datam.*)

VI. Postea vero invaluit et hodiedum viget alia praxis quoad modum concedendæ ejusmodi restitutionis in integrum ; nempe :

Directa ad Sedem Apostolicam petitio restitutionis in integrum, ad aliquam romanam Congregationem aut tribunal remittitur. Sacra autem Congregatio *Ordinario et superiori regulari* expendendum committit dubium, *an concedenda sit restitutio in integrum.* In quo solvendo dubio, hi non minus accurate procedere debent, quam si super ipsa professionis validitate vel nullitate sententiam laturi essent. Quod si pronuntient concedendam videri restitutionem in integrum, tunc ipsis committit Sacra Congregatio ipsum de nullitate professionis judicium.

VII. Prædictam praxim Benedictus XIV in jus commune sancivit, eamque simul moderavit ac determinavit in hunc modum :

« Accuratum hujusmodi examen causarum restitutionis in

« integrum, apud romanæ curiæ judices in more positum,
« non modo non immutare intendimus, verum etiam approba-
« tione nostra singulis ad quos pertinet magnopere commen-
« datum, ab ipsis in posterum observari volumus ac jubemus ;
« hoc tamen addito, ut in commissionibus, quæ diriguntur su-
« perioribus regularibus et Ordinariis locorum, pro conficien-
« dis processibus, iisdem sub pœna nullitatis actuum injunga-
« tur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu
« defensoris professionis : ad quem nimirum pertinebit inter-
« rogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt testes,
« aliaque ad officium sibi impositum pertinentia diligentis-
« sime præstare. Item volumus, ut in ipsa propositione dubii
« super concessione restitutionis in integrum, tam in præfatis
« Cardinalium Congregationibus Concilii Tridentini interpreta-
« tioni, et Episcoporum et regularium consultationibus præ-
« positis, quam in Auditorio Rotæ, aut in quacumque congre-
« gatione particulariter forsan deputata, sub simili nullitatis
« pœna, defensor professionis, ab eo qui tribunalis caput est,
« deputatus, expensis eorum de quibus supra, semper et in
« omnibus actibus in judicio stare debeat : neque solum in
« prima hujusmodi dubii propositione, sed etiam in ulteriori-
« bus, quatenus reclamans in prima rejectus, ad novam au-
« dientiam admittatur. Denique ut pro fruendo beneficio
« restitutionis in integrum, unica favorabilis resolutio nequa-
« quam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato
« causæ examine, auditoque semper defensore professionis,
« confirmata fuerit : quemadmodum in altera constitutione
« nostra, de causis super nullitate matrimonii constituimus. »
(Bulla *Si datam.*)

Ex hac autem clarissimi Pontificis dispositione patet, in qualibet causa nullitatis professionis, post quinquennium proposita, duplicem et omnino similem processum esse faciendum : priorem, pro solvendo dubio *an concedenda sit restitutio in integrum ;* posteriorem, ad pronuntiandum de nullitate ipsa vel validitate professionis. In priori autem processu, cum tot solem-

nitatibus facto, et cum duplicis sententiæ conformis necessitate, jam ipsa causa nullitatis implicite et de facto ordinarie dirimitur. Unde ejusmodi processum exigendo ad concedendam restitutionem in integrum, æquivalenter de facto restitutio hæc omnibus conceditur ; siquidem omnibus conceditur ut per juris apices expendatur valor rationum quas allegant ad probandam professionis suæ nullitatem. Hinc, licet indirecte, in re tamen sublata est Tridentina prohibitio, de non audiendis iis qui professionis suæ nullitatem prætendunt, *nisi intra quinquennium reclamaverint*. Id tantum particulare est, quando reclamatio fit post quinquennium, quod causa non subjacet judicibus ordinariis, sed reservatur Sedi Apostolicæ, utpote a qua obtinenda est restitutio in integrum.

SECTIO VI

GENERALE FORMULARIUM

Cum is fuerit tractationis hujusce scopus ut, non tantum sana et probata de judiciis ecclesiasticis doctrina exponeretur atque firmaretur, sed et maxime ut facilis et *omnino practica* expediendæ rei judiciariæ norma exhiberetur, subnecti ad usum curiarum ecclesiasticarum sufficiens formularum promptuarium, ipsa operis ratio postulabat.

Quod quidem formularium ex magis probato a doctoribus, et generalius in curiis ecclesiasticis recepto stylo, extractum, ita notis ubi opus fuit interseruimus, ut seorsim etiam a reliquo opere perlectum, judiciorum ecclesiasticorum praxim satis per se panderet ; atque iis judicibus ecclesiasticis, qui magna volumina pervolvere nequeunt, pro quadam veluti manuductione esse posset.

Sed et ii, quos reliquum tractatum nostrum legere non piguerit, multa facilius et clarius ex formulario, quam ex ipsa theorica disceptatione intelligent.

Quod autem duplicem dumtaxat formularum collectionem exhibeamus (earum nempe quæ ad curiæ episcopalis ordinationem, et earum quæ ad processum criminalem referuntur), non miretur lector, aut adeo mancum formularium nostrum existimet. Advertet enim præcipuas eas et frequentioris usus esse ; cæteras vero quæ desiderarentur, ex illis præcipuis, veluti ex typo, facili negotio posse suppleri. Unde non erat

cur inutiliter omnium omnino formularum congesta sarcina onustus tractatus prodiret (1).

COLLECTIO PRIMA

FORMULÆ QUÆ AD CURIÆ EPISCOPALIS ORDINATIONEM REFERUNTUR.

I

FORMULA DEPUTATIONIS CANCELLARII SEU ACTUARII.

Hanc primo loco ponimus, quia cum debeant cætera Episcopi acta per cancellarii subscriptionem authenticari, in efformanda curia expedit, ut ante omnia suum Episcopus cancellarium constituat. Illam vero formulam sic exhibet Monacellus (*Formularium legale*, parte 1, tit. 1, formula 5).

« *N., Episcopus N. — Dilecto, etc. — Cum de idoneo Cancellario providere cupiamus, qui Nobis et tribunali nostro inserviat, et quæ in illo agenda sunt diligenter adimpleat, et scripturas librosque ad nostram Cancellariam spectantes fideliter custodiat, erga personam tuam mentis aciem direximus,*

(1) Supervacaneum foret prænonere, de jure communi, neque hic exhibitas formulas, neque similes quæ apud auctores occurrunt, essenecessario adhibendas. Jus nempe nullum præscribit certum seu determinatum formularum tenorem; sed satis est ut quælibet formula, quocumque modo scribatur, ea quæ de jure requiruntur contineat. Cum autem non adeo facile sit, tyronibus præsertim, huic conditioni proprio marte satisfacere, ideo utilissimum est in unaquaque curia ecclesiastica certas et determinatas habere formulas, quæ a viris prudentibus dispositæ, vel longo usu receptæ, jam noscantur juris sacri præscriptis conformes. Imo ejusmodi formulæ possunt fieri obligatoriæ ex statutis diœcesanis vel ex stylo curiæ. Auctorum autem privatorum formularia, valde prodesse possunt ad ejusmodi rectas formulas in usum inducendas.

cujus vitæ honestas, morum probitas, fides, diligentia, habilitas, aliæque qualitates apud Nos multiplici commendantur testimonio. Quapropter illarum intuitu, tenore præsentium, auctoritate nostra ordinaria, et omni alio meliori modo quo possumus, Te in nostrum Cancellarium eligimus et deputamus, cum facultate universa et singula agendi et faciendi, tam in voce quam in scriptis, quæ gerere et facere possunt et debent Cancellarii episcopales; ita ut tuis scripturis, tam publicis quam privatis, durante officio, omnis fides in judicio et extra adhibeatur. Ac insuper cum omnibus et singulis exemptionibus, privilegiis, honoribus et emolumentis, quibus, tam de jure quam de consuetudine, nostri Cancellarii uti, frui, potiri et gaudere solent et debent; mandantes omnibus nostræ jurisdictioni subjectis, cæterisque ad quos pertinet, ut Te in talem agnoscant et recipiant, sub pœnis nostro arbitrio pro modo culpæ infligendis. Præsentibus ad nostrum beneplacitum valituris. In quorum fidem, etc. Datum, etc. — N., Episcopus N. » — Et ponatur sigillum consueto loco.

Curandum ut prædictæ litteræ patentes Episcopi in cancellaria registrentur sic adnotat Monacellus : — « Provisione cancellarii « per Episcopum facta, debent litteræ patentes in actis cancel- « lariæ per secretarium Episcopi registrari, ne unquam de vali- « ditate gestorum cancellarii electi valeat dubitari; multumque « interest ut de deputatione constet ex ipsis actis cancellariæ. » (Monacelli, loco citato, adnot. 1.)

II

FORMULA JURAMENTI PRÆSTANDI A CANCELLARIO SEU ACTUARIO.

« *Ego N., curiæ episcopalis N., Cancellarius electus, promitto, spondeo et juro, me officium, quod suscepi, fideliter et sincere, quantum in me est, executurum, et impleturum, nec quidquam in eo favore aut gratia humana acturum : sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.* »

III

FORMULA DEPUTATIONIS VICARII GENERALIS SEU OFFICIALIS EPISCOPI.

Eam desumimus ex Monacello (parte 1, tit. 1, form. 1):

« *N., Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N., dilecto Nobis in Christo N. salutem in Domino. — Cum onus episcopalis ministerii tanti sit momenti, ut etiam ipsis angelicis humeris formidandum videatur, opere pretium duximus, in administratione episcopatus N., quem Sanctissimus D. N. Papa nostræ imbecillitati superimposuit, Vicarium idoneum advocare, qui partem sollicitudinis nostræ in se assumendo, pondus, quo ultra vires premimur, allevet. Hinc aciem nostræ mentis in personam tuam dirigentes, et de fidelitate, probitate, prudentia, scientia et experientia, aliisque, quibus polles, virtutibus plene confisi; Te nostrum Vicarium generalem, et Officialem, ad nostrum beneplacitum, in dicto nostro episcopatu N., in spiritualibus et temporalibus, tenore præsentium facimus, constituimus et deputamus; dantes et concedentes tibi potestatem et mandatum speciale, ecclesias, altaria et oratoria ædificata et ædificanda, et divino cultui deputata benedicendi, eaque polluta (non tamen consecrata) reconciliandi; a casibus quibuscumque Nobis reservatis absolvendi; et aliis confessariis, ut ab iisdem absolvere possint, facultatem delegandi; publicas et solemnes pœnitentias injungendi; litteras commendatitias et testimoniales concedendi; dimissorias ad quoscumque ordines dandi, et super interstitiis dispensandi, Nobis tamen a diœcesi absentibus; causas matrimoniales cognoscendi, et decidendi; procurationem visitationis, synodaticum, quartam funeralem, et charitativum subsidium, ut juris erit, exigendi; novas parochias erigendi, et erectas collapsasque reficiendi, vel in matrices Ecclesias transferendi; beneficia erigendi, et resignationes illorum, etiam ex causa permutationis, recipiendi, et ad ea præsentatos instituendi; ad curata vacantia concursum indicendi, et eadem digniori conferendi; œconomos tem-*

pore vacationis instituendi; coadjutores rectoribus parochialium imperitis et infirmis dandi; causas omnes ad forum nostrum, tam de jure quam ex consuetudine spectantes et pertinentes, etiamsi hæresis sint, cognoscendi et decidendi; edicta nostra exequendi; censuras fulminandi; ab ordine, officiis, administratione et beneficiis, prout juris erit, suspendendi, privandi, destituendi et deponendi; inquisitos, excommunicatos a canone, suspensos et interdictos a jure, in casibus Nobis permissis, absolvendi; causas criminales cognoscendi, et decidendi; brachium sæculare implorandi; pias voluntates exequendi; in erectione et fundatione beneficiorum jura patronatus fundatoribus reservandi; in alienationibus bonorum Ecclesiarum et locorum piorum ad formam sacrorum canonum auctoritatem præstandi, et decreta interponendi; litteras monitoriales in forma significantes, *pro rebus deperditis, seu furto subtractis, juxta formam juris, et bullam sancti Pii V concedendi; ecclesias omnes, loca pia etiam exempta, et monasteria monialium visitandi; litteras apostolicas Nobis seu Vicario nostro directas et dirigendas aperiendi, et (nisi industria personæ eligatur) exequendi; jurisdictionem in regulares et exemptos, ad formam sacri concilii Tridentini, constitutionum apostolicarum, et decretorum Sacræ Congregationis exercendi; juramentum, ad effectum tantum agendi, et dummodo absolutionem petentes perjuri non sint, relaxandi; confessarios tum sæculares tum regulares (non tamen monialium) examinandi, et ad tempus approbandi; et facultatem eis concessam ex causa revocandi; voluntatem puellarum habitum religionis suscipere sive profiteri volentium (Nobis impeditis aut absentibus) explorandi; licentias pro ingressu in clausuram monialium, pro rebus tantum necessariis, officialibus, artificibus, et colonis concedendi. Sacram supellectilem aliaque indumenta ecclesiastica, in quibus sacra unctio non adhibetur (quantum ad nos spectat) benedicendi; unum vel plures vicarios, Nobis absentibus, in casu alicujus necessitatis, cum eadem vel minori auctoritate nomine nostro ad tempus substituendi;*

et cætera exercendi quæ ad officium vicariatus noscuntur pertinere. Volumus autem quod in Vicarium et Officialem nostrum generalem omnes Nobis in episcopatu, et in jurisdictione subjecti te recognoscant, recipiant, et admittant, atque, ut par est, tibi obediant; si quis vero inobediens fuerit, condigna pœna feriatur. In quorum, etc. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., secretarius. » — Et ponatur sigillum consueto loco.

IV

FORMULA SUBSTITUTIONIS VICARII GENERALIS, INTER ACTA CURIÆ REPONENDA.

« *In Christi nomine. Amen. — N., Reverendissimi Domini N., Episcopi N., in spiritualibus et temporalibus Vicarius generalis, volens se absentare a civitate N., causa eundi ad visitationem generalem totius diœcesis* (vel, etc., si discedat ob aliud negotium); *ad effectum ut justitia omnibus æqualiter administretur, in iis quæ ad officium episcopalis regiminis pertinent, substituit, deputavit, et in sui locum posuit usque ad suum reditum, reverendum dominum N., cum auctoritate eadem qua ipse potitur. Hoc et omni meliori modo. Ego N., Vicarius generalis. — Præsentibus ibidem N. et N., testibus. — N., cancellarius.* »

V

FORMA CAPIENDÆ A VICARIO GENERALI POSSESSIONIS.

« Debet in primis Vicarius generalis Episcopi, postquam « electus fuerit, capere possessionem, ad quam de jure com- « muni tenentur omnes officiales; quæ possessio fit hoc modo : « primo præmonet capitulum, quod velit possessionem capere « hora tali; quo convocato ad sonum campanæ more solito in « Ecclesia cathedrali, sive in sacristia, ostendit capitulo litte- « ras patentiales Episcopi, quæ necessariæ sunt. (Cap. *Cum « jure, de Offic. deleg.*) Deinde debet illas per ordinarium no- « tarium sive cancellarium curiæ episcopalis legi facere, clara

« et intelligibili voce, ut ab omnibus audiantur. Postea solet « cani hymnus *Te Deum laudamus*. Et notatur ab eodem notario « actus possessionis in actis curiæ, et in eisdem litteris paten- « tialibus, sive mandato Episcopi, tali vel simili modo. » (Pellegrini, parte 1, *Monita generalia pro Vicariis generalibus*, n. 1.)

« *In Dei nomine. Amen. — Reverendus Dominus N., possessionem cœpit sui officii vicariatus, mediante mandato Episcopi N., præsentibus omnibus dominis canonicis et dignitatibus capituli hujus cathedralis ecclesiæ; die, etc., mense, etc., hora, etc. In quorum fidem, etc. Datum in civitate N., die..., mense..., anno... — Ego N., notarius curiæ episc.* »

VI

FORMA DEPUTATIONIS VICARII GENERALIS ARCHIEPISCOPI.

Tres formulas exhibet Pellegrinus (parte 1, sect. 3, subsectione 3); quarum prima Vicarium generalem Episcopum, duæ aliæ Vicarium generalem non-episcopum respiciunt. Alteram dumtaxat ex duobus posterioribus, paucis, quæ hodie applicationem non habent, immutatis, transcribimus.

« *N., Dei et Apostolicæ Sedis gratia Achiepiscopus N. — Cum ex Apostolica voce deceat Nos, tanquam positos a Spiritu Sancto regere ecclesiam nostram, sanguine Jesu Christi acquisitam; et propterea quantum in Nobis est curare, ut cuncta adimpleantur ex omni parte, quæ pertinent ad primum ordinem hierarchicum, necnon ad dignitatem nostram et jurisdictionem; attendentes necessitatem in qua semper constituti sumus propter multiplices occupationes nostras, et curam animarum quæ nobis subjectæ sunt; curæ etiam nobis fuit munera nostra aliis impartiri, qui moribus, scientia, et ætate reperti sint probatissimi. Idcirco considerantes probitatem, ætatem atque scientiam domini N., juris utriusque doctoris, revocantes imprimis quemcumque alium Vicarium et Officialem nostrum, hactenus per Nos constitutum* (vel, *citra tamen revocationem aliorum Vicariorum nostrorum, per nos alias constitutorum*),

præfatum N. constituimus et creamus Vicarium nostrum generalem in ecclesia civitate et diœcesi nostra, tam in temporalibus quam in spiritualibus : dantes et concedentes eidem plenam et liberam potestatem et mandatum speciale..... (Cætera describi possunt ut in formula deputationis Vicarii generalis Episcopi, cum hac additione) : *causas criminales et civiles, matrimoniales et beneficiales, et quascumque alias tam principales quam incidentes et per appellationem devolutas et in posterum devolvendas, et quæ ad dictam nostram ecclesiam pertinebunt de jure vel consuetudine, audiendi et de ipsis cognoscendi ; et cætera omnia quæ sunt episcopalis et archiepiscopalis jurisdictionis exercendi et terminandi.* »

VII

FORMA DEPUTATIONIS VICARII FORANEI.

« *N., Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N., dilecto N... — Omnibus nostræ jurisdictionis subjectis pro administratione justitiæ providere cupientes, et ne pro rebus levibus, præsertim in civilibus, extra locum domicilii lites sustinere cogantur : Te, de cujus probitate et idoneitate plurimum in Domino confidimus, in nostrum vicarium foraneum, ad beneplacitum nostrum, loci N. nostræ diœcesis facimus, constituimus, deputamus : dantes Tibi facultatem causas civiles usque ad summam scutatorum..., et non ultra, audiendi, cognoscendi et terminandi ; in criminalibus vero levibus, testes examinandi, processum informativum conficiendi, et ad nostrum Vicarium generalem transmittendi ; aliaque negotia ad jurisdictionem et tribunal episcopale spectantia audiendi, et postea nobis referendi ; et alia faciendi quæ vicarii foranei dicti loci pro tempore facere consuevere ; cum omnibus honoribus, oneribus et emolumentis solitis et consuetis : mandantes omnibus ad quos spectat, ut Te in talem recognoscant, Tibique obediant sub pœnis arbitrio nostro infligendis. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius.* » — Et ponatur sigillum consueto loco.

VIII

FORMULA DEPUTATIONIS CANCELLARII FORANEI.

« *N., Episcopus N. — Dilecto, etc. — Probitas et idoneitas tua quibus apud Nos fido commendaris testimonio, Nos inducunt ut quibus possumus favoribus Te gratiose prosequamur. Sperantes igitur ea quæ tibi committenda sunt fideliter exequuturum, idcirco præsentium tenore Te in cancellarium episcopalem reverendi domini N., vicarii nostri foranei loci N., ac cujusvis alterius pro tempore existentis, cum honoribus, oneribus, privilegiis et exemptionibus solitis et consuetis, ad nostrum beneplacitum constituimus et deputamus ; mandantes ad quos spectat, ut Te in talem habeant et recognoscant. In quorum, etc. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius episcopalis.* » — Et ponatur sigillum consueto loco.

IX

FORMULA DEPUTATIONIS PROMOTORIS FISCALIS.

« *N. Episcopus N. — Dilecto N. — Idoneitatis, probitatis et experientiæ merita, quibus Te ornatum dignoscimus, Nos inducunt ut operam tuam libenter adhibeamus, sperantes quod quæ Tibi mandabuntur, et alia quæ tuo muneri injuncta sunt, omni fide et solertia exequeris. Te igitur procuratorem fiscalem nostræ curiæ, ad beneplacitum nostrum, cum honoribus, oneribus, exemptionibus, privilegiis et emolumentis solitis et consuetis, constituimus et deputamus ; mandantes omnibus nostræ jurisdictioni subjectis, cæterisque ad quos spectat, ut Te in fiscalem nostrum episcopalem agnoscant, et quoties opus fuerit Tibi assistant. In quorum, etc. Datum, etc. — N. Episcopus N. — N., cancellarius.* » — Et ponatur sigillum consueto loco.

X

FORMULA DEPUTATIONIS ADVOCATI FISCALIS.

« *N., Episcopus N. — Dilecto N. — Ut causæ, quas in nostro tribunali cognosci contigerit, debita cum maturitate discutiantur, et jura nostri fisci, mensæque tueantur, advocatum fiscalem providere cupientes, in tua integritate, scientia, et rerum agendarum experientia plurimum in Domino confisi, Te ad hoc munus eligimus, et deputamus, cum omnibus honoribus, prærogativis, privilegiis et emolumentis, tam de jure quam de consuetudine exigi solitis : Mandantes omnibus et singulis nostræ jurisdictioni subjectis, ut Te in talem habeant et rocognoscant, et ubi opus fuerit faveant et assistant. In quorum, etc. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius.* » — Et ponatur sigillum consueto loco.

XI

FORMULA DEPUTATIONIS DEFENSORIS MATRIMONIORUM, NECNON DEFENSORIS PROFESSIONIS RELIGIOSÆ.

« *N., Episcopus N. — Dilecto N. — Cum a Benedicto XIV, in constitutione quæ incipit* Dei miseratione *provide statutum fuerit, ut in ventilandis matrimoniorum (quoties de eorum nullitate agitur) causis, aliquis deputetur, qui, sub* matrimoniorum defensoris *nomine, eorumdem valorem ex officio sustineat ; idcirco Nos, de tua idoneitate et probitate apprime conscii, Te ad explendum in nostra curia dictum officium, juxta prælaudatæ constitutionis tenorem et præscripta, nominamus, constituimus ac deputamus ; cum annexis de jure eidem officio honoribus, oneribus, emolumentis et privilegiis : mandantes omnibus Nostræ jurisdictioni subditis, ut Te in defensorem matrimoniorum*

agnoscant, et quæ Tibi, ut tali, debentur officia præstent. In quorum... Datum... —N., Episcopus N. —N., cancellarius.» — Et ponatur sigillum consueto loco.

Nota. — Formula ad deputandum *professionis religiosæ defensorem*, facile ex premissa concinnari poterit.

XII

FORMULA DEPUTATIONIS PROCURATORIS PAUPERUM.

« *N., Episcopus N. — Dilecto N. — Ut pauperes et miserabiles personæ hujus civitatis et diœcesis, quarum cura nostræ pastoralis sollicitudinis maxima pars est, in eorum litibus subleventur, virum probum et idoneum, qui in judicio pro eis postulare et causas defendere queat eligere et deputare statuimus. Idcirco de tua scientia, et experientia valde in Domino confisi, Te procuratorem eorumdem pauperum, pro causis in nostro tribunali agendis, cum honoribus, oneribus, et exemptionibus solitis, constituimus et deputamus : enixe Te in Domino hortantes, ut defensam et patrocinium illorum, tam in judicio quam extra, et etiam absentium, omni charitate tamquam patronus gratis suscipias : pro quo merces tua copiosa erit in cœlis. In quorum, etc. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius.* » — Et ponatur sigillum consueto loco.

XIII

FORMULA DEPUTATIONIS ADVOCATI PAUPERUM.

« *N., Episcopus N. — Dilecto N. — Ut pauperibus, viduis, pupillis, aliisque miserabilibus personis, quæ sibi de advocato providere non possunt, consulamus, inspecta tua probitate, doctrina et pietate, qua erga destitutos humano auxilio polles, Te advocatum earumdem personarum, aliorumque egenorum hujus civitatis et diœcesis constituimus et deputamus, ad hoc ut misericordiæ viscera indutus, causas ad forum nostrum spectantes pro iisdem suscipias et gratis defendas, a Deo munerum*

datore pro opere tam grato mercedem plenam recepturus : cum omnibus privilegiis et exemptionibus, tam de jure quam de consuetudine debitis. In quorum, etc. Datum, etc.— N., Episcopus N. —N., cancellarius. »— Et ponatur sigillum consueto loco.

XIV

FORMULA DEPUTATIONIS DEPOSITARII PŒNARUM.

«*N., Episcopus N. — Dilecto N. — Sacri concilii Tridentini et Sacræ Congregationis decretis inhærentes, et ut par est obedire volentes, ut mulctæ pœnæque pecuniariæ, quæ in tribunali nostro, pro delictis illorumque absolutione imponi infligi et exigi contigerint, usibus et locis piis civitatis vel diœcesis arbitrio nostro integre applicentur ; Te, de cujus fidelitate et probitate plurimum in Domino confidimus, depositarium dictarum mulctarum et pœnarum constituimus et deputamus ; data cautione in actis nostræ cancellariæ de bene administrando, et de libro bene compacto, in quo adnotari et describi debebunt, retinendo, et rationem reddendo in fine anni coram Nobis et duobus de capitulo, ac de illas non solvendo nisi de expresso nostro in scriptis mandato, vel, nobis absentibus, Vicarii generalis, recepta in calce ejusdem mandati confessione ejus cui solveris. Mandamusque cancellario nostro, ut nullatenus in exactione dictarum mulctarum et pœnarum pecuniariarum se ingerat ; sed integre penes Te deponi curet ; præsentibus in cancellaria registrandis, ad nostrum beneplacitum duraturis. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius.* » — Et ponatur sigillum consueto loco.

XV

FORMULA DEPUTATIONIS DEPOSITARII EPISCOPALIS.

«*N., Episcopus N. — Dilecto N. — Bonorum et jurium nostræ mensæ, quæ nullum provisorem habent præter Episco-*

pum, curam jugiter ferentes, idoneum depositarium illis dare statuimus ; idcirco de tua fidelitate, experientia, et dexteritate in rebus agendis satis edocti, Te depositarium pecuniarum, censuum, libellorum, canonum, responsionum, aliarumque rerum ad nostram mensam et episcopatum spectantium et pertinentium, ad nostrum beneplacitum, cum honoribus, oneribus, et privilegiis, tam de jure quam de consuetudine debitis, constituimus et deputamus. Dantes Tibi plenam facultatem deposita pecuniarum recipiendi, canones, census, responsiones exigendi, deponentes et solventes respective scripto quietandi : facta tamen prius per Te obligatione in actis nostræ cancellariæ, rationem tui officii ad omne mandatum nostrum reddendi, et cui vel quibus mandaverimus deposita aut reliquatum solvendi. In quorum testimonium præsentes a Nobis subscriptas expediri, et in nostra cancellaria registrari et publicari jussimus. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius. » — Et ponatur sigillum consueto loco.

XVI

FORMULA DEPUTATIONIS DEPOSITARII PIGNORUM.

Officium ejusmodi, dum supra de curiæ episcopalis ordinatione ageremus, ex inadvertentia prætermisimus : sed in quo consistat, satis patebit ex ipsa deputationis formula, quæ potest describi in hunc modum :

« *N., Episcopus N. — Dilecto N. — Indemnitati, non minus creditorum quam debitorum, lites agentium in nostro foro, consulere cupientes, de idonea persona, quæ pignora in executione reali capta custodire debeat providere statuimus. Quapropter in tua fidelitate confisi, facta prius per Te in actis nostræ cancellariæ obligatione, officium hujusmodi fideliter exercendi, et librum bene compactum, in quo pignora describantur retinendi, descripta custodiendi, et nonnisi mandato in scriptis habito nostri tribunalis illa restituendi seu consignandi, et rationem reddendi ; Te in depositarium pignorum nos-*

træ curiæ, cum omnibus honoribus, oneribus, emolumentis et privilegiis solitis et consuetis, constituimus et deputamus. In quorum fidem præsentes expediri, et in nostra cancellaria registrari jussimus. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius. » Et ponatur sigillum consueto loco.

XVII

FORMULA DEPUTATIONIS REVISORIS COMPUTORUM, PRO ADMINISTRATIONE LOCORUM PIORUM.

« *N., Episcopus N. — Dilecto N. — Exigit providentia pastoralis officii, ut bona et redditus locorum piorum recte administrentur, et eorum computa debito tempore examinentur et revideantur. Quapropter Nos gravioribus curis occupati, de tua fidelitate et experientia plurimum in Domino confisi, Te in revisorem generalem computorum et administrationum omnium locorum piorum, tam civitatis quam diœcesis, et nostræ ordinariæ et delegatæ jurisdictioni subjectorum, eligimus, constituimus et deputamus, cum facultate officiales et administratores quoscumque, prout juris erit, citandi, et ad exhibendum libros et computa pro redditione rationis compellendi. Ad sententiam autem absolutoriam seu condemnatoriam non devenias, Nobis, vel nostro Vicario generali inconsultis : præsentibus ad nostrum beneplacitum valituris. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius.* » Et ponatur sigillum consueto loco.

XVIII

FORMULA DEPUTATIONIS CURSORIS, SIVE BAJULI, SIVE NUNCII EPISCOPALIS CURIÆ.

« *N., Episcopus N. — Dilecto N. — Providere volentes curiam nostram episcopalem de idoneo cursore, sive bajulo, qui fidelitate et assiduitate, commissa sibi adimpleat, te de cujus*

diligentia et fidelitate simul confidimus, in publicum cursorem, bajulum, sive nuncium nostri tribunalis, tenore præsentium, ad nostrum beneplacitum, eligimus, constituimus et deputamus; cum oneribus, privilegiis et emolumentis solitis et consuetis. Dantes tibi omnem facultatem necessariam et opportunam, officium cursoris, sive bajuli exercendi in tota nostra diœcesi, quoties fueris requisitus; hortantes te in Domino; ut officium tuum exerceas fidelitate plena: mandantes omnibus, ut te in talem recognoscant, et recipiant, sub pœnis, etc. In quorum, etc. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius. » Et ponatur sigillum consueto loco.

XIX

FORMULA DEPUTATIONIS BARONCELLI.

Hanc subjicimus formulam, non tamquam præsentibus temporibus applicabilem, sed ad meram dumtaxat notionem historicam. Sic nempe olim Episcopi, qui familiam armatam habebant, suum deputabant baroncellum :

« *N., Episcopus N. — Dilecto N. — Delicta quæ pacem turbant, et rempublicam vexant, ne quantum in Nobis est impunita remaneant, et justitiæ administratio brachio quo fulciatur non careat, familiam armatam habere statuimus. Quocirca de tua fidelitate confisi, Te baroncellum nostræ curiæ, tam in civitate quam pro tota diœcesi, ad nostrum beneplacitum, constituimus et deputamus, cum lictoribus quos tibi socios pro exercitio tui officii, tam in civilibus quam in criminalibus, adjunxerimus; cum oneribus, emolumentis et privilegiis solitis et consuetis. Datum, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius.* »

COLLECTIO SECUNDA

FORMULÆ QUÆ AD PROCESSUM CRIMINALEM REFERUNTUR.

CAPUT I

MODUS DELEGANDI IN JUDICEM, ET DELEGATIONEM LEGITIMANDI.

Sæpe contingit ut judices ordinarii (verbi gratia, Episcopus ejusque Vicarius generalis), variis negotiis impediti, per se ipsos emergentem criminalem causam discutere et definire commode nequeant; ac propterea aliquem sibi substituant, eique jurisdictionem suam quoad causam illam delegent. Quo in casu duo observanda sunt : 1° ut judex delegans patentales delegato litteras tradat; 2° ut delegatus ante omnia sese legitimet, idest, ut in loco, in quo jurisdictionem exercere debet, publice, seu coram aliquot testibus, dictas patentales legi curet. Quod utrumque fieri potest in hunc modum.

I

Formula litterarum delegationis.

1. Si Episcopus ipse deleget, poterit scribi in hunc modum : « *N., divina Providentia et Sedis Apostolicæ gratia Episcopus N...*, *dilecto in Christo filio N...* (et ibi ponatur titulus delegati conveniens, verbi gratia, *cathedralis nostræ canonico*, vel *diœcesis nostræ clerico*, si sit tantummodo tonsuratus aut in minoribus), *salutem in Domino. — Exigit muneris nostri ratio, ut oves custodiæ nostræ demandatas, non solum suavi exhortationis sibilo ad salutis pascua dirigamus, et virtute deficientes medicinalibus correctionibus sanemus, sed etiam devias a semite rectitudinis et per culparum prærupta errantes,*

adhibita rigoris virga, ad caulam reducamus. Cum igitur ex accusatione coram Nobis producta (si procedatur via denuntiationis, loco horum verborum *ex accusatione*, ponatur *ex denuntiatione judiciali Nobis facta;* et sive accusatio sive denuntiatio facta fuerit, addatur *cujus tenorem simul cum præsentibus litteris tibi tradimus;* si autem procedendum sit inquisitorie et ex mero officio, ponatur *ex fama ad Nos delata*), *non sine animi mœrore intellexerimus, nostrum in Christo filium N...* (addatur ejus qualitas, verbi gratia, *parochiæ N..., civitatis N... parochum*), *in oppido N... ad lugendum delictum* (vel *ad lugenda delicta*) *diabolo instigante prorupisse, nempe* (et ibi enuntietur delictum vel delicta) : *Nos vero gravibus officii nostri negotiis implicati, judicialem indaginem debitam personaliter instituere non valeamus; Tibi, cujus prudentia, juriumque peritia, Nobis abunde sunt perspectæ, provinciam nostram duximus demandare, prout harum serie Te judicem nostrum delegatum constituimus; tibique committimus, ut assumpto tibi beneviso assessore, et notario publico in actuarium, ad memoratum oppidum te conferas, et super præfato delinquente ac delictis ejusdem processum criminalem usque ad sententiam definitivam inclusive* (vel *exclusive*) *instituas* (si positum sit *exclusive*, addatur : *totamque actuum seriem fideliter ad Nos transmittas, ut perspecta veritate, quod justum fuerit pronuntiemus*) *; pro quo omnem nostram facultatem ac potestatem necessariam et opportunam delegamus. Proinde omnibus et singulis jurisdictionis nostræ præcipimus, ut Te tanquam judicem nostrum delegatum, recipiant et agnoscant, atque in hac causa, ac spectantibus ad eam, Tibi ut Nobis obediant, sub pœnis a jure ecclesiastico contra rebelles et contumaces statutis. Datum, etc.* »

Et simul delegato tradatur libellus accusatorius, vel denuntiatorius, vel articuli super quos reus diffamatus est.

II. Si delegatio fiat a Vicario generali Episcopi poterit scribi in hunc modum :

« *Reverendo domino Titio, cathedralis Ambianensis canonico, salutem in Christo. — Quoniam Reverendissimus Am-*

bianensis Episcopus, nobis Vicario generali suo, causas criminales hujusce diœceseos dirimendi, necnon etiam in eis delegandi potestatem specialiter demandavit, nostri muneris est, ut delicta quæ ad notitiam nostram perveniunt, opportunis remediis coerceamus. Cum igitur (et reliqua ut in præcedenti formula, exceptis verbis *nostrum in Christo filium*, pro quibus poni potest *nostrum in Christo fratrem*). »

III. Si delegatio fiat a Vicario capitulari vacante sede, concinnari potest hoc modo :

« *Reverendo confratri nostro domino Titio... salutem in Christo. — Quoniam vacante sede, regendæ diœcesis atque ordinariæ jurisdictionis episcopalis exercendæ cura et potestas ad Nos transiit, exigit muneris nostri ratio* (et reliqua, ut in prima formula, exceptis verbis *filium nostrum*, mutandis ut in secunda formula). »

IV. Si delegatio fiat ab administratore diœceseos, vel alio superiore a præfatis diverso, facile poterit formula, attentis tribus præmissis, accommodari; unde supervacaneum foret pro singulis istis casibus eam describere.

II

Forma legitimationis delegati judicis.

Cum delegatus judex ad locum pervenerit, in quo jurisdictio est ab eo exercenda, processum ante non incipiat, nec ullum actum judicialem exerceat, quam sese legitimaverit. Ad hanc autem legitimationem satis est, ut litteræ delegationis *publice* legantur. Imo sufficit eas legi coram aliquot viris gravibus, qui de earum litterarum existentia testimonium dare possint. Quo peracto, opportunum erit, etsi non necessarium, de ipsa legitimatione instrumentum confici, in hunc, verbi gratia, modum :

« *Nos infrascripti, dum legerentur audivimus, et postea propriis oculis vidimus litteras, quibus Reverendissimus Am-*

bianensis Episcopus, reverendum dominum Titium, ecclesiæ sancti Petri oppidi N... parochum, in causa criminali Joannis Sempronii presbyteri, delegavit in judicem : in quorum fidem... die..., mensis..., anni... »

Debet autem actuarius, initio actuum, mentionem de hac legitimatione facere, de quo formulam infra ponimus.

CAPUT II

FORMA CREANDI NOTARII.

1. Ex capite *Quoniam* (*de Probat.*) et capite *Ut officium* (*de Hæret.*), debent scribi acta judicialia, vel a notario publico, vel a duobus viris idoneis. Sed, prout notat Reiffenstuel (in titulum 1, libri 5 decret., n. 344) duo illi idonei scriptores, non amplius sunt in usu. Omnino ergo requiritur notarius publicus ; alioquin acta nec essent authentica, nec publicam fidem facerent ; et totum proinde judicium ex hoc defectu nullitate laboraret. Igitur si nullus adsit notarius publicus, qui in actuarium deputari possit, debet aliquis creari.

2. Cum ut suo loco (parte 2, sect. 2, cap. 15, § 5) diximus, solus supremus Princeps notarios creare valeat, et potestatem hanc Episcopi non habeant nisi ex generali, quæ invaluit, consuetudine, sequitur debere Episcopum notarios per seipsum creare, non autem hanc provinciam Vicario generali, vel aliis committere.

3. Potest autem Episcopus aliquem in notarium publicum creare, vel ad unicam dumtaxat causam determinatam, vel ad omnes generaliter causas, et donec revocetur.

4. Item potest Episcopus creationem ejusmodi facere, vel per patentes litteras, vel viva voce præsentibus duobus testibus.

5. Juramentum quod notarius præstare debet, non tenetur Episcopus per seipsum recipere ; sed potest Vicario generali vel alii demandare, ut illud recipiat.

I

Formula pro creando viva voce notario.

« *In vestra tanquam testium ad id specialiter rogatorum præsentia, hunc N. N. in notarium publicum creamus, creatum pro actuario deputamus, eique juramentum de officio fideliter exequendo imponimus.* »

Notarius autem illico in præsentia eorumdem testium juramentum deponet, dicens, verbi gratia :

« *Ego N. a D. N. Episcopo N. notarius publicus creatus, promitto, spondeo et juro, me officium quod suscepi fideliter et sincere, quantum in me est, executurum et impleturum; nec quidquam in eo, favore aut gratia humana, acturum; sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia.* »

II

Formula pro creando notario per patentales litteras.

« *N., Episcopus N. — Dilecto filio... — Cum vitæ tuæ honestas, morum probitas, fides, diligentia atque habilitas apud nos multiplici commendentur testimonio, harum qualitatum intuitu, tenore præsentium, auctoritate Nostra ordinaria, et omni alio meliori modo quo possumus, Te in publicum notarium eligimus et deputamus* (si Notarium pro unica dumtaxat causa creet, id ibi exprimatur, et quæ sequuntur convenienter accommodentur) ; *cum facultate universa et singula agendi et faciendi, tam in voce quam in scriptis, quæ gerere et facere possunt et debent notarii publici auctoritate ecclesiastica creati : ita ut tuis scriptis, tam publicis quam privatis, durante officio, omnis fides in judicio et extra adhibeatur. Ac insuper cum omnibus et singulis privilegiis, honoribus et emolumentis, quibus, tam de jure quam de consuetudine, notarii ejusmodi uti et gaudere solent et debent : mandantes omnibus nostræ jurisdic-*

tioni subjectis, cæterisque ad quos pertinet, ut Te in talem agnoscant et recipiant, sub pœnis arbitrio nostro pro modo culpæ infligendis. Præsentibus ad nostrum beneplacitum valituris. In quorum fidem... datum... — N., Episcopus N. — N., cancellarius. »

Notarius autem cum ejusmodi litteras acceperit, juramentum juxta præmissam formulam præstet, sive coram ipso Episcopo, sive coram illo, quem Episcopus ad recipiendum juramentum deputaverit.

De hac creatione notarii fieri debet mentio initio actuum ; pro quo formulam infra exhibemus.

Si vero in decursu processus morbo aliave de causa impediatur actuarius, alius præmisso modo creandus est ; et de hac creatione ac substitutione mentio actis pariter inserenda est, hoc verbi gratia modo :

III

Formula referendi in actis substitutionem alterius actuarii.

« *Cum D. N., Episcopi actuarius, qui in præsenti causa hucusque inserviit pro actuario, graviter sit infirmatus* (aut alia causa exprimatur), *ita ut nequeat in officio actuarii prosequi ; Illust. Reverend. NN. Episcopus fecit me vocare in palatium suæ residentiæ, et coram infrascriptis testibus, dato mihi juramento fidelitatis, quod præstiti, me notarium creavit, ad effectum ut illi inservirem pro actuario in prosecutione causæ. Acta sunt hæc die..., mense..., loco... Ita est. — N., Episcopus. — Ego N., fui testis. — Ego N., fui testis.* »

CAPUT III

FORMA LIBELLI ACCUSATORII.

Ejusmodi formulam reperies apud Megalium (*Proxis crim.*, cap. 10, n. 29), et apud Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 decret.,

n. 354). Ad quarum normam præsentem accommodantes, casum particularem figurabimus ; ut sic magis determinate perspiciatur quomodo accusator suum libellum concinnare possit.

I. Si accusator boni publici intuitu accuset, formula talis esse poterit :

« *Coram reverendo Joanne Severino, Reverendissimi Ambianensis Episcopi generali Vicario, comparet Franciscus Zelata, non odio vel passione, nec animo calumniandi, sed justo zelo religionis ductus, ut videlicet delicta in uno publice punita alios a delinquendo terreant ; et coram illo accusat Andream N. presbyterum, in parochia N. civitatis N. vicarium, tanquam scandalosum, hæreseos suspectum et crapulæ deditum. Ponit enim accusator et dicit verum esse :*

« 1. *Quod dictus Andreas N. vestes sæculares apud se habeat, iisque vestitus noctu egredi soleat.*

« 2. *Quod sic vestitus visus sit ingredi domum puellarum perditarum, quæ via N. numero N. habitare noscuntur ; et item visus sit multoties, dicta domo egredi.*

« 3. *Quod die* 5 *maii præsentis anni, dum Ambiani in diversorio N. cum quibusdam familiaribus suis prandium sumeret, inter alia sacerdotem dedecentia dixerit, vera existimanda non esse omnia, quæ ultimis sæculis tradidit ecclesia catholica ; melioremque fore disciplinam qua licitum sacerdotibus fieret matrimonium.*

« 4. *Quod sæpe visus est ebrius.*

« 5. *Quod die* 3 *septembris, postquam mane gentaculum sumpserat, missam celebravit.*

« *Ad quæ in judicio legitime probanda, sub pœna calumniatoribus debita, se offert et subscribit accusator. Instat proin ut libellus acceptetur et prout juris procedatur, compertaque veritate propositorum, reus juxta juris tenorem puniatur. Atque hoc et omni meliori modo, etc. Datum die..., mensis..., anno... Franciscus Zelata.* »

« *Directorium probationis et denominatio testium :*

« *Super* 1° *constabit visitatione corporis delicti ; et insuper*

testes Gillus Sartor, qui dictas vestes sæculares confecit, necnon Titius et Berta.

« *Super* 2°, 4°, *et* 5°, *testes Hugolinus, Ricottus et Mævia.*

« *Super* 3°, *Manfredus et Hocterus.* »

Nota. Potest accusator, sed non tenetur, in *directorio probationis*, quod solet ad calcem libelli subnecti, testes nominare; sufficit enim ut suo tempore, post litem contestatam eos nominet. Et, si timeat ne subornentur, prudentius eorum nomina tacebit; et tunc *directorium probationis* ad calcem libelli non ponet.

II. Si accusator proprium jus, seu propriæ injuriæ debitam coercitionem persequatur, sic libellum efformare poterit :

« *Coram Reverendo Joanne Leonardo, illustrissimi et reverendissimi Mechliniensis Archiepiscopi Vicario generali, comparet Thomas Cordat clericus, officio Sacristæ in ecclesia cathedrali Mechliniensi fungens, non animo calumniandi, sed pro suo jure prosequendo; et proponit accusationem contra Baptistam Tempest, dictæ cathedralis canonicum, nempe,*

« 1. *Quod dictus Tempest pluries ipsum furem vocaverit.*

« 2. *Quod item pluries ipsi verbera minatus fuerit.*

« 3. *Quod die* 17 *præsentis mensis illum baculo in scapulis acerrime percusserit.*

« *Ad quæ in judicio legitime probanda, sub pœna calumniatoribus debita, se offert et subscribit accusator. Instat proin ut libellus acceptetur, compertaque veritate propositorum, reus pro merito puniatur, ne in posterum similia contra accusatorem præsumat. Datum... die..., mensis..., anno... — Ego propria manu subscripsi. Thomas Cordat.* »

Nota. Cum accusatores plerumque judicem adeant nondum confecto libello, nec ejusmodi libelli recte conscribendi modum satis noscant, expedit ut in praxi judex sese gerat hoc modo : *primo*, oretenus factam accusatoris querelam audiat; *secundo*, ab eo petat an velit *via accusationis* procedi; idest, an sese offerat ad probandum in judicio quod affirmat, sub pœnis contra calumniatores decerni solitis, si forte falsa eum accusasse

reperiatur ; *tertio*, si affirmative respondeat, eum remittat ad ordinarium curiæ episcopalis notarium seu cancellarium, ad conscribendum accusatorium libellum ; *quarto*, cancellarius vero juxta accusatoris dicta scriptum libellum ei attente legendum tradat ; quem si menti suæ conformem reperiat accusator, subscribat, et judici deferat.

CAPUT IV.

FORMULA LIBELLI DENUNTIATORII.

Duplici modo fieri potest denuntiatio, *criminaliter* et *civiliter*. Denuntiatio criminaliter facta ea est, qua denuntians debitam delinquentis punitionem intendit et postulat : per denuntiationem autem civiliter factam, denuntiator non postulat pœnis subjici delinquentem, sed dumtaxat eum cogi ad reparandum damnum illatum ; qui denuntiationis modus dicitur etiam *querela*. Formulam libelli pro duplici hoc casu subjicimus, addendo et aliam pro casu quo denuntians nescit scribere.

§ I.

Formula libelli quando denuntiatio fit criminaliter.

« *In nomine Domini. Amen. — Die* 15 *mensis novembris anni* 1853, *ego Franciscus Zelata, civitatis N. incola, degens via N., numero N., tibi Joanni Severino, reverendissimi Episcopi N. Vicario generali, defero ac denuntio Andream N. presbyterum, in parochia N. dictæ civitatis vicarium, tanquam sequentium delictorum reum* (si unicum delictum denuntietur, loco verborum *tanquam sequentium, etc.*, ponatur, *quod...*, et ibi exprimatur illud delictum), *nempe*,

« 1. *Sæpe ingreditur domum in qua habitat quædam fœmina, soluta ab omni vinculo matrimoniali, et suspectæ con-*

versationis, ita ut hoc scientes fœminam illam ejus concubinam esse credant.

« 2. *Etc.* (et sic alia denuntiationis capita describantur. Postea, si denuntians monitionem evangelicam præmisit, addatur) : *Et cum illum admonuerim ut a talibus desisteret, non abstinuit* (quæ verba supprimuntur, si præmissa non fuerit charitativa monitio). *Hæc igitur denuntio, non maligno contra ipsum animo, sed bono zelo motus, ut tu, qui es judex ejus, animæ ipsius saluti provideas, et remedium adhibeas huic malo, omni meliori modo et forma quibus tibi bene visum fuerit, et ne alii simile quid committere audeant. — Ego Franciscus Zelata, quæ supra testor, et manu propria subscribo. — Franciscus Zelata.* »

§ II

Formula libelli quando denuntiatio fit civiliter.

« *Coram reverendo N. Vicario generali... comparet dominus N. et dicit : gravem injuriam sibi fuisse illatam a domino N. clerico, qui libellum famosum contra ipsum composuit, et vulgavit* (sive *coram laicis vel clericis verba contumeliosa contulit*) *: quapropter illum judicialiter denuntiat, ad simplicem et purum finem, ut cogatur prædictus N. restituere famam, sive rem ablatam. Et ideo protestatur idem denuntians, quod pro amore Dei injuriam acceptam condonat, nec vult aut intendit quod prædictus N., qui injuriavit, aliqua pœna nec publice nec private afficiatur, sed solum damnum sibi illatum resarcire compellatur. Testes vero in hoc dat N. et N. Datum, etc. — Ego N. denuntio ut supra.* »

§ III

Formula libelli quando denuntians nescit scribere.

« *In nomine Domini. Amen. — Die... mensis..., præsentis anni, coram reverendo N., reverendissimi Episcopi N. Vicario*

generali, comparuit Joannes N., dicens se velle de nonnullis delictis Petrum N. presbyterum judicialiter denuntiare. Cum autem declarasset dictus denuntians se nescire scribere, idem reverendus Vicarius generalis, me notarium juratum vocavit atque in actuarium deputavit ad denuntiationem ejusmodi recipiendam. Consequenter dictus Joannes N., ab eodem reverendo Vicario generali jussus didere quid denuntiare vellet, asseruit a Petro N. presbytero patrata fuisse sequentia delicta, nempe : 1°... 2°... (et ibi describantur delicta, assignato loco et tempore.) *Testes autem ad probandum assignavit circa primum et tertium delictum N. et N. : circa secundum et quartum N. et N. Et cum nesciat scribere, signum crucis apposuit in fidem. —Ego N., Vicarius generalis. — Ego † denuntiavi ut supra. — Ego N., actuarius.*»

Denuntiationi autem semper subjungi debet *directorium probationis*, in quo nempe denominentur testes et indicentur instrumenta ad probandum idonea. Pro quo directorio conscribendo adhiberi potest forma superiori capite in formula libelli accusatorii exhibita.

Et notetur ejusmodi *probationis directorium* omitti quidem posse in libello accusatorio ; at nequaquam in denuntiatorio. Nam cum accusator probandi in judicio sibi onus assumat, satis est ut contestata lite sua media producat. Atvero denuntiator onus patefaciendæ veritatis judici relinquit : nisi ergo ei media ad crimen demonstrandum saltem probabiliter idonea porrigat, inutilis est denuntiatio, imo nil aliud est quam culpabilis diffamatio, quæ rejici, imo et puniri debet.

Potest autem libellus denuntiatorius per epistolam mitti ; sed tunc judex in informatione præparatoria vocabit denuntiatorem, et exquiret an libellum pro suo agnoscat. Atque id in actis ponetur.

Si vero opportunum existimet judex non vocari ad curiam eum qui denuntiationem per litteras misit, et ille in diœcesi existat, nominari debet *commissarius* qui denuntiatorem adeat, et an epistolam denuntiatoriam pro sua agnoscat sciscitetur. Quod si extra diœcesim existat denuntiator, idem obtinebitur

per *remissoriales litteras* ad judicem loci. Pro his autem tribus ultimis casibus formam agendi et scribendi habes in sequenti capite, §§ 4, 5 et 6.

CAPUT V.

FORMULA LIBELLI EXCEPTORII.

Prænotanda. — 1° Excipere quis dicitur quando a judice postulat ut, propter rationes quas allegat, aliquis removeatur ab accusando, vel a testificando; vel etiam ut ad dignitates, officia, aut munera non promoveatur. — 2° Exceptio autem est vel criminalis vel civilis : criminalis est, quando opponitur aliquod delictum : civilis vero quando id quod opponitur delictum non est; verbi gratia, quando excipitur contra testem, ex eo quod sit cognatus vel amicus accusatoris; vel quando alicui promovendo ad aliquam dignitatem ecclesiaticam opponitur, eum non habere ætatem a jure requisitam. Hic de criminali dumtaxat exceptione agitur. — 3° Exceptio, licet criminalis, proponi potest vel criminaliter, vel civiliter tantum : criminaliter proponitur, quando non tantum postulatur impediri aliquem, ob delicta ab ipso patrata, ne sit accusator, vel judex, vel testis, vel procurator, vel ne ad aliquam dignitatem promoveatur; sed insuper petitur ut condigna pœna plectatur. Proponitur autem civiliter, quando non intenditur ut puniatur, sed dumtaxat ut a prædictis removeatur. — 4° Exceptio quæ fit a reo, proponenda est judici apud quem reus fuit conventus, exceptio autem quæ fit ad impediendum ne quis ad dignitatem ecclesiasticam, beneficiumve, aut officium eligatur et promoveatur, proponenda est illi superiori, ad quem pertinet eligere, vel electum confirmare et instituere : hinc, verbi gratia, si quis in Gallia velit excipere contra eum, quem sæcularis potestas ad sedem aliquam episcopalem præsentavit, debet exceptionem dirigere vel ad

Summum Pontificem, vel ad Nuntium Apostolicum Parisiis residentem, cui incumbit processum informatorium circa hujusmodi præsentatos facere. Si vero excipere velit contra eligendum (vel jam electum, sed nondum confirmatum, seu institutum) ad aliquam canoniam vel parochiam, debet exceptionem dirigere ad Episcopum diœcesis, in qua est canonicatus vel parochia de quibus agitur; quamvis promovendus adhuc stet sub jurisdictione alterius Episcopi.

Hinc libelli exceptorii formula, pro variis expositis casibus apte est accommodanda, nempe :

§ I.

Formula exceptionis criminalis, criminaliter contra aliquem testem propositæ.

« *Coram reverendo N. Vicario generali reverendissimi Episcopi N., comparet dominus Andreas N. presbyter, contra quem in præsenti criminalis causa vertitur; et dicit se excipere contra Joannem Cordatum clericum, testem contra ipsum productum, ob varia ejus delicta, quæ obstant ne ejus testimonium recipi debeat. Igitur, non dolo malo neque animo calumniandi, sed ut ipse calumniam dicti testis repellat, et ut ejus delicta, ad aliorum exemplum, digne plectantur, proposuit infrascriptos exceptorios articulos, sese obligans ad eosdem in judicio probandos, sub pœnis calumniatoribus debitis :*

« 1. *Quod anno præterito dictus Cordatus de gravi calumnia contra canonicum N. convictus sit.* 2° *Quod commercium cum suspecta muliere habeat.* 3° *Etc...* (Potest excipiens, sed non tenetur, directorium probationis addere : si velit subnectere, id præstare poterit hoc modo) : *Testes autem producit super* 1 *et* 2 *N. et N.; super* 3 *et* 4 *N. et N.; super* 4 *N. et N. Datum die... mensis... anno. — Ego Andreas N. excipio et accuso ut supra. — Andreas N.* »

Nota. Formula pro libello exceptorio contra accusatorem,

vel procuratorem, etc., juxta præsentem et sequentem, mutatis mutandis accommodetur.

§ II.

Formula exceptionis criminalis, civiliter a reo contra aliquem testem propositæ.

« *Coram reverendo, etc.* (ut in præcedenti usque ad voces recipi debeat). *Igitur infrascriptos articulos exceptorios proponit, ad hunc dumtaxat finem ut dicti Cordati testimonium rejiciatur et pro nullo habeatur. Undè non vult nec intendit, quod præfatus testis aliqua pœna publice aut private afficiatur. Sunt autem articuli exceptorii : 1° quod..., etc.* (ut in præcedenti formula). »

§ III.

Formula libelli exceptorii, civiliter contra eligendum propositi.

« *Coram reverendo N., reverendissimi Episcopi N. Vicario generali, comparet dominus N., et dicit, quod magnum damnum Ecclesiæ eveniret, si eligeretur ad...* (hic dignitas de qua agitur describatur) *dominus N.; de quo multum dubitatur, quod possit eligi : et ideo ad antevertendum omne damnum, quod in tali electione posset Ecclesiæ evenire, cujus utilitatem quilibet qui sit de ejus corpore procurare debet, proponit contra ipsum infrascriptos articulos exceptorios ; et in his scriptis jurat se, non animo calumniandi, dolo malo, neque ab aliqua passione aut animositate contra memoratum dominum N. moveri, sed a puro zelo boni communis. Proinde non intendit neque vult quod prædictus dominus N. ob contenta in infrascriptis articulis, punitione aut pœna confusibili aliqua afficiatur ; sed solummodo quod ad talem dignitatem non eligatur. Protestando quod si super exceptione, quam legitime proponit, non fiat debita inquisitio ad normam juris, ac ea contempta ad electionem deveniatur, et prædictus dominus N. remanserit*

electus, electio ipsa erit cassa, et nullius valoris; et provocat ab ea ad superiores ad quos de jure. Articuli autem sunt :

« 1° *Quod prædictus dominus N. est imperitus, et nescit quæ sunt necessaria ad eam dignitatem, nimirum canonum jura et sacram theologiam.*

« 2° *Quod non habet ætatem præscriptam :* (seu) *habet talem irregularitatem ex defectu seu delicto.*

« 3° *Quod commisit tale delictum* (hic describatur, adnotato loco, tempore, cæterisque circumstantiis).

« *Et testes necessarios ad probationem producit dominum N. et dominum N. super primo articulo; dominum N. atque N. super secundo..., etc. Datum die... mensis... anno... — Ego N. excipio, protestor, insto et appello ut supra.* »

§ IV.

Forma libelli exceptorii, criminaliter propositi contra eligendum.

« *Coram reverendo N., reverendissimi Episcopi N. Vicario generali, comparet dominus N., et dicit, quod, cum probabiliter, ut communiter existimatur, possit eligi in canonicum* (vel, *etc.*) *dominus N., magnum damnum Ecclesiæ eveniret; tum quia multi ipso digniores et magis Ecclesiæ proficui abjicerentur; tum quia ipse qui dignus est punitione, ob sui mala facta, impunitus evaderet cum scandalo pusillorum. Proinde ipse comparens, non dolo malo, neque ex inimicitia, sed ex puro zelo publici boni motus* (*ut jurat, in his scriptis*) *excipere contra memoratum dominum N. intendit, ne ad dignitatem aliquam assumatur; et ideo infrascriptos articulos, a se probandos per legitima documenta, sub pœna calumniatoribus debita proponit : volens quod de delictis infrascriptis, de quibus excipiendo eum accusat, ad aliorum exemplum et ad juris normam, castigetur. Protestando de nullitate electionis, si ad eam devenietur, et in prædictum dominum N. cadet, non curata præsenti exceptione, et ab ea ex nunc pro tunc provocat,*

appellat, et petit recursum ad superiores, ad quos de jure. Articuli autem sunt :

« 1° *Quod vitam ducit luxuriosam, et pravam habet consuetudinem cum N.*

« 2° *Quod simoniacis artibus eligi curaverit, offerendo munera electori N.*

« *Testes producit super primo articulo dominum N. et dominum N. : super secundo...* (sive) *Testes autem suo loco et tempore producere est paratus. Datum anno... mensis... die...*

« *Ego N. excipio, protestor, insto, et appello, ut supra.* »

§ V.

Forma excipiendi contra electum ne confirmetur.

« *Coram reverendo N., reverendissimi Episcopi N. Vicario generali, comparet Dominus N., et dicit electionem factam in* (notetur hic dignitas ad quam indignus jam fuerit electus) *esse cassandam et annullandam : eo quia nonnulla militant in eo, ob quæ a sacris canonibus ille est ineligibilis ad eam dignitatem. Quapropter, non dolo malo, aut ex ulla animositate contra eum, sed ex puro zelo publici boni, et ut leges serventur, excipit contra eum de infrascriptis articulis, quos probare intendit in legitima forma ; non ut ob ea, quæ in illis continentur aliqua confusibili pœna puniatur, sed tantum ne confirmetur in dignitatem ad quam electus est. Instat proinde præsentem exceptionem* (*quam in his scriptis jurat, non esse calumniosam*), *admitti, et probationes exhibitas acceptari, et interea circa confirmationem nihil innovari ; aliter protestatur de nullitate confirmationis, provocat ad quos de jure, et petit recursum ad superiorem. Porro articuli sunt infrascripti :*

« 1° *Quod dominus N. pro majore parte diei solet esse ebrius cum scandalo sæcularium.* 2° *Etc.*

« *Testes producit super primo dominos N. et N. Super secundo dominos N. et N.*

« *Ego N. excipio, insto, protestor, et appello, ut supra.* »

CAPUT VI.

FORMA INCIPIENDÆ SCRIPTIONIS ACTUUM, QUANDO PROCEDITUR SIVE ACCUSATIONIS, SIVE DENUNTIATIONIS VIA.

Accommodanda est formula hæc, pro variis qui occurrere possunt casibus, ut sequitur.

§ I.

Si judex sit Ordinarius, et in actuarium deputaverit aliquem, qui jam sit notarius publicus, sic scribi poterit :

« *In nomine Domini. Amen. — Hic est processus criminalis, quem ad instantiam Francisci Zelatæ, accusationis* (vel denuntiationis) *via incedere volentis, formare intendit reverendus Joannes Severinus, reverendissimi Ambianensis Episcopi Vicarius generalis. Cum enim coram illo comparuisset dictus Franciscus Zelata, porrexit libellum accusationis* (vel denuntiationis), *qui incipit* (et ibi ponantur voces initiales) *et desinit* (et ponantur ultimæ libelli voces), *quique infra descriptus habetur sub titulo DOCUMENTORUM, numero... : volens igitur præfatus reverendus Vicarius generalis procedere prout juris, me notarium publicum ad se vocavit, et pro actuario deputavit. Acta sunt hæc die... mensis... anno. — Ego N., Vicarius generalis judex. — Ego N., actuarius.* »

§ II.

Si judex sit Ordinarius, et actuarius debuerit prius creari in notarium publicum, scribi poterit in hunc modum :

« *In nomine...* (et reliqua ut in præcedenti formula usque ad vocem *volens*)... *Volens igitur præfatus reverendus Vicarius*

generalis prout juris procedere, curavit a reverendissimo N. Episcopo creari aliquem in notarium, qui pro actuario deputari posset. Quare præfatus reverendissimus Episcopus vocatum me coram testibus notarium publicum creavit, et in actuarium deputavit, delato fidelitatis juramento, quod statim præstiti; prout habetur infra sub titulo DOCUMENTORUM, numero... (Si creatus fuisset per patentales litteras, convenienter accommodetur hæc pars formulæ.)»

§ III.

Si judex sit delegatus, scribi poterit in hunc modum :

« *In nomine Domini. Amen. — Hic est processus criminalis, quem via accusationis* (vel denuntiationis) *formare intendit Jacobus N., ecclesiæ cathedralis N. canonicus, judex delegatus. Cum enim coram reverendo Joanne Severino, reverendissimi Ambianensis Episcopi Vicario generali, comparuisset Franciscus Zelata; et porrexisset, contra Andream N. presbyterum, libellum quemdam accusationis* (vel denuntiationis) *qui incipit... et desinit..., quique descriptus habetur infra, sub titulo DOCUMENTORUM, numero...; præfatus vero reverendissimus Vicarius generalis, aliis negotiis impeditus, jurisdictionem suam super hac causa Jacobo N., cathedralis Ambianensis canonico delegasset* (1); *dictus delegatus canonicus ad locum N. se contulit, ibique ante omnia se legitimavit, faciendo ut coram testibus N. et N. legerentur patentales delegatæ sibi jurisdictionis litteræ, ut habetur infra sub titulo DOCUMENTORUM, numero... Postea me infrascriptum...* (et reliqua ut in præcedentibus formulis). — *Ego N., judex delegatus.* — *Ego N., actuarius.* »

(1) Supponimus ad ordinariam Vicarii generalis jurisdictionem pertinere, ut unam vel plures causas delegare possit, prout asserit Pellegrini (*Praxis Vicariorum*, part. 1, sect. 2, subsect. 2, n. 45), cum glossa, et pluribus doctoribus; vel saltem potestatem hanc fuisse specialiter ab Episcopo ei concessam.

§ IV.

Si denuntiationis libellus per epistolam a denuntiante missus fuerit, et denuntians possit ad curiam accersiri, poterit actuum scriptio sic incipi :

« *In nomine...* (et reliqua, ut in prima hujus capitis formula, usque ad voces *Cum enim*). *Cum enim ad illum* (sive : *ad reverendissimum Ambianensem Episcopum*) *dictus Franciscus Zelata per litteras misisset libellum...* (et reliqua, ut in modo dicta formula, cui postea hæc addantur) : « *Consequenter volens reverendus N., Vicarius generalis, officio suo satisfacere, vocare fecit, me infrascripto præsente, supradictum Franciscum Zelatam, qui denuntiatoriam scripsit epistolam; et ei delato juramento de veritate dicenda, quod et præstitit, interrogatus fuit et respondit ut sequitur :* 1° *interrogatus an scripserit reverendissimo Ambianensi Episcopo* (vel ipsius generali Vicario) *aliquas litteras? Respondit : scripsi.* 2° *Interrogatus utrum propria an aliena adhibita manu, eas scripserit? Respondit : propria mea manu.* 3° *Interrogatus, quid eæ litteræ continerent? Respondit : denuntiationem quamdam contra Andream N., presbyterum.* 4° *Interrogatus an eas agnosceret, si ipsi ostenderentur? Respondit : Absque difficultate ulla agnoscerem. Tunc ei ostensa est denuntiatoria epistola, quam statim pro sua et sua manu scripta agnovit. Acta sunt hæc die... mensis... anno... — Ego N., judex. — Ego N., actuarius.*

§ V.

Si denuntiatio missa fuerit per litteras, et non expediat denuntiantem ad curiam vocari, et denuntians in diœcesi existat, procedi et scribi poterit in hunc modum :

I. Eligendus est commissarius, qui denuntiantem adeat et ab eo exquirat, an denuntiationem pro sua agnoscat. Pro actuario autem, quoad exequendam ejusmodi commissionem, vel deputatur aliquis qui jam sit notarius publicus, vel non : si prius, litteras

commissoriales dare poterit etiam Vicarius generalis. Si vero iisdem litteris actuarius qui deputatur creandus sit in notarium publicum, eas dare debebit Episcopus; cum ab ipso, non autem a Vicario generali, creari possint notarii publici. Quæ patentales litteræ si ab Episcopo scribantur, poterunt hoc modo concinnari.

« *N., Ambianensis Episcopus, dilecto in Christo filio N., oppidi N., diœcesis nostræ parocho, salutem et benedictionem. Cum dominus N. ad nos per litteras transmiserit denuntiationem præsentibus nostris inclusam, et officii nostri sit, antequam in denuntiatum procedatur, ut compertum habeamus num revera prædictus N. denuntiationem hanc scripserit et eam pro sua agnoscat; quoniam aliunde dignis de causis, animum nostrum moventibus, judicamus non esse opportunum eumdem N. ad nostram curiam vocare; ideo duximus tibi sumendam ejusmodi informationem demandare. Harum ergo serie Tibi injungimus ut* (*adjecto tibi in actuarium domino N., quem vigore præsentium, ad effectum dumtaxat sumendæ dictæ informationis, notarium publicum creamus, a quo et solitum fidelitatis juramentum prius excipies*), *præfatum dominum N. adeas* (vel coram te vocari facias), *et juridice coram dicto notario interroges super articulis infra describendis. Præcipimus autem sub formali præcepto et in virtute Spiritus Sancti domino N., ut te tanquam nostrum commissarium delegatum ad sumendam prædictam informationem recognoscat, et in ordine ad hoc in omnibus tibi pareat, et obediat. Porro articuli sunt infrascripti:* 1° *an aliquas litteras ad Episcopum N. direxerit* (vel ad ejus Vicarium generalem); 2° *quatenus affirmative, an eas propria manu scripserit;* 3° *quid istæ litteræ continerent;* 4° (*postquam ostensa ei fuerit denuntiatoria epistola*) *an eam pro sua agnoscat. Informationem autem ut præfertur, completam et sigillatam ad Nos mittere curabis. Datum... — N., Episcopus N. — N., actuarius.* »

Si prædictæ commissoriales litteræ dentur a Vicario generali, adhibebitur eadem formula, mutatis mutandis.

II. Poterit commissio ad executionem deduci, et actus de executione fieri in hunc modum :

« *In nomine Domini. Amen. — Cum dominus N. recepisset a reverendissimo Episcopo N., quasdam commissoriales litteras, quæ habentur sub præcedenti numero, decrevit ea qua par est promptitudine eas exequi. Quapropter me infrascriptum vocavit in domum suam, et coram infrascriptis, me notarium auctoritate episcopali creatum renuntiavit, juramentumque fidelitatis mihi detulit, quod et præstiti, ad hoc ut in hac causa ut legitimus actuarius ei inservirem. Acta sunt hæc... — Ego N., commissarius delegatus. — Ego N. fui testis. — Ego N. fui testis. — Ego N., actuarius.*

« *Consequenter, associante me, adivit præfatus N. commissarius dominum N.; qui certior factus de commissorialibus litteris ut supra, fuit interrogatus, et respondit in hunc modum :* 1° *interrogatus, an aliquas ad curiam episcopalem direxisset litteras? Respondit...* 2° *etc. Acta sunt hæc die... mensis... anno... — Ego N., commissarius delegatus. — Ego N., actuarius.* »

III. Modus incipiendi scriptionem actuum in præsenti casu : quando nempe denuntiatio facta est per litteras, et denuntians in diœcesi existens, ad curiam non vocatur.

« *In Nomine Domini..., etc.* (ut in § 1 hujus capitis). *Cum enim dictus Franciscus Zelata per litteras direxisset ad reverendissimum Episcopum N. quamdam denuntiationem, quæ incipit... et desinit..., et habetur infra descripta sub titulo DOCUMENTORUM, numero...; volens reverendus N. Vicarius generalis, ante omnia certior fieri, num dictæ denuntiationis præfatus Franciscus Zelata vere auctor existat, nec tamen opportunum judicans, dignis de causis ejus animum moventibus, eumdem ad curiam vocare ; commissoriales litteras dedit* (vel *a reverendissimo Episcopo dari procuravit*) *domino N., ad hunc effectum ut is informationem ejusmodi desumeret. Quæ commissoriales litteræ, una cum testimonio de earum executione, habentur infra sub titulo DOCUMENTORUM, numeris... Comperto igitur authenticam esse præfatam Francisci Zelatæ denun-*

tiationem, decrevit reverendus N. Vicarius generalis prout juris procedere, et me notarium publicum ad se vocavit et in actuarium deputavit. Acta sunt hæc... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. »

Si vero ille cujus nomen subscribitur denuntiationi ad Episcopum transmissæ, ostensa sibi hac denuntiatione, dicat se nullatenus eam scripsisse, statim claudendus est processus; quod fieri potest adhibita ultima formula usque ad verba *comperto igitur authenticam...;* quorum loco sic scribi potest : « *Comperto igitur ex præhabitis nullam fuisse denuntiationem Episcopo transmissam, ex eo quod non appareat persona denuntiatoris, decrevit reverendus N. Vicarius generalis non esse ulterius procedendum. Acta sunt hæc... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

VI.

Si denuntiatio per litteras missa fuerit et denuntians extra diœcesim existat, nec expediat eum ad curiam vocari, procedi et scribi poterit hoc modo :

Tunc scilicet ad Ordinarium judicem diœceseos, in qua degit denuntians, expediuntur *litteræ remissoriales*, quibus rogatur, ut informationem sumat et postea transmittat super hoc, an prætensus denuntians revera denuntiationis de qua agitur auctor sit. Formam autem ejusmodi litterarum remissorialium, et modum quo illas exequi debet judex ad quem mittuntur, hic omittimus; quia mutatis mutandis facile aptari poterunt ad normam earumdem, infra tradendam, pro examinando teste, in aliena diœcesi degente.

CAPUT VII.

FORMA FACIENDÆ INQUISITIONIS GENERALIS.

Duplex est inquisitio generalis, paterna scilicet et judicialis. Hic de judiciali dumtaxat agitur, cum paterna ad scopum nostrum non pertineat.

In generali autem inquisitione, ut supra diximus, de publicis tantum delictis judex interrogare potest : de occultis autem, id est, quæ ita a paucis noscuntur, ut super iis fama publica non existat, uec judex interrogare, nec subditi ea revelare regulariter possunt. Si tamen ex ignorantia subditorum interrogatorum, aliquis eorum judici revelet aliquod occultum delictum ejusque auctorem nominet, poterit judex contra talem delinquentem inquisitionem specialem instituere ; et hoc sensu inquisitio generalis, speciali viam aperire dicitur. Quibus prænotatis, formulæ in inquisitione generali adhibendæ sic concinnari possunt.

I.

Formula edicti pro incipienda inquisitione generali, sive tempore, sive extra tempus visitationis.

« *Cum advenerit reverendissimus Episcopus Ambianensis in civitatem N., officium suum exequi volens, ut e sua diœcesi vitia expurgentur, et delinquentes saltem metu pœnarum a criminibus committendis abstineant, et jam commissa ob aliorum exemplum et justitiam servandam convenientibus pœnis puniantur, per hoc edictum ad ejusdem civitatis ecclesiæ majoris valvas fixum, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut omnes, qui de jure possunt et debent, servatis servandis, ecclesiasticorum delicta manifestare illi debeant. Datum... die... mensis... anni...* — *De mandato reverendissimi Ambianensis Episcopi.* — *N., actuarius.* »

II.

Formula scribendi acta inquisitionis generalis.

Describi potest hoc aut simili modo : « *In Nomine Domini. Amen.* — *Hic est processus inquisitionis generalis, quam reverendissimus Ambianensis Episcopus, ut e sua diœcesi expellantur vitia, et delinquentes pœnæ metu a committendis criminibus*

abstineant, facere determinavit in civitate N. Quapropter, prius affixo majoris ecclesiæ dictæ civitatis valvis edicto de sibi manifestandis publicis delictis, in ea regione a quinque annis (qui numerus annorum mutetur vel deleatur prout statuerit Episcopus) *patratis, die... mensis... anni..., sedens pro tribunali in* (et ibi ponatur locus), *audivit depositionem testium, tum nominatim ejusdem episcopi jussu vocatorum, tum sponte virtute prædicti edicti advenientium.*

« *Itaque primo comparuit Stephanus N., etc.* »

Ibi referantur interrogationes et responsiones testium, juxta formam infra tradendam pro examinandis testibus; cum eo tamen discrimine, quod judex interrogare non debet de ulla persona in particulari, an talis delicti rea sit, vel etiam an aliquod delictum patraverit; sed tantum generaliter an aliqua delicta in ea regione patrata sint et qualia. Si interrogatus respondeat affirmative, et delictum aliquod revelet, ulterius interrogare potest judex an delinquens sit notus in vicinia, ita ut fama publica eum designet tanquam criminis auctorem. Ad quod si iterum affirmative interrogatus respondeat, poterit judex, quia jam de publico delicto agitur, exigere ut sibi delinquens denominetur. Et contra sic denominatum institui poterit inquisitio specialis.

III.

Modus concludendi processum inquisitionis generalis.

Cum præcipuus inquisitionis generalis scopus sit, ut judex ecclesiasticus cognoscat publicos delinquentes, absoluta depositione testium, plerumque finitur etiam totus hujusmodi inquisitionis processus; quod actuarius in acta referre potest hoc modo:

« *Et postquam reverendissimus Episcopus interrogationes testium absolvit, inquisitionem generalem terminavit et terminatam declaravit. In cujus fidem, et omnium quæ supra. — Ego N., actuarius.* »

Si tamen Episcopus, ob ea quæ per inquisitionem generalem rescivit, aliquod ferret decretum generale, vel generalem pœnam, verbi gratia, si interdictum ferret in totam civitatem, vel casus aliquos sibi reservaret, id actuarius referre deberet et postea subjungere : « *Quo peracto, reverendissimus Episcopus inquisitionem hanc generalem terminavit et terminatam declaravit. In cujus fidem, et omnium quæ supra. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT VIII.

FORMULA INCIPIENDÆ SCRIPTIONIS ACTUUM, QUANDO SPECIALIS INQUISITIONIS VIA PROCEDITUR.

Non potest judex ecclesiasticus contra quemquam via specialis inquisitionis, seu ex mero officio, procedere, nisi in his casibus : 1° quando præcessit fama publica ; 2° juxta communiorem doctorum sententiam, quando judicialiter (verbi gratia, dum Episcopus generalem inquisitionem faceret) habita sunt contra aliquem vehementia indicia, aut semi-plena probatio de patrato gravi delicto. Formulam pro utroque casu exhibebimus.

§ I.

Formula quando fit specialis inquisitio ob publicam famam.

« *Hic est processus criminalis, quem via inquisitionis specialis ex officio formare intendit Joannes N., reverendissimi Episcopi N., Vicarius generalis, contra Andream N., presbyterum. Cum enim ad aures præfati reverendi Vicarii generalis pervenisset, communem extare famam, etiam apud graves et non malevolas personas, dictum Andream in plura delicta, timore Dei postposito, prorupisse* (si unicum esset delictum illud unicum exprimi

deberet), *nempe :* 1° *ipsi frequens esse cum quadam fœmina, nomine Lella, matrimoniali vinculo soluta et suspectæ conversationis, commercium ;* 2° *scriptas ab eo fuisse litteras amatorias et in seductionem nimis aperte tendentes, ad puellam nomine Bibianam ; quæ litteræ præ manibus genitorum dictæ Bibianæ extare dicuntur ;* 3° *mense decembri præsentis anni, dum in ecclesia N., ad populum concionem haberet, assertum ab ipso fuisse, bona non esse omnia quæ posterioribus sæculis in suam disciplinam generalem invexit Ecclesia catholica, et optimum quemque catholicum, de his non curando, niti debere, ut ad priorum sæculorum normam redeatur ;* 4° *eumdem Andream sæpe in ebrietatem incidere. Idirco volens præfatus reverendus Vicarius generalis officio suo satisfacere, decrevit prout juris super prædictis inquirere. Quapropter me infrascriptum notarium publicum ad cameram suam, ubi tribunal erexit* (vel *in atrio episcopii, ubi judicia fieri solent*), *vocavit, et in actuarium deputavit. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni... — N., Vicarius generalis judex. — N., actuarius.* »

§ II

Formula quando inquiritur ob habita judicialiter vehementia indicia, vel semi-plenam probationem.

« *Hic est processus criminalis...* (et reliqua ut in præcedenti formula). *Cum enim in ultima sua visitatione ordinaria, inquisitionem generalem instituisset reverendissimus Ambianensis Episcopus in oppido N., emersit contra dictum Andream N., vehemens indicium, ab eo seductam fuisse puellam Bibianam quæ prolem peperisse noscitur ; eo quod nempe extent et ad reverendissimum Episcopum allatæ sint amatoriæ litteræ, ab eodem Andrea N., ad dictam puellam directæ.* (Si procedatur non ob indicia, sed ob semi-plenam probationem ponatur :) *Emersit contra dictum Andream N., semi-plena probatio de scandaloso ipsius commercio cum puellis perditis, quæ in qua-*

dam domo dicti oppidi habitare noscuntur, eo quod nempe Joannes N., testis omni exceptione major, propriis oculis præfatum Andream N., pluries viderit dictarum puellarum diverticulum ingredientem atque inde egredientem. Quapropter ne delicta maneant impunita, et officio suo satisfacere volens reverendus Vicarius generalis, decrevit super hoc informationes sumere, testes examinare, et alia de jure præstanda facere. Hinc me infrascriptum... (et reliqua ut in præcedenti formula). »

CAPUT IX.

FORMA INCIPIENDÆ SCRIPTIONIS ACTUUM, QUANDO PROCEDITUR EXCEPTIONIS VIA.

Ex tradito libello exceptorio criminali, duplex oriri potest processus : nempe primo processus ipse exceptivus, in quo judicandum venit utrum propositæ exceptiones admittendæ sint, an vero rejiciendæ tanquam insufficientes vel non satis probatæ : secundo, in casu quo judicatum fuerit valere exceptiones, transitus fit ad specialem processum criminalem contra eum, quem deliquisse constat saltem semi-plene ex processu exceptivo. Formulam incipiendæ scriptionis actuum in utroque hoc processu exhibemus.

§ I.

Formula incipiendæ scriptionis actuum in processu exceptivo.

« *In nomine Domini. Amen. — Cum comparuisset coram reverendo N., Vicario generali reverendissimi Episcopi N., dominus N., atque illi præsentasset quemdam libellum exceptorium contra dominum N.; volens prædictus reverendus Vicarius generalis juxta juris regulas et canonum statuta procedere, vocavit me infrascriptum notarium publicum, et in actuarium deputavit, ut illi in hoc processu deservirem. Acta*

sunt hæc... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.

« *Consequenter vocatus coram eodem reverendo Vicario generali et me infrascripto actuario, libellum exceptorium ut supra dictus dominus N. porrexit; quem ad mandatum judicis ipsi legi et in actis inserui, infra sub titulo documentorum, numero...: incipit... et desinit.... Prædictus vero reverendus Vicarius generalis dixit, se illum acceptare si et in quantum, et se provisurum prout de jure. Acta sunt hæc.... — Ego N. excipio ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

§ II.

Formula incipiendæ scriptionis actuum in processu criminali, ad quem fit transitus ex processu exceptivo.

« *In nomine Domini. Amen. — Cum debitum judicialis officii sit criminosos debitis pœnis coercere, ne delinquentium impunitas malo exemplo cæteros ad similiter peccandum sollicitet; reverendus N., reverendissimi Episcopi N., Vicarius generalis, cum novisset dominum N., commisisse nonnulla gravia delicta, prout probatum remanet in processu exceptivo contra eumdem fabricato, ad instantiam domini N., ut in actis, decrevit, prout etiam præsenti decreto decernit, judicium criminale contra eum instituere, ad examen testium devenire, et alia prosequi prout de jure, usque ad sententiam definitivam. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno.... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT X

FORMULA INCIPIENDÆ SCRIPTIONIS ACTUUM IN PROCESSU CRIMINALI, SUPER DELICTO COGNITO INCIDENTER IN ALIO JUDICIO.

« *In nomine Domini. Amen. — Cum in processu fabricato contra dominum N. super* (et hic describatur delictum super quo

factus fuit processus criminalis, vel causa litis si procedatur civiliter), *dominus N.*, *testis* (sive reus) *judicialiter examinatus*, *in sua depositione confessus sit se commisisse...* (et ibi describatur delictum confessione patefactum); *quoniam de hoc non fuerat alias curia informata; ideo volens reverendus N.*, *Vicarius generalis suo muneri satisfacere*, *decrevit prout decernit*, *procedere ex officio ad prædicti delicti inquisitionem et punitionem*, *ad formam sacrorum canonum. Acta sunt hæc die...*, *mensis...*, *anno... — Ego N.*, *Vicarius generalis. — Ego N.*, *actuarius.* »

CAPUT XI.

FORMA INITIANDI PROCESSUM FABRICANDUM AB ARBITRIS, IN CASU RECUSATIONIS JUDICIS.

« *In nomine Domini. Amen.— Cum in causa quæ contra dominum N. actitatur, coram reverendo N., Vicario generali, prædictus dominus N. recusaverit tanquam judicem sibi suspectum memoratum reverendum N., Vicarium generalem, et ad cognoscendum de validitate hujusmodi recusationis, ad normam sacrorum canonum, et praxim criminalem curiæ episcopalis, a partibus respective in arbitros nominati sint domini N. et N., ipsisque insinuata fuerit eorum nominatio; et ipsi officium arbitrorum acceptaverint, ut ex actis processalibus apparet; volentes prædicti domini N. et N., arbitri electi, munus suum prout de jure exequi, convenerunt* (hic dicatur locus ubi convenerint); *et ibi accito me infrascripto notario, jam adhibito a reverendo N., Vicario generali, in hac causa, ut ex actis supra; vocatus fuit dominus N., qui ut præfertur tanquam suspectum judicem recusavit reverendum dominum N., Vicarium generalem; et delato ipsi juramento quod non dolo malo, neque animo calumniandi, sed tantum ad sui indemnitatem, memoratum reverendum N., Vicarium generalem, ut sibi suspectum recuset* (*quod juramentum et præstitit*) *; fuit ei dictum, ut causam recusationis proponeret, produceretque tes-*

tes, aut alia legitima documenta, per quæ veritas, et subsistentia talis causæ probaretur. Qui prædictus dominus N. reproduxit copiam libelli recusatorii præsentati præfato reverendo Vicario generali, et dixit dominis arbitris in illo contineri tum causam expressam recusationis, tum testes ad eam probandam necessarios ; et instare apud eosdem dominos arbitros ut omnia admitterentur, et ad cognoscendum de veritate tum in jure tum in facto procederetur. Qui domini arbitri libellum prædictum et omnia in eo contenta admiserunt si et in quantum, et procedere prout de jure decreverunt ; jusseruntque mihi actuario, ut libellum prædictum inter acta reciperem, prout feci; et incipit..., et desinit..., et habetur infra descriptus, signatus numero.... Acta sunt hæc.... — Ego N., arbiter. — Ego N., arbiter. — Ego N. recuso et affirmo ut supra. — Ego N., actuarius.

« *Successive iidem domini arbitri qui supra, in locum solitum convenientes, examinaverunt causam accusationis expressam in supradicto libello, producto coram ipsis a præfato domino N., recusante; et cum invenissent eam desumi ex suspicione quæ oritur ex inimicitia, quæ asseritur versari inter reverendum dominum Vicarium generalem recusatum, et dominum N. recusantem, pronuntiarunt causam præfatam de jure esse legitimam; proinde procedendum esse ad inquisitionem, an constet in facto de asserta inimicitia. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno.... — Ego N., arbiter. — Ego N., arbiter. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XII.

FORMA FACIENDÆ VISITATIONIS CORPORIS DELICTI.

Quando delictum, sive per accusationem, sive per denuntiationem, sive per famam publicam delatum, est *facti permanentis*, id est, vestigia post se relinquens, fieri debet visitatio corporis delicti. Et quidem facienda est ante cætera omnia

post oblationem libelli accusatorii vel denuntiatorii, vel (si ex officio specialis inquisitio instituatur) antequam sumatur de fama publica juridica probatio. Modus autem faciendæ visitationis ejusmodi satis patebit ex sequenti formula, qua uti poterit actuarius in conficiendis actis. Supponamus per accusationem, vel denuntiationem, vel famam publicam, ad judicem delatum fuisse grave vulnus, a canonico N. illatum clerico N., qui ex eo casu lecto decumbat : fieri et referri in actis poterit visitatio in hunc modum :

« *Consequenter volens reverendus N., judex, debito juris ordine procedere, associatus a me et duobus testibus N. et N., ad hoc specialiter vocatis, se contulit ad visitandum corpus delicti, in articulo primo* (vel *secundo*... vel *unico*) *libelli accusatorii* (vel *denuntiatorii;* vel si inquiratur ex mero officio, *delicti supra sub numero... memorati*). *Visumque et repertum fuit, clericum N., revera graviter percussum esse* (et ibi describantur circumstantiæ, verbi gratia); *vulnus enim in parte sinistra capitis incussum, est longum duobus pollicibus, et latum uno pollice; et in toto latere sinistro capitis notabilem inflammationem et inflationem excitavit; ex quo dictus clericus æger lecto decumbit. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., judex. — Ego N., testis fui præsens. — Ego N., testis fui præsens. — Ego N., actuarius.* »

Potest autem judex ad visitandum corpus delicti personaliter ipse non accedere, sed ad id actuarium, vel assessorem, vel alium cum duobus testibus deputare. Quo casu convenienter immutanda est præmissa formula : verbi gratia, si actuarius fuerit deputatus, scribi poterit in hunc modum :

« *Consequenter volens reverendus N., judex, debito juris ordine procedere, me cum duobus testibus N. et N., ad visitandum corpus delicti, supra, numero..., memorati, deputavit. Hinc a duobus dictis testibus associatus, ad habitaculum N., clerici, me contuli; visumque et repertum est, etc...* » Et subscribunt duo testes et actuarius.

Nota 1. Si natura rei postulet, deputari debent arte periti

ad visitandum delicti corpus; sufficiuntque duo. « In crimine « autem stupri (ait Megalius, *Praxi criminali*, cap. 2, n. 8), « mittantur tres obstetrices. »

Nota 2. Si in aliqua regione a legibus sæcularibus impediatur ecclesiasticus judex, ne visitationem corporis delicti exequi possit, de hac impossibilitate mentio fiat in actis, et procedatur perinde ac si delictum vestigia non reliquisset. Dicta autem mentio fieri poterit in hunc modum :

« *Quamvis autem delictum, supra sub numero... memoratum, sit facti permanentis, ac consequenter per se visitationem corporis delicti requireret, cum tamen dicta Bibiana examinari se ab obstetricibus sponte non consentiat, et per leges sæculares regionis nostræ præpediatur judex ecclesiasticus, ne ad id eam cogere possit, pronuntiavit rev. N., Vicarius generalis, visitationem corporis delicti, utpote impossibilem in casu, non requiri, et ea omissa ulterius esse procedendum.* »

CAPUT XIII.

FORMA CITANDI TESTES.

Necessaria est testium citatio, tum quia alioquin plerumque ad deponendum non venirent, tum quia sponte venientes regulariter de jure sunt suspecti.

Duplex autem distinguenda est testium citatio : 1° ea quæ fieri solet pro informatione curiæ, antequam citetur reus et lis sit contestata; 2° aliæ quæ fiunt jam citato et constituto reo, et lite contestata, sive ad deponendum prima vice, si pro informatione summaria non fuerunt vocati, sive ad iterandam depositionem jam ab ipsis factam.

Porro in priori casu, testibus, dum citantur, non dicitur in qua causa deponere debeant, licet plerumque ex circumstantiis hoc suspicentur. In posteriori autem, cum jam reus sit constitutus, exprimi potest eos vocari ad deponendum in

causa contra N. vertente, vel ad iterandam ipsorum depositionem in ea causa.

Quando judex præsumit testem absque difficultate copiam sui facturum, potest si velit eum vocare per privatas litteras.

Citatio juridica intimari debet per nuntium publicum, et ter intimanda est, assignato competenti spatio, antequam testis tanquam contumax puniri possit; nisi tamen judex expresse diceret, se intendere ut unica citatio vim triplicis monitionis habeat. Pro variis autem casibus, qui in his exequendis citationibus occurrere possunt, variæ hic tradendæ sunt formulæ.

§ I.

Formula vocandi testem per privatas litteras.

« *Colendissime domine* (quæ verba pro qualitate personæ varientur), *salutem in Domino. — Cum in quàdam causa, quæ coram nobis in curia episcopali vertitur, necessaria sit præsentia tua, ad dictam curiam de nonnullis informandam, non graveris te a Nobis citari ad comparendum die* 5 *mensis proximi, hora* 9 *matutina, in præfata curia. Et interim incolumem te Deus servet. Datum in cancellaria episcopali, die..., mensis..., anno... — N., Vicarius generalis.* »

Si forte testis morem non gerat ejusmodi privatis litteris, recurret judex ad citationem juridicam proprie dictam, juxta sequentes formulas.

§ II.

Formula citationis juridicæ testium, pro informatione curiæ, autequam constitutus sit reus.

« *Nos N., Vicarius generalis reverendissimi Ambianensis Episcopi, requirimus, monemus et citamus sequentes testes, nempe* (et ibi ponantur eorum nomina; atque addatur pœnæ

comminatio, si ita judici visum fuerit, verbi gratia, *sub pœna excommunicationis*, vel si sint clerici, *sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ*), *ut die... hujus mensis compareant personaliter in episcopali curia, coram me Vicario generali, juraturi, ac deposituri pro informanda curia, in causa quadam, nunc apud dictam curiam vertente; et mandamus nuntio nostro publico N., ut dictam citationem singulis supra nominatis testibus personaliter denuntiet. Datum, etc. — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

§ III.

Formula citandi testes, jam citato et constituto reo.

Potest esse eadem ac præcedens usque ad verba *juraturi ac...*, pro quibus scribatur hoc aut simili modo :

« *Juraturi, ac deposituri* (vel si jam deposuerint, *suamque depositionem repetituri*) *in causa criminali, quæ apud dictam curiam vertitur contra Andream N., prout in actis. Et mandamus nuntio nostro publico N., ut dictam citationem singulis supra nominatis personaliter denuntiet. Datum, etc.* »

§ IV.

Formula citationis, quæ triplici monitorio æquivaleat, ad effectum testem puniendi ut contumacem, si comparere recuset.

« *Nos Vicarius generalis...* (et reliqua ut in superiori formula, usque ad voces *apud dictam curiam vertente;* quibus addatur) : *Volentes autem ut hujus nostræ citationis libellus vim canonici monitorii obtineat, proinde nominatis testibus assignamus sex dies, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et duos pro tertio et peremptorio termino statuimus, a die præsentationis præsentium ipsis personaliter factæ computandos; intra quos si* (*nulla legitima causa præpediti*) *non comparuerint coram nobis, noverint Nos contra ipsos ut contumaces, ad formam juris, nulla ulteriori citatione prævia, esse processuros.*

Datum.... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. »

§ V.

Forma intimandi testibus citationem juridicam, sive personaliter, sive in domo solitæ habitationis.

Sedulo attendendum est, ut citatio testibus regulariter intimetur; ne forte posthabitis in hac re juris regulis, citatio nullitate laboret. Regulæ autem quoad modum citationem testibus intimandi eædem sunt, ac si ageretur de citatione Rei. Unde supervacaneum non erit hic transcribere, quæ adnotantur apud Monacelli (*Formularium legale*, parte 3, tit. 1, formula 1, n. 10 et seq.) de citatione reo recte intimanda : « Citatio (inquit adnotator in Monacellum) de qua non constat « per relationem nuntii, non dicitur apparere; quia de jure « non creditur nisi nuntio de executione illius, non autem no- « tario testanti de citatione facta (Rota, decis. 71, n. 2, co- « ram Greg.); nisi in loco ubi citatio executa fuit, notarius de « stylo fungatur officio nuntii (Rota, coram eodem, decis. 426, « n. 6 et 7), vel nisi notarius duos testes adhibuisset, et in- « strumentum de citatione executa per eum sumpsisset. Et « est notandum quod, si citatio in alterius domo, per errorem « nuntii vel alio modo, nulliter executa esset, et excommu- « nicandus de ea aliunde haberet scientiam certam, et de qua « constaret judici, defectus diceretur sanatus, et citatio illum « arctaret et afficeret, ac si legitime fuisset citatus (ad tradita « per Rotam coram Cerro, decisione 204, n. 3); quod et cer- « tius procederet, si citatus compareret; cum per compari- « tionem citatio nulliter executa convalidetur... Notandum se- « cundo, quod si ad locum in quo manet citandus, non detur « tutus accessus..., probato prius per testes quod sit morali- « ter impossibile, vel quod non sit tutum eum citare in per- « sona vel in domo, sufficit citatio per edictum... Si autem

« citandus esset absens extra territorium, tunc Ordinarius « domicilii posset illum ibi citari facere, cum actus citationis « verbalis valide possit fieri contra subditum extra territorium, « etiam ad effectum excommunicandi... Tutius est tamen ju- « dicem territorii requirere... Notandum tertio, quod si judex « committat citari reum ad *instantiam promotoris fisci*, vel « *domi solitæ habitationis*, et nuntius referat citasse ad *instan-* « *tiam adhærentis*, vel citasse *domi* simpliciter, committeret « nullitatem, ex quo relatio non esset certa neque vera, quia « referret super eo, de quo non habuit commissionem... ; « quod erit bene advertendum ab actuariis, dum recipiunt « nuntiorum relationes. » Hæc inquam de intimanda reo citatione dicta, videntur et citationi testibus intimandæ esse applicanda. Unde observanda in ejusmodi intimatione determinari possunt ut sequitur :

I. *Observanda in modo intimandi citationem, quando judex mandavit eam* personaliter *fieri*. — 1° Tunc nuntius publicus debet personæ ipsi testis libellum citationis sibi traditum præsentare, et in manus ejus consignare; nec sufficit in domo solitæ habitationis citationem alteri personæ præsentare, et relinquere, quia (ex hypothesi) hoc non habet nuntius in mandato. 2° Copiam citationis consignatæ retinebit, ut dum actuario refert de citationis executione, is agnoscere valeat, an revera *prout in mandato* jacebat sit executus. 3° Facta intimatione personali, debebit actuario id testari, et is hanc attestationem sibi factam actis inserere : pro quo adhiberi poterit hæc aut similis formula :

« *Cum Joannes N. episcopalis curiæ publicus nuntius* (vel *cursor*), *mandatum accepisset a reverendo N., Vicario generali ut dominum N. ad comparendum in dicta curia personaliter citaret, reversus ad me actuarium præfatus nuntius publicus, præstito prius juramento* (quod tamen juramentum omitti potest si in stylo curiæ non sit) *retulit, se die... in* (et ibi exprimatur locus) *præsentasse prædicto domino N. citationis libellum, sibi in curia consignatum ; et ejus copiam in actis præsentavit ;*

et incipit... et desinit... et infra descripta habetur, signata numero... Acta sunt hæc in cancellaria episcopali die..., mensis..., anno... — Ego N., episcopalis curiæ nuntius, affirmo ut supra. — Ego N., actuarius. »

Nota. Necesse non est de jure communi ut nuntius publicus testes adhibeat in ejusmodi intimatione facienda, quia soli nuntio publico in hoc creditur, ob munus publicum quod gerit. In multis tamen locis, ex stylo particulari curiarum, formalitas hæc ad valorem actuum requiritur.

II. *Observanda si nuntius publicus non potuerit citationem* personaliter, *prout habet in mandato exequi.* — Tunc debebit nuntius publicus actuario referre sibi non patuisse accessum ad testem, et ideo citationem non potuisse personaliter intimari. Quo declarato, ei detur alter citationis libellus, in quo mandetur fieri citationem *domi solitæ habitationis.* Atque hæc in actis referantur hac vel simili formula :

Cum Joannes N. episcopalis curiæ nuntius publicus... (et reliqua ut præcedenti formula usque ad vocem *retulit*), *retulit frustra a se repetitis vicibus quæsitum fuisse prædictum dominum N., unde nec potuisse ei citationem personaliter intimari. De quo certior factus reverendus N., Vicarius generalis, eidem nuntio alterum citationis libellum consignavit, in quo mandatur citari dictum testem domi solitæ ipsius habitationis. Acta sunt hæc in cancellaria episcopali, die.., mensis..., anni... In fidem ego N., actuarius.* »

Ut autem vitetur istiusmodi incommodum expediendæ novæ citationis, satius erit in prima citatione nuntio injungere, ut citet, *vel personaliter, vel domi solitæ habitationis.*

III. *Observanda quoad citationem factam domi solitæ habitationis.* — Quando habetur in mandato ut citetur testis in domo solitæ ipsius habitationis, non potest fieri in alia domo, nec in alio loco, etiamsi ibi esset testis; quia hoc fieret præter mandatum. In domo autem solitæ habitationis, si nequeat libellus ipsi testi præsentari, sufficit præsentari et consignari alicui vel aliquibus qui sint de ejus familia, vel etiam janitori

domus, vel tandem alicui ex incolis ejusdem domus, qui promittat se testi ipsi ejusmodi scriptionem porrecturum : modo tamen persona cui citatio consignatur ætatem convenientem habeat. Intimata autem hoc modo citatione, referatur in actis pro quo formula sic concinnari poterit :

« *Cum Joannes N., episcopalis curiæ cursor, mandatum accepisset a reverendo N., Vicario generali, ut dominum N. in domo solitæ ipsius habitationis citaret ad comparendum, pro informanda de nonnullis dicta curia, reversus ad me præfatus cursor retulit, se, die... præsentis mensis ad domum in mandato designatam contulisse, et ejusdem domus janitori* (vel incolæ domino *N.*) *præsentasse et reliquisse citationis libellum, sibi in curia consignatum, qui et se fideliter domino N. transmissurum promisit : cujus citatorii libelli copiam idem cursor in actis præsentavit : et incipit..., et desinit..., et infra descripta habetur, signata numero.... Acta sunt hæc die...., mensis...., anno... — Ego N., episcopalis curiæ cursor, affirmo ut supra. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XIV.

FORMA AD HABENDAM DEPOSITIONEM TESTIS QUI IN ALIENA DIŒCESI COMMORATUR.

Posset Vicarius generalis citationem per curiæ suæ cursorem intimare testi, etiam in aliena diœcesi existenti ; cum verbalis ejusmodi intimatio non sit actus jurisdictionis. Plerumque tamen in tali casu recurritur ad curiam episcopalem territorii in quo reperitur testis. Ordinario nempe hujus territorii judici ecclesiastico expediuntur litteræ, quæ *remissoriales* a pragmaticis vocari solent. Subjicienda hic venit, 1° earum litterarum formula ; 2° forma quam sequi debet judex ejusmodi litteras accipiens.

§ I.

Formula litterarum remissorialium, pro habenda depositione testis, in aliena diœcesi commorantis.

Possunt scribi et in actis referri in hunc modum :

« *Consequenter reverendus N., Vicarius generalis, cum advertisset necessarium esse examinari ut testem dominum N., et non posset ipsius præsentiam habere, cum commoretur in diœcesi N., decrevit litteras commissoriales dare ad reverendum N., Vicarium generalem, et ordinarium illius diœcesis judicem. Expeditæ igitur fuere ad ipsum litteræ tenoris sequentis, videlicet :*

« *Reverende et colendissime domine.— Necessarium cum mihi sit habere testimonium domini N., in diœcesi N .commorantis, in causa quadam, quæ coram me actitatur; teque ordinarium in dicta diœcesi judicem existere dignoscatur ; visum est auxilium tuum requirere. Quapropter omni majori qua possum instantia rogo, ut prædictum dominum N., coram te comparere facias eumque juridice, ad nostræ curiæ praxis normam, examinare velis, nempe ipsius testimonium juratum excipiente notario legitime creato, et in scripturam publicam redigente ; et ad me ipsius depositionem transmittere. Articuli porro interrogationis sunt sequentes* (et ibi scribens easdem interrogationes ponat, quas ipse faceret si testem examinaret). *Interim tuo me famulatui reverenter offerens, rogo ut te Deus servet incolumem. Datum... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

§ II.

Forma tenenda a judice ad quem missæ sunt litteræ remissoriales, ut testem examinet.

Poterit procedi et scribi in hunc modum :

« *In nomine Domini. Amen. — Cum reverendus N., reveren-*

dissimi Episcopi N. Vicarius generalis, recepisset a reverendo N., in diœcesi N., Vicario generali et ordinario judice, quasdam litteras remissoriales, quæ incipiunt... et desinunt..., et sunt tenoris sequentis, videlicet (ibi litteræ describantur) : *Ideo præfatus reverendus N., Vicarius generalis, decrevit prout de jure eas executioni demandare. Quapropter me adhibito infrascripto, curiæ episcopalis actuario, statuit ad formam juris examen de quo fuit rogatus instituere. Acta sunt hæc die..., mensis.., anno... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.*

« *Consequenter vocatus fuit dominus N.; et interrogatus super primo articulo, respondit... Super secundo, respondit...*» Postea ponitur clausula *quibus habitis, etc.*, qua solet semper concludi examen testium, et quam habes infra. Examen autem sigillatum transmittatur ad judicem qui remissoriales dedit.

CAPUT XV.

FORMA AD HABENDAM DEPOSITIONEM TESTIS ABSENTIS, IN DIŒCESI TAMEN EXISTENTIS, QUEM JUDEX OPPORTUNUM NON EXISTIMAT AD CURIAM VOCARI.

Ad hunc effectum dantur litteræ, quæ *commissionales* dicuntur, quibus nempe alicui committitur ut testem in loco in quo degit adeat, vel ad se vocet, atque eum examinet. Quæ litteræ, si per eas simul quis in notarium publicum creandus sit, ab Episcopo dari debent, cum notarius a Vicario generali creari nequeat. Hic subjicienda formula ejusmodi commissionalium litterarum, et forma a commissario in iis exequendis tenenda.

§ I.

Formula commissionalium litterarum pro examinando absenti teste.

« *N., Episcopus N., dilecto in Christo filio N., parochiæ N. diœcesis nostræ rectori, salutem et benedictionem. — Cum necessarium nobis sit examinare pro quadam causa, quæ coram Nobis vertitur, dominum N., dignisque de causis animum nostrum moventibus, judicemus non esse opportunum vocari ad nostrum tribunal prædictum dominum N.: idcirco harum serie tibi committimus atque injungimus, ut adhibito in actuarium domino N., notario publico* (vel *quem pro hac causa in notarium publicum vigore præsentium creamus, et cujus more solito præstandum juramentum excipies*), *præfatum dominum N. adeas* (vel *coram te vocare facias*), *et juridice coram dicto notario examines super articulis describendis. Præcipimus autem, sub formali præcepto et in virtute Spiritus Sancti, domino N., ut te tanquam nostrum commissarium delegatum ad excipiendum prædictum examen agnoscat, et in ordine ad hoc in omnibus morem tibi gerat atque obediat. Porro articuli sunt infrascripti :* 1° (et ibi ponantur interrogationes, quas ipse judex ordinarius faceret si præsens foret testis). *Examen autem ut præfertur completum et sigillatum ad Nos mittere curabis. Datum.... — N., Episcopus N. — N., actuarius.* »

§ II.

Forma exequendi commissionem pro examinando teste.

« *In nomine Domini. Amen. — Cum dominus N., parochiæ N. rector, recepisset quasdam litteras ab illustrissimo ac reverendissimo hujus diœceseos Episcopo, quæ incipiunt..., et desinunt..., et quarum tenor est talis, videlicet* (et ibi inseruntur commissionales litteræ) : *idcirco præfatus dominus N., volens ea qua par est promptitudine præmissas litteras exequi, vocare*

fecit me infrascriptum in domum suam, et coram infrascriptis me notarium auctoritate episcopali creatum renuntiavit, per exhibitionem juramenti, quod et præstiti, ad hoc ut legitimus scriba illi in hac causa inservirem. Acta sunt hæc... — Ego N., commissarius delegatus. — Ego N. fui testis. — Ego N. fui testis. — Ego N., actuarius.

« *Consequenter vocatus fuit præfatus dominus N.; et coram me a domino N. commissario delegato interrogatus, super primo articulo, respondit... Super secundo, respondit...*» Postea ponatur clausula *quibus habitis...*, qua solet concludi quodlibet examen testium, et quam habes infra. Et examen sigillatum ad judicem qui commissionales dedit transmittatur.

CAPUT XVI

FORMA PROCEDENDI CONTRA TESTEM, QUI CITATUS COMPARERE RECUSAT.

Prænotanda. — Attendendum est ad modum quo citatus fuit testis : vel enim ei intimata fuit simplex citatio juridica ; vel citatio continens simul *monitorium*, idest, declarationem, qua judex eum monebat se contra ipsum ut contumacem processurum, nisi intra assignatum terminum comparuisset. Et iterum, vel monitorium in citatione expressum, declarabatur tribus æquivalere ; vel non. Si in citatione positum fuit monitorium tribus æquivalens, potest statim judex ad sententiam devenire, et excommunicationem vel suspensionem, aliasve pœnas in contumacem decernere. Si positum in citatione fuit monitorium, sed absque declaratione quod tribus æquivaleret, duobus aliis monitoriis urgendus est testis, vel saltem uno quod duobus æquivalere declaretur. Et tandem si monitorium nequaquam continuit citatio, facienda est trina monitio, vel una quæ tribus æquivalere declaretur. Hic (ne ulla formula necessaria desit) supponemus testi intimatam fuisse simplicem citationem juridicam, vim monitorii non habentem ; et exhi-

bebimus 1° formulam triplicis monitorii; 2° formulam monitorii tribus æquivalentis; 3° formulam censuras ferendi in contumacem testem; 4° formulam absolvendi testem a contumacia reversum; 5° formulam eumdem jam absolutum examinandi; 6° adjungemus formam puniendi testem irreverentem et pertinacem dum examinatur.

§ I.

Formula triplicis præmittendi monitorii antequam sententia in testem ut contumacem feratur.

I. Poterit prima citatio monitorialis hoc modo concinnari : « *Nos N., reverendissimi Episcopi N., Vicarius generalis; cum constet dominum N., ad comparendum tanquam testem coram Nobis personaliter citatum, assignata die non comparuisse, nec per procuratorem absentiam excusasse* (vel, si ita sit, ponatur : *nuntio curiæ nostræ citationem intimanti respondisse*, se nihil cum curia episcopali faciendum habere, nec ad eam perrecturum); *intendentes igitur in talem contumaciam prout de jure procedere, præfatum dominum N., monitorialiter citamus ad comparendum coram Nobis intra decem dies, ab intimatione præsentium ipsi facta, computandos : intra quod tempus, pro primo termino ei assignatum, si (legitima non impediente causa) non paruerit, noverit Nos ulterius contra ipsum ut contumacem processuros. Datum.... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

Poterit autem illa monitorialis citatio executioni demandari et in actis referri hoc modo :

« *Cum, de mandato reverendi N., Vicarii generalis, citatus fuisset dominus N., ad comparendum et testificandum in hac causa, noluit parere, sed dixit nuntio citationem ipsi intimanti, se nihil negotii habere cum præfato Vicario generali. Volens igitur idem reverendus Vicarius generalis in talem contumaciam prout de jure procedere, expedivit, et præfato testi N. per nuntium curiæ N. intimari jussit primam citationem*

monitorialem, tenoris sequentis, videlicet : (et ibi transcribatur). *Igitur prædictus curiæ nuntius N., postquam mandatum explevit, ad me actuarium reversus, retulit a præfato domino N., monitorialiter citato responsum fuisse,* non ibo (vel alia verba ab eo prolata. Si vero nuntius publicus testes adhibuerit, et secum ad actuarium ducat, quod tamen necessarium non est, cum soli nuntio publico fides adhibeatur, addatur) : *de quo et testes fuere N. et N. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno.... — Ego N., episcopalis curiæ nuntius, affirmo ut supra. — Ego N. fui testis. — Ego N. fui testis. — Ego N., actuarius.* »

II. Si ad alteram citationem monitorialem sit deveniendum, scribatur hoc aut simili modo :

« *Nos N., reverendissimi Episcopi N., Vicarius generalis : cum dominus N., citatus ad testificandum in hac episcopali curia, parere renuerit, prout in actis ; cumque propterea primum monitorium ad eum direxerimus, cui pariter obtemperare recusavit, prout etiam in actis : idcirco eumdem dominum N. iterum monitorialiter citamus, ad comparendum coram nobis intra quinque dies, pro secundo termino ei assignatos, et a præsentium intimatione ipsi facta computandos, ut dicat quare non debeat ut contumax puniri. Igitur si* (*legitima non impediente causa*) *intra dictum terminum sese ad nostrum tribunal sistere omiserit, noverit nos ulterius contra ipsum tanquam contumacem processuros. Datum... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

III. Si nec tunc testis resipuerit, ad tertiam seu peremptoriam monitionem procedatur hoc modo :

« *Nos N., reverendissimi Episcopi N., Vicarius generalis : cum dominus N., ad testificandum in quadam causa coram Nobis vertente requisitus, venire omiserit ; et postea semel et iterum monitorialiter citatus pertinaciter obtemperare renuerit, prout in actis : idcirco muneris nostri debito satisfacere volentes, eumdem dominum N., harum serie vim canonici monitorii habentium, citamus ad comparendum coram Nobis in-*

tra septem dies, pro tertio et peremptorio termino ei assignatos, a præsentium intimatione ipsi facta computandos, ut dicat quare... (et reliqua ut in præcedenti formula). »

IV. Poterit autem executioni demandari et in actis referri secunda et tertia monitio in hunc modum :

« *Consequenter iterum et tertio, simulque peremptorie, monitorialiter citatus fuit dominus N.; quorum monitoriorum tenor fuit ut sequitur, videlicet* (et ibi inserantur). *A quibus monitoriis exequendis reversus ad me actuarium Joannes N., curiæ nuntius, retulit præfatum dominum N., respondisse,* inutiliter redis, non ibo. *Acta sunt hæc... — Ego N., episcopalis curiæ cursor, affirmo ut supra. — Ego N., actuarius.*

« *Igitur præfatus Vicarius generalis, ut muneri suo satisfaciat, et tale inobedientiæ delictum debite coerceatur, decrevit prout et decernit contra prædictum dominum N., ut præfertur inobedientem et contumacem, censurarum mucrone procedere, ad hoc ut resipiscat. Quapropter protulit contra ipsum sententiam excommunicationis* (vel) *suspensionis a divinis* (si contumax sit in sacris); *quæ sententia hujus tenoris fuit, videlicet :* (et ibi inseritur formula, quæ habetur infra § 3). *Acta sunt hæc.... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

§ II.

Formula citationis monitorialis, tribus æquivalentis, ad effectum procedendi in testem ut contumacem.

« *Nos...* (ut supra in formula primi monitorii, usque ad verba *intra decem dies*, et sic continuetur) : *intra dies triginta, a præsentium intimatione ipsi facta computandos; quorum decem pro primo, decem pro secundo, et decem pro tertio et peremptorio termino assignamus. Igitur si* (*nulla legitima impediente causa*) *ante dictum peremptorium terminum non comparuerit, noverit Nos contra ipsum, tanquam contumacem, absque ulteriori citatione processuros... Datum... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

Modus autem exequendi et in actis referendi ejusmodi citationem monitorialem, facile aptari poterit ex præcedentibus.

III.

Formula sententiam ferendi contra contumacem testem.

« *Cum dominus N. ad comparendum coram Nobis ter juridice citatus fuerit, nempe die..., mensis..., anni..., et die..., mensis ejusdem anni, et die... mensis... dicti anni* (vel *ad comparendum coram nobis monitorio peremptorio, vim triplicis monitionis habente citatus fuerit die..., mensis..., anni...*) *et ipse mandata nostra contemnendo, contumax post dictas* (vel dictam) *monitiones* (vel monitionem) *fuerit et sit; idcirco ad ipsum compellendum ad debitam Nobis obedientiam præstandam, in his scriptis, contra eum sententiam excommunicationis majoris* (vel suspensionis a divinis, si sit in sacris) *proferimus; qua maneat illaqueatus, donec coram Nobis se sistat, et absolutionis beneficium, parendo nobis, mereatur. Et ut omnibus hæc sententia pateat, eam per affixionem ad loca opportuna publicari mandamus. Datum... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

In actis autem inseretur sententia, ut dictum est supra § 1, et sic addetur :

« *In executionem ergo prædictæ sententiæ, a domino N., Vicario generali pro tribunali sedente, ut moris est, alta et intelligibili voce lectæ, duas ejusdem copias accepit Joannes N., episcopalis curiæ nuntius, de mandato reverendi Vicarii generalis valvis cancellariæ episcopalis* (vel alibi pro stylo uniuscujusque curiæ) *affigendas, quas et retulit ibidem a se fuisse affixas. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., episcopalis curiæ cursor, affirmo ut supra. — Ego N., actuarius.* »

§ IV.

Forma absolvendi testem a contumacia reversum.

« *Comparuit coram reverendo N., reverendissimi Episcopi*

N. Vicario generali, dominus N.; qui, ut præfertur, fuit ob contumaciam excommunicatus (sive suspensus); *et dixit se pœnitere de contumacia sua, in non parendo mandatis et citationibus sibi factis; propterea se paratum esse toties quoties vocatus fuerit in posterum comparere, et reverendo Vicario generali obedire; interimque supplicavit a censura contra se lata absolvi. Igitur præfatus reverendus Vicarius generalis, præmissa opportuna et gravi monitione, et coram testibus infra scriptis ad hoc specialiter vocatis, in forma consueta eum absolvit. Acta sunt hæc... — Ego N., petii et promisi ut supra. — Ego N. fui testis. — Ego N. fui testis. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

§ V.

Forma examinandi testem reversum a pertinacia, vel a censura absolutum.

De reverso a pertinacia, sic scribi potest :

« *Cum dominus N. testis, qui ut supra citationibus parere renuerat, nondum tamen ulla censura perculsus fuerat, ad saniorem mentem rediisset, misit ad reverendum N., Vicarium generalem, veniam petens et obedientiam promittens. Quem idem reverendus Vicarius generalis ad curiam vocavit; ubi dictus testis, oblato sibi juramento, quod tactis Evangeliis* (vel *tacto pectore* si sit presbyter) *præstitit, fuit interrogatus et respondit ut sequitur...* »

De absoluto a censura scribi hoc modo poterit :

« *Cum autem dictum N., a censura ut præfertur absolutum, reverendus N., Vicarius generalis ad curiam vocasset, ei juramentum obtulit, quod et ille solito more præstitit; ac postea interrogatus deposuit ut sequitur...* »

§ VI.

Forma puniendi testem irreverentem et pertinacem, dum examinatur.

« *Vocatus postea fuit dominus N. testis, qui jussus præstare*

juramentum et ad interrogata respondere, nec jurare voluit, nec respondere; sed cum risu et contemptu fecit, etc., sive dixit, etc. (dicatur quid fecerit, sive dixerit). *Quem reverendus Vicarius generalis benigne admonuit; et quia ex benignitate pejor efficiebatur, severe et gravius increpavit. Persistente autem illo in sua pertinacia, juris remediis utendum censuit; ideo ut infra decrevit.*

« *Quoniam dominus N., vocatus in testem, ac jussus juramentum præstare et ad interrogata respondere, palam obedire recusavit, et monitus semel atque iterum ac correptus, a sua pertinacia discedere noluit, ideo præsenti decreto decernimus, ut dictus N. suspensionis censura maneat alligatus donec resipiscat, et mandatis nostris pareat. Datum... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

CAPUT XVII.

FORMA FACIENDI INFORMATIONEM SUMMARIAM, ANTEQUAM CITETUR ET CONSTITUATUR REUS.

Diximus supra (parte 2, sect. 2, subsectione 2, cap. 3), non tantum quid sit informativus processus, et quandonam præmitti debeat, sed duplicem distingui; alterum nempe de fama publica; alterum in ordine ad obtinenda indicia et probationes, ex quibus ad rei citationem deveniri queat. Utriusque informativi processus formulas, hic subjicimus.

§ I.

Forma informativi processus ad probandam juridice publicam de delicto famam.

Satis intelligetur ex formulis, quibus in actis ejusmodi processus describi solet, et quæ possunt esse hujuscemodi.

I.

Formula referendi in acta præviam inquisitionem juridicam de fama publica.

« *Consequenter idem reverendus Vicarius generalis citavit ad comparendum coram se, die* 3 *martii præsentis anni, Jacobum N., et Stanislaum N., testes ex officio assumptos. Et cum dicta die comparuisset Jacobus N., et prius juramentum de dicenda veritate præstitisset, respondit ut sequitur :*

« *Ad generalia :*

« 1. *Interrogatus : quomodo vocetur ? — Respondit...*

« 2. *Interrogatus : cujus ætatis existat ? — Respondit...*

« 3. *Interrogatus : ubinam habitet et a quanto tempore ? — Respondit...*

« 4. *Interrogatus : cujus conditionis vel officii existat ? — Respondit...* (Alias addere poterit judex interrogationes generales, in hunc finem ut pateat an testis alicui exceptioni obnoxius sit, aut etiam omnino rejici debeat.)

« *Ad specialia :*

« 1. *Interrogatus : an clerici oppidi N. bene ac exemplariter vivant, et an de aliquo mala fama vigeat ? — Respondit : de domino Andrea N. viget non satis bona fama.*

« 2. *Interrogatus : qualis fama ? — Respondit : dicitur de eo...*

« 3. *Interrogatus : quis hoc dicat de eo ? — Respondit : est communis loquela in oppido.*

« 4. *Interrogatus : a quibus signanter audiverit ? — Respondit : audivi a Guillelmo Ramirio barbitonsore, a Josepho N. caupone, et a comitissa de Colax in cujus domo habito.*

« 5. *Interrogatus : an sciat vel audiverit hos esse inimicos diffamati ? — Respondit...*

« 6. *Interrogatus : qua occasione vel a quo ortum habuerit hæc mala fama ? — Respondit...*

« 7. *Interrogatus : a quanto tempore dicta fama jam vigeat ? — Respondit...* »

(Finito examine debet actuarius testi perlegere factam suam depositionem, ad hoc ut addere, minuere vel mutare valeat. Et casu quo quid mutetur, id inserit actuarius in actis. Dein perlectam depositionem jubetur testis subscribere. Et cum hæc inquisitio de fama fiat tantum pro informatione curiæ, eidem testi præcipitur silentium circa depositionem ab eo factam in hoc examine. De quo mentio inseri debet in actis hoc aut simili modo :) « *Quibus habitis, et si et in quantum de jure acceptatis, ad mandatum Rev. Vicarii generalis perlegi memorato testi suam depositionem, cui jussus est subscribere, addito formali obedientiæ præcepto servandi secretum de depositis in hoc examine. Acta sunt hæc die..., mense..., anno..., loco... — Ego N., judex. — Ego Jacobus N., testis. — Ego N., actuarius.*

« *Item cum dicta die comparuisset Stanislaus N., alter testis...* (et reliqua sicut pro priori teste).

II.

Formula declarandi constare de fama.

Si judex agnoscat sufficienter constare de fama, id pronuntiet, his, aut similibus verbis : « Judicamus constare de fama, et volumus contra Andream N., tanquam diffamatum, ulterius prout juris procedere. » Atque id actuarius inserat in acta, hac vel simili formula :

« *Consideratis præfatorum testium depositionibus, reverendus N., judex pronuntiavit constare de fama, decrevitque contra Andream N., tanquam diffamatum ulterius prout juris procedere. Acta sunt hæc die... — Ego N., judex. — Ego N., actuarius.* »

III.

Formula declarandi non constare de fama.

Pronuntiet judex, vel famam non esse satis probatam, vel eam ortum habuisse ab inimicis factionariisve aut garrulis, vel utrumque simul ; et addat non esse ulterius procedendum. Actuarius vero id poterit hoc modo scribere :

« *Consideratis depositionibus testium, agnoscens reverendus N. judex, famam ortum habuisse ab inimicis* (vel *a factionariis*, vel *a garrulis*, vel *famam non esse satis probatam*) ; *et ipsum Andream N. apud viros probos et prudentes non esse diffamatum, pronuntiavit legitime non constare de mala fama ; ac propterea ex illa ulterius non esse procedendum. Acta sunt hæc... — N., judex. — N., actuarius.* »

§ II.

Forma testes examinandi pro informatione summaria, quando denuntiatorie, vel accusatorie proceditur.

I. Judex facit decretum de procedendo ad ulteriora, inquirendo de delinquente per examen testium ; jubet nempe scribi in actis hoc aut simili modo :

« *Attenta visitatione corporis delicti de qua supra* (si nulla facta sit, supprimantur ea verba), *necnon libelli accusatorii accusatorisque qualitatibus* (vel *necnon libelli denuntiatorii denuntiatorisque qualitatibus*), *reverendus N., judex, decrevit, prout præsenti decreto decernit, ad ulteriora procedere, inquirendo de delinquente per examen testium, et alia præstando prout de jure. Acta sunt hæc anno..., mense..., die... — N., judex. — N., actuarius.* »

II. Citantur testes, pro quo supra formulam posuimus.

III. Die ad comparendum statuto, interrogantur testes, non simul, sed unus post alium. Modus autem hoc examen faciendi satis patet ex forma illud referendi in actis, quæ potest esse hujusmodi :

« *Igitur testis N., citatus, comparuit, et delatum sibi juramentum de dicenda veritate postquam præstitit, deposuit ut sequitur : ad interrogatoria generalia :*

« 1° *Interrogatus : quomodo vocetur ? Respondit...* (et reliqua ut in præcedenti paragrapho).

« *Ad interrogatoria specialia super articulo 2 libelli :*

« 1° *Interrogatus : an sciat articulum esse verum ? — Respondit : scio articulum esse verum.*

« 2° *Interrogatus : quomodo sciat ? — Respondit : ipsemet pluries vidi dominum Andream N., presbyterum, dictam domum puellarum perditarum ingredientem.*

3° *Interrogatus : quibus horis viderit ? — Respondit : dictam domum ingredi solet circa undecimam noctis horam.*

« 4° *Interrogatus : quasnam vestes tunc gestare soleat dictus Andreas N. ? — Respondit : vestes sæculares talis formæ ; sed de colore quia erat nox non possum omnino affirmare ; sed videbantur quasi nigræ, excepto panno albo quo erat collo circumductus.*

« 5° *Interrogatus : quomodo sub tali vestium mutatione, et noctis tempore, potuerit discernere hominem dictas ædes ingredientem, esse dominum Andream N. ? — Respondit : initio dubitabam ; sed quadam nocte, volui certior fieri, et expectavi donec egrederetur : egredientem autem tantisper a longe secutus sum usque ad ipsius domum. Et alia nocte sic vestito occurrens eum salutavi, et ipse me vicissim : cumque dixissem num morbo quis periculose esset correptus, respondit : utique, ad visendum ægrum pergo ; et mutavi vestem, ne clericalis habitus nebulonum injuriis exponatur.* »

Hac ergo forma poterit judex varia quæsita testi proponere, prout ad detegendam veritatem opportunum judicabit.

Debent autem interrogationes et responsa in actis scribi vernacula testis lingua.

Et ne judex aliquid magni momenti ex oblivione prætermittat, poterit proponendarum interrogationum seriem prius in carta sibi describere, quam interrogando sub oculis habeat.

IV. Clauditur examen uniuscujusque testis in hunc modum :

« *Quibus habitis, et si et in quantum de jure acceptatis, ad mandatum reverendi N., judicis, perlegi testi suam depositionem ; cui cum nec addere, nec demere quidquam voluerit, jussus est subscribere* (si scripturæ foret ignarus, ponatur, *jussus est manu propria signum Crucis apponere*). *Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — N., testis. — N., judex. — N., actuarius.* »

V. Si examen alicujus testis interrumpatur, id notetur in actis in hunc modum :

« *Quoniam ob horæ tarditatem* (seu ob urgens negotium...), *reverendus N., judex, examen præfati testis complete expedire non potuit, decrevit illud ad interim terminare, animo tamen id ipsum opportuno tempore reassumendi et perficiendi. Testis vero prælecto sibi examine, acceptisque si et in quantum ipsius depositionibus, subscribere jussus fuit. Acta sunt... — Ego N., testis. — Ego N., judex. — Ego N., actuarius.* »

Quando postea examen reassumitur, scribat actuarius hoc modo :

« *Volens reverendus N., judex, continuare examen ejusdem testis prius interruptum, revocari illum coram se fecit, et denuo obtulit juramentum de dicenda veritate, quod ille præstitit ; ac ulterius respondit ut sequitur : etc.* »

VI. Casu quo quis ex testibus morbo detentus ad tribunal pergere nequeat; fiat et scribatur juxta hanc formulam :

« *Testis 4, Joannes N. Quia hic testis morbo detentus ad tribunal venire non poterat, reverendus N., judex, me socio, accessit ad illum ; qui præstito juramento, deposuit ut sequitur, etc.* »

§ III.

Forma recognoscendi et comparandi scripturas.

Finito, prout in superiori paragrapho, singulorum testium examine, procedi solet ad recognitionem scripturarum, si quæ haberi potuerint, quæ dicantur a reo manu propria exaratæ, et quæ ipsius delictum probare posse videantur ; quæ recognitio pertinet etiam ad summariam informationem. Potest autem fieri juxta sequentem aut similem formulam ab actuario adhibendam.

« *Auditis præfatis testibus, volens Rev. N., judex, pergere ad recognitionem et comparationem litterarum, quas Andreas N. dicitur ad puellam Bibianam scripsisse, et quæ a teste N.,*

in manibus fisci fuerunt depositæ, curavit e sacristia ecclesiæ N., sibi afferri regestum baptismorum, in quo extant plura acta, manu Andreæ N. certo exarata. Quo habito, curavit insuper diversorum scripturas afferri, ad videndum an testes, qui dicuntur Andreæ N. scripturam optime noscere, eam inter varias alias discernerent. Ad quem finem dictos testes vocare et examinare decrevit. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno...

Vocatus igitur comparuit Gervasius N., et deposito juramento de dicenda veritate, deposuit ut sequitur :

« *Ad generalia :*

« 1° *Interrogatus : quomodo vocetur ? Respondit...* (et reliqua ut supra).

« *Ad specialia :*

« 1° *Interrogatus : an cognoscat Andream N. ? — Respondit : apprime cognosco.*

« 2° *Interrogatus : an habeant vel habuerint familiaritatem et commercium litterarum ad invicem ? — Respondit : antehac bene, sed a duobus annis non amplius.*

« 3° *Interrogatus : an bene cognoscat characterem et manum domini Andreæ N. ? — Respondit : perfecte cognosco.*

« 4° *Interrogatus an inter alias plures scripturas cognosceret manum et characterem Andreæ N. ? — Respondit : inter mille cognoscerem.*

« *Tunc Rev. judex varias scripturas una cum scriptura Andreæ N., posuit ante testem, ita tamen ut nullibi alicujus subscriptio pateret : et dixit ei ut seligeret scripturam Andreæ N. ; qui non multum deliberans extraxit unum folium dicens : hæc est scriptura domini Andreæ N. ; prout etiam erat. Quibus habitis, et si et in quantum acceptatis...* (et ponitur clausula ut in superiori paragrapho numero 4). »

Eodem modo examinatur alter testis. Postea fit *comparatio litterarum ;* quæ in eo consistit ut variæ scripturæ quæ certo sunt scriptæ manu rei, conferantur cum illa scriptura de qua est quæstio. Pro quo deputantur duo expertes viri, qui judicium suum de identitate vel diversitate auctoris harum scriptu-

rarum ferant. Potest autem hæc comparatio institui juxta sequentem formulam :

« *Postea pro majori veritatis certitudine, vocati comparuerunt N. et N., in discernenda scripturarum diversitate satis veriti ; qui depositojuramento de fideliter exequendo officio et veritate dicenda, jussi sunt a Rev. N., judice, ut scripturas quas de manu Andræ N. esse certo jam constabat, cum litteris, quæ prætenduntur ab ipso ad puellam Bibianam scriptæ, accurate, diligenter et exacte conferant atque examinent, suumque postea judicium manifestent, num ab una eademque, vel diversa manu sint exaratæ. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni.... — N., judex. — N., actuarius.*

« *Consequenter præfati duo expertes, scripturas sibi consignatas, et sequens desuper judicium suum in scriptis præsentarunt : incipit...* (et ibi ponantur primæ voces) *et desinit...* (et ibi ultimæ) ; *et est tenoris sequentis* (et ibi transcribatur judicium illud peritorum). *Quod judicium cum ad mandatum judicis eisdem denuo prælegissem, confirmarunt. Acta sunt hæc die..., mense..., anno...*, et subscribant duo periti hoc modo : *Ego N. affirmo ut supra. — Ego N. confirmo ut supra. — Ego N., actuarius.* »

Nota 1°. — Non est semper necessarium ut fiat ejusmodi recognitio litterarum per testes, et comparatio per peritos ; sed dumtaxat quando subit rationabilis suspicio, ne litteræ sint fictæ. Alias enim sufficiunt ejusmodi litteræ ad dandam semiplenam probationem, ac proinde ad citandum et constituendum reum.

Nota 2°. — Hic dicendum esset *de carceratione rei custodiæ causa*, quando est suspectus de fuga, vel ne testes subornet vel vexet. Sed de facto hodie in multis regionibus id judex ecclesiasticus exequi non potest, quia gubernia sæcularia et modernæ eorum leges non patiuntur curiam episcopalem habere, sicut olim, proprium carcerem et *manum armatam*, id est, nonnullos viros qui jubente judice ecclesiastico et pro causis ecclesiasticis potestatem habeant arrestandi et incarcerandi. Qua qui-

dem agendi ratione, jus Ecclesiæ læditur, cum ipsa sit regnum per se stans et completum, atque a sæculari republica distinctum ; unde et habere debet etiam externe omnia media ad propriam gubernationem opportuna. Sed hoc jus suum præpediri facile Ecclesia patitur, ne ob præjudicia, multæ animæ ab ipsa alienentur et pereant. Nec timere debent sæculares principes Ecclesiæ tentamina, ad recuperandum forum ejusmodi cum manu armata. Ecclesia enim ejusmodi mediis non utitur, nisi quando ipsi principes sæculares et eorum populi intelligunt esse id sibi proficuum, atque ultronee expostulant. Quod forsan denuo tandem intelligent, tot edocti societatum civilium commotionibus et ruinis, quæ jurium Ecclesiæ invasionem veluti sponte consequuntur.

In paucis autem regionibus, in quibus potestatem reos incarcerandi, dum eorum processus instruitur, servavit Ecclesia, hæc attendi debent : si reus suspectus sit de fuga, vel ne testes impediat aut subornet, potest judex, etiam antequam eum citet, decernere ut sub custodia teneatur. Imo si crimen sit atrox, id facere potest etiam ante initium processus informativi, ex habita nempe sufficienti informatione extra-judicialiter. Debet autem in hujusmodi decreto causam incarcerationis exprimere. Formulam vero talis decreti prætermittimus, utpote quæ ex praxi curiarum satis nota sit in iis paucis regionibus quæ illa utuntur ; pro cæteris vero sit inutilis.

CAPUT XVIII.

FORMA COMPOSITIONIS POSTULANDÆ ET CONCEDENDÆ.

« Cum Episcopi habeant in propria diœcesi merum ac « mixtum imperium, ac ad instar principum possint gratiam « facere de delictis, saltem de consuetudine ; et non solum ante « sententiam, sed etiam post latam sententiam ; non ambigi- « tur quod valide et licite valeant reos ad compositionem ad-

« mittere... Est tamen verum quod est unum de reservatis « Episcopo; adeo ut Vicarius generalis sola sua potestate or- « dinaria, non potest reos ad compositionem admittere, sed « exigitur specialis delegatio. » (Monacelli, parte 2, tit. 15, formula 3, n. 8.)

Consistit compositio in eo quod Episcopus silentium imponat fisco, et ultra procedi prohibeat, modo reus solvat certam pecuniæ summam, in pauperum levamen, vel alios pios usus erogandam. Solet autem in curiis episcopalibus aliquis publice deputari ad recipiendas et asservandas (donec arbitrio Episcopi erogentur) ejusmodi pecunias ex compositionibus provenientes; qui officialis vocatur *depositarius pœnarum*.

Fieri nequit compositio, nisi reo postulante et consentiente. Atque insuper, si quis per delictum læsus sit, necessarius etiam est partis læsæ consensus : alioquin compositio foret nulla et judex graviter peccaret... « Nisi tamen (ait Monacelli, loco « citato, n. 5) obstinate recusaret dare consensum ; » quod intellige modo simul ipsi offeratur justa damni illati reparatio.

« Advertere debent Episcopi, quod compositio non admittitur ante completum processum informativum, ac datis defensionibus; et quod, eo completo, tunc admittitur compositio, si delictum non est plene et concludenter probatum, et reus ex actis non potest in pœnam ordinariam condemnari. Item non est admittenda in criminibus gravibus, quibus pœna de jure taxata reperitur, vel merentur depositionem, vel manifesta sunt, aut in quibus Episcopus de jure dispensare non potest. Item quod non est admittenda neque acceptanda, etiamsi sponte a reo offeratur, quoties ex processu non appareat quid substantiale criminis, et non adsint saltem indicia et præsumptiones, quæ accusatum notabiliter, aut fama vexet : si enim Episcopus vel alius judex ordinarius sine causa de delicto componeret, graviter peccaret. » (Monacelli, parte 2, tit. 15, formula 5, n. 10.)

Putarem ego, attentis præsertim nostrorum temporum cir-

cumstantiis, noxiam regulariter fore ejusmodi pecuniariæ compositionis praxim : tum quia, ut dicitur capite *Pauper* 11, q. 1, nullam reus pertimescit culpam quam redimere nummis existimat, tum quia non parvum apud multos facile scandalum gignit, quod resciant posse a divitibus mediante pecunia rigorem justitiæ declinari : cujus scandali ego alicubi testis fui : præsertim cum difficile vulgus sibi persuadeat eas pecunias in pios usus fideliter erogari, et in commodum curialium Episcopi, ex parte saltem, non cedere. Sed quantumvis hæ rationes suadere videantur, ut hodie judex ecclesiasticus ejusmodi pecuniarias compositiones rejiciat, et ut potius, si velit gratiam reo facere, illamgratis omnino faciat, nihilominus certum est per se et de jure communi licitam et validam in certis casibu esse pecuniariam compositionem ; atque ideo illam exequendi modum prætermittere non debuimus.

I.

Formula qua reus uti potest ad postulandam compositionem.

« *Ego N., reperiens me processatum in curia episcopali N., pro crimine asserto...* (et ibi explicetur prætensum crimen), *licet innocens et immunis sim a tali delicto, et si forte in aliquo erravi* (*quod non credo et admitto*), *ignorans cum simplicitate et sine dolo feci : nihilominus considerans, quod statui meo non convenit lites fovere et habere cum fisco : ideo ut ab expensis et vexationibus redimam, et ad omnem meliorem finem et effectum, suppliciter exoro illustrissimum et reverendissimum dominum Episcopum N., ut velit supradicto processui finem, et fisco silentium imponere, sponte et totaliter me submittens ad pœnam et pœnitentiam quam dignabitur mihi imponere et assignare, illamque pro gratia profiteor me recepturum. Ita supplico et insto. — Ego N.* »

Eam formulam tradit Monacelli (parte 2, tit. 15, formula 3) ; sed pace clarissimi viri dixerim, minus probanda videtur. Cum enim compositionem ii soli postulare soleant, qui sese

culpabiles bene norunt, et timent ne eorum delictum ex judiciali processu omnino pateat, et ad rigorem justitiæ plectatur, quomodo in formula exhibita ponitur falsa hæc assertio, *licet innocens sim a tali delicto?* Nec dicatur necessariam esse clausulam hanc, ne aloquin pro confessis de jure habendi sint: nam ut pro confessis haberi nequeant, sufficit eos protestari in hunc modum: *per præsentem scripturam nullatenus intendo prætensi criminis confessionem facere*, quæ assertio nullum involvit mendacium. Potius ergo sic concinnari poterit ejusmodi formula:

« *Ego N., reperiens me processatum in curia episcopali N., pro quodam prætenso crimine* (vel quibusdam...), *nempe* (et ibi crimen indicetur), *lites cum fisco habere refugiens, nullatenus tamen prætensi criminis me culpabilem* (*quod absit*) *profitens, oro illustrissimum et reverendissimum Episcopum, ut velit supradicto processui finem et fisco silentium imponere; me submittens ad pœnam pœnitentiamve sibi benevisam, si forte quam mihi injungendam existimaret. Ita supplico et insto. — Ego N.* »

Si Episcopus compositionem acceptet, poterit ad calcem ipsiusmet libelli ita rescribere: *fiat de actis, et citetur pars.* Quod rescriptum ad executionem deducet Vicarius generalis, citando partem læsam, seu interesse habentem ut fiat processus criminalis; et si hæc assentiat, faciet Episcopus decretum compositionis in hunc, verbi gratia, modum:

II.

Formula decreti compositionis.

« *Attentis remissione partis, necnon qualitate delicti et delinquentis, ac aliis justis de causis animum nostrum digne moventibus, supra dictum N. inquisitum pro... et causa, de quibus in processu, ad compositionem quam curiæ et fisco sponte obtulit, et ad quam admitti postulavit, admittimus; et solutis per eum in manibus depositarii pœnarum nostræ curiæ scutis...*

ipsum absolvimus et toliter liberamus ; fisco silentium imponimus, et mandamus, omni, etc. — N., Episcopus N. — N., cancellarius. »

Reus autem debet decretum acceptare et subscribere, quod sic facere poterit :

« *Ego N., libere accepto supradictum decretum compositionis.* Et cancellarius addet : *Die..., mensis..., anno..., acceptatum et publicatum fuit supradictum decretum compositionis, præsentibus N. et N., testibus. — Ego N., testis. — Ego N., testis. — Ego N., cancellarius.* »

CAPUT XIX.

FORMA CONSTITUENDI REUM.

Absoluto informatorio processu, vel exurgit saltem semiplena probatio, vel non : si prius constituendus est reus ; quod fieri potest juxta hanc formulam ab actuario adhibendam :

« *Cum ex actitatis hactenus, ad minimum semi-plena habeatur probatio, de delicto (*vel delictis) *domino Andreæ N. objecto, nempe quod* (et ibi delictum vel delicta exprimantur) ; *cumque sic ex informatione summaria emerserint a jure requisita ut dictus Andreas N. possit reus constitui, et constitutus legitime examinari ; decrevit reverendus N., judex, præfatum Andream N., reum constituere et examinare, aliaque prout de jure prosequi. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — N., judex. — N., actuarius.* »

Si vero ex processu informationis non emerserit saltem semiplena probatio, fit decretum de non ulterius procedendo, in hunc aut similem modum :

« *Cum ex informatorio processu jam absoluto ne semi-plena quidem emerserit probatio de prætenso delicto a domino Andrea N. perpetrato, nempe quod* (et ibi exprimatur delictum), *cumque hoc ipso desint a jure requisita ut dictus Andreas N. legitime possit reus constitui et examinari, decrevit reverendus N.,*

judex, non esse contra eum ulterius procedendum. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — N., judex. — N., actuarius. »

CAPUT XX.

FORMA CITANDI REUM.

Lato decreto quo quis constituatur reus, remanet ut citetur.

Citatio autem duplex distinguitur : *realis*, quæ fit reum arrestando et coacte ad tribunal ducendo, et *verbalis*, quæ fit perferendo ad reum notitiam de mandato comparendi.

Citatio realis, præterquam quod hodie in plerisque regionibus a superioribus ecclesiasticis nequit ad executionem deduci, fieri non debet nisi reus de fuga suspectus sit.

Citatio autem verbalis debet fieri *personaliter*, idest ipsimet personæ rei intimari, nisi id sit impossibile aut notabiliter difficile, ut quando reus se occultat, vel fugam arripuit, vel nescitur ubi sit.

Casu quo reus sese abscondat, quominus personaliter citari possit, satis est ut citatio intimetur in domo solitæ ipsius habitationis alicui vel aliquibus in domo hac degentibus ; modo tamen nuntius curiæ episcopalis ad judicem retulerit intimari non posse ipsi reo citationem personalem, et mandatum acceperit illam altero modo faciendi. Et potest citatio personalis fieri in alieno territorio, si ibi degat reus.

Si vero reus fugerit, vel ignoretur ubi sit, citandus est *per edictum*, vel *per præconem*. Si per edictum citetur, affigendum erit edictum illud in aliquo loco publico, verbi gratia, valvis Ecclesiæ, vel alibi juxta stylum, idest, consuetudinem uniuscujusque episcopalis curiæ. Si fiat citatio per præconem, debet præco mandatum comparendi alta voce legere in aliquo loco, ubi adstet populus. Potest autem in præconem deputari unus ex nuntiis episcopalis curiæ (qui gallice vocantur *huissiers*).

Porro quocumque modo fiat citatio, debet ter fieri, interjectis convenientibus intervallis ; vel, si malit judex, potest

ea intervalla in unum jungere et unicam citationem facere; sed tunc debet exprimere terminum assignatum ad comparendum *esse peremptorium*. Est autem communis doctorum sententia, debere regulariter reo concedi circiter triginta dies ante peremptorium terminum.

Præterea in citatione debent sequentia exprimi: 1° nomen citati; 2° nomen accusatoris si per viam accusationis procedatur; 3° causa super qua citatur; 4° nomen judicis citantis; 5° locus in quo jubetur comparere; 6° si per triplicem citationem procedatur, debet in prima assignari terminus congruus, qui reputatur esse decem dierum, et item in duobus aliis: et expedit ut in prima exprimatur quod sit prima, in secunda quod sit secunda, in tertia quod sit tertia, et quod terminus in ea assignatus sit peremptorius: si vero per unicam procedatur, exprimi debet, ut diximus, terminum assignatum esse peremptorium.

Remanet ut formulas subjiciamus.

§ I.

Forma citandi rei, quando proceditur accusationis via.

« *Nos N., reverendi Episcopi N., Vicarius generalis : cum a domino Joanne Zelata nobis præsentatus fuerit accusatorius libellus contra dominum Andream N., presbyterum, quo is accusatur de pluribus delictis, videlicet, 1° quod..., 2° quod..., etc. : cumque præfatus dominus Joannes Zelata sese obtulerit ad probanda judicialiter enumerata delicta, sub pœnis contra calumniatores a jure statutis : ut debito nostro reddendæ justitiæ satisfaciamus, decrevimus citare, prout harum serie citamus dominum Andream N. ad personaliter comparendum coram nobis in episcopali curia infra spatium triginta dierum, ab intimatione præsentium ipsi facta computandorum; quorum decem pro primo, decem pro secundo, et decem pro tertio et peremptorio termino assignamus, hac unica pro trina canonica*

monitione valitura. Igitur si (legitima non impediente causa) dictus dominus Joannes Andreas infra assignatum peremptorium terminum comparere neglexerit, noverit nos contra ipsum tanquam contumacem, nulla alia ulteriori citatione præmissa, prout de jure processuros. Datum in cancellaria episcopali, die..., mensis..., anno... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius. »

§ II.

Forma citandi rei quando proceditur denuntiationis via.

« *Nos N., reverendi Episcopi N., Vicarius generalis : cum a reverendo domino N., curiæ episcopalis promotore fiscali* (vel *a domino Joanne N.* si alius quam promotor denuntiationem fecerit), *nobis porrectus fuerit denuntiatorius libellus contra dominum Andream N., presbyterum, quo is asseritur plurium delictorum auctor, videlicet, 1° quod... 2° quod..., etc. ; in quo libello denominantur plures ad probandos singulos articulos testes, videlicet, super 1° et 5° domini N. et N. ; super 2° et 3° N. et N., etc. : cumque ex prævia curiæ informatione, a nobis habita prout in actis, sufficientia emerserint contra præfatum dominum Andream N. ut possit et debeat reus constitui : ulterius volentes officio nostro satisfacere, eumdem Andream N. decrevimus citare, prout harum serie citamus ad...* (et reliqua ut in præcedenti formula). »

§ III.

Forma citandi rei quando proceditur ex mero officio, seu inquisitionis specialis via, ob publicam de delictis famam.

« *Nos N., reverendissimi Episcopi N., Vicarius generalis : cum pluries ad aures nostras rumor pervenerit de patratis a domino Andrea N., presbytero nonnullis delictis, videlicet 1° quod..., 2° quod..., etc. : cumque ex prævia curiæ informa-*

tione a nobis habita, prout in actis, sufficientia emerserint, ut pronuntiare deberemus, prout et pronuntiavimus, constare de fama publica contra præfatum Andream N., eamque famam non ab inimicis et malevolis, sed a gravibus personis ortam : idcirco ut satis officio nostro faciamus, decrevimus eumdem dominum Andream N. citare, prout harum serie citamus, ad... (et reliqua ut supra § 1). »

§ IV.

Forma citandi rei, quando proceditur ex mero officio, ob gravia delicti indicia, in inquisitione generali, vel in alio processu, judicialiter habita.

« *Nos N., reverendissimi Episcopi N., Vicarius generalis : cum in processu...* (et ibi designetur ille processus) *apud curiam episcopalem pendente* (vel *nuper habito ;* vel *in ultima inquisitione generali a reverendissimo Episcopo N. judicialiter facta*) *emerserint probationes* (vel *gravia indicia*) *de nonnullis delictis a domino Andrea N. presbytero patratis, prout in actis dicti processus* (vel *dictæ generalis inquisitionis*) ; *nempe* 1° *quod...*, 2° *quod, etc. : idcirco ut muneri nostro satisfaciamus, et ne delicta impunita remaneant, citare decrevimus præfatum dominum Andream N., prout harum serie citamus, ad comparendum coram Nobis in atrio Episcopii, in quo ventilari solent causæ ecclesiasticæ, ut ibi ad præscripta sacrorum canonum de memoratis delictis examinetur : pro quo ei statuimus spatium triginta dierum, ab...* (et reliqua ut supra § 1). »

§ V.

Forma citandi reum per edictum.

Adhiberi potest, pro varia procedendi via, una ex præmissis formulis usque ad voces ; *idcirco ut muneri nostro satisfaciamus*, quorum loco sic ponatur :

« *Quoniam vero ex relatione Joannis N., curiæ episcopalis cursoris, in actis inserta, constat facilem non dari accessum, sive ad personam prædicti Andreæ N., sive ad domum solitæ ipsius habitationis* (et ibi addi possunt rationes cur facilis non sit accessus) : *idcirco eumdem Andream N., per præsens edictum, valvis episcopalis curiæ affigendum* (vel alibi pro stylo curiæ), *citamus; monendo ut coram nobis, in palatio ubi curia episcopalis regi solet, personaliter compareat, intra spatium novem dierum...* (et reliqua ut supra § 1). »

Poterit etiam adhiberi sequens formula, quæ eadem remanere potest, sive inquisitionis specialis, sive denuntiationis, sive accusationis via procedatur.

« *Die..., mensis..., anni..., Nos N., Vicarius generalis Episcopi N., una cum nostro assessore* (si assessorem habeat, alioquin hæc verba omittantur), *tenore præsentium præcipimus, citamus et expresse mandamus; ut infra peremptorium terminum dierum triginta, a die præsenti computandorum; dominus Andreas N., qui dicitur alicujus delicti* (vel nonnullorum delictorum) *auctor, nempe* (et ibi exprimantur delicta), *in consueto tribunalis nostri loco compareat, ad informandam curiam, ad videndum juramenta testium, publicationem actorum faciendam, et ultimo loco ad audiendam sententiam; sub pœnâ confessati delicti, et aliis a jure statutis pœnis. — N., judex. — N., assessor. — N., actuarius.* »

Et jubeatur aliquis curiæ episcopalis nuntius vel cursor illud edictum in aliquo loco publico affigere.

§ VI.

Forma citandi per præconem.

« *Ad instantiam fisci episcopalis diœcesis X., mandatur peremptorie domino N., ut infra dies* 30 *comparere debeat in loco solito residentiæ ipsius episcopalis curiæ, ad ipsam informandam super delictis ab ipso, ut ponitur, perpetratis nempe* (et

ibi exprimantur delicta); *insuper ad videnda juramenta testium, actorum publicationem et ultimo loco ad audiendam sententiam; sub pœna etiam confessati delicti, pœnisque aliàs debitis. Datum..... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

Hanc formulam legat præco in loco publico ubi adstent populus, vel membra communitatis, quæ merito existimentur notitiam ad reum perlatura. Verbi gratia, si reus sit clericus, sufficeret formulam legi in coadunatione pro diœcesana synodo, vel in capitulo si sit canonicus, etc. Potest in præconem deputari unus ex nuntiis publicis episcopalis curiæ.

CAPUT XXI.

FORMA CITANDI REUM, IN ALIENA DIŒCESI EXISTENTEM, PER REMISSORIALES LITTERAS.

Quod dictum est supra, capite 14, quoad citandum testem in aliena diœcesi existentem, posse nempe fieri citationem hanc in aliena diœcesi, quia citatio verbalis non est jurisdictionis actus, locum etiam habet quando agitur de citando extra diœcesim reo. Nihilominus expedit in tali casu ad ordinarium loci, in quo reus est, recurrere.

§ I.

Quomodo expediendæ remissoriales ejusmodi litteræ.

Procedi poterit et in actis scribi in hunc aut similem modum :

« *Consequenter, cum rescivisset reverendus N., Vicarius generalis, præfatum Andream N., in diœcesi vicina N. versari, ut tutius citatio ad eum perveniret, decrevit litteras remissoriales dare ad reverendum N., Vicarium generalem et ordinarium in dicta diœcesi judicem. Quæ litteræ expeditæ fuerunt,*

et sunt tenoris sequentis videlicet : reverende et colendissime domine. — Cum Te ordinarium in diœcesi N., judicem existere dignoscatur, et in hac diœcesi versari resciverimus dominum Andream N., presbyterum, jurisdictioni reverendissimi Episcopi nostri subjectum, quem mei officii est tanquam reum citare pro causa criminali contra eum mota, et apud curiam nostram pendente ; idcirco visum est auxilium tuum requirere, quatenus infra scribendam citationem, procures dicto domino Andreæ N., per unum curiæ vestræ episcopalis publicum nuntium, personaliter vel in domo solitæ ipsius habitationis intimari, et de ejusdem citationis executione juridicam relationem ad me transmitti. Est autem intimanda citatio quæ sequitur : (et hic, prout proceditur via accusationis, vel denuntiationis, vel ex mero officio, ponatur una ex formulis in quatuor primis superioribus paragraphis descriptis). *Interim tuo me famulatui offerens, rogo ut te Deus servet incolumem. Datum... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

§ II.

Forma tenenda a judice alienæ diœcesis, in exequendis, quas accepit, remissorialibus.

Ab actuario hujus diœcesis scribatur in hunc modum :

In nomine Domini. Amen. — Cum reverendus N., reverendissimi Episcopi nostri N. Vicarius generalis, recepisset a reverendo N., in diœcesi N., Vicario generali et ordinario judice, quasdam litteras remissoriales, quæ incipiunt..., et desinunt..., et sunt tenoris sequentis, videlicet (et ibi inserantur illæ litteræ) : *ideo præfatus reverendus N., Vicarius generalis, decrevit prout de jure eas executioni demandare. Quapropter vocato Joanne N., curiæ nostræ episcopalis publico nuntio, ei præmissam citationem consignavit, et jussit ut eamdem domino Andreæ N., personaliter vel domi solitæ habitationis intimaret. Qui dictus nuntius ad me actuarium reversus, retulit, se præfato Andreæ N., personaliter, prout in mandato, cita-*

tionem intimasse, copia relicta. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., episcopalis curiæ nuntius, affirmo ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. » Ille autem processus sigillatur, et mittitur ad judicem qui remissoriales dedit.

§ III.

Forma referendi in actis, quando judex alienæ diœcesis relationem de executione litterarum remissorialium transmisit.

« *Fuerunt autem præmissæ litteræ remissoriales executioni demandatæ ; de quo et relationem juridicam recepit reverendus N., Vicarius generalis, quæ est tenoris sequentis videlicet :* » (et ibi inseratur documentum præcedentis paragraphi).

CAPUT XXII.

FORMA PROCEDENDI, SI REUS NON COMPARET, SED MITTIT PROCURATOREM, QUI IPSIUS ABSENTIAM EXCUSET.

« Etsi in causis criminalibus ad defensionem Rei absentis admittendus non sit procurator (ut in lege *Accusatorem*, ff. *de Public. judic.*), est tamen admittendus ad excusandam ejus absentiam. » (Megalius, *Praxis crim.*, cap. 15, n. 36.)

Vel reus sese per procuratorem excusat ante elapsum peremptorium terminum, judicem monens de futura sua absentia ob aliquod impedimentum, et prorogationem termini postulans : vel post elapsum peremptorium terminum.

In priori casu, judex, attentis impedimentis a reo propositis, si ea rationabilia existimet, debet prorogationem postulatam concedere : secus, faciat decretum de ulterius procedendo. Et satis erit ut præcipiente judice actuarius scribat in hunc modum :

« *Cum autem dictus Andreas N., per procuratorem a rev.*

N., judice, prorogationem termini peremptorii postulaverit, ob nonnulla impedimenta quibus prohibebatur quominus intra dictum terminum compareret, præfato rev. judici rationabilis visa est excusatio; unde et transtulit peremptorium terminum ad diem... — Vel, *præfato rev. N. judici rationabilis visa non est excusatio; unde et decrevit, ea non attenta, ulterius esse procedendum. Acta sunt hæc die...* — *N., judex.* — *N., actuarius.* »

In posteriori casu, id est, quando reus jam elapso peremptorio termino excusationes per procuratorem mittit, videbit pariter judex utrum rationabiles sint, an non. Potest enim dari casus quo reus legitime impeditus fuerit, quominus etiam procuratorem mitteret, verbi gratia, si fuisset ita æger, ut ne valuerit quidem procuratorem eligere. Si ergo judex excusationes legitimas existimet, id declarabit, ut reus pœnis contumacium non subjaceat; et sic poterit in actis describi :

« *Cum autem dictus Andreas N., elapso peremptorio termino non comparuisset, ut pœnas contumacium devitaret, procuratorem misit, qui causas absentiæ judici proponeret. Quas ille reputavit legitimas, et consequenter præfatum Andream N. contumacem non fuisse declarans, ei alium terminum peremptorium, diem nempe..., ad comparendum assignavit.* »

Si vero excusationes frivolæ judici videantur, scribatur circiter in hunc modum :

« *Cum autem...* (ut in præcedenti)... *Quas ille reputavit frivolas, et consequenter dictum Andream N., in contumaciam incidisse declaravit, et decrevit in eum prout juris procedere. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni...* — *N., judex.* — *N., actuarius.* »

CAPUT XXIII.

FORMA PROCEDENDI CONTRA CONTUMACEM REUM.

Quando reus, citatus peremptorie per monitorium, nec ipse

comparuit, nec per procuratorem suum absentiam excusavit infra peremptorium terminum, quatuor remanent facienda : 1° accusanda est ejus contumacia ; 2° eadem contumacia a judice declaranda est ; 3° citandus est reus ad audiendam sententiam definitivam ; 4° pronuntianda est dicta definitiva sententia.

§ I.

Forma accusandi contumaciam rei.

De jure communi non requiritur ut pluries accusetur rei contumacia ; sed unica sufficit ejusmodi accusatio. Unde sequendus in ea re uniuscujusque episcopalis curiæ stylus. Supponendo autem consuetudinem esse ut ter contumacia accusetur, poterit hæc formalitas expleri in hunc modum : primo silicet die juridico (idest non feriato), post elapsum peremptorium terminum reo concessum, is a judice vocetur ; et nemine comparente accusator (si procedatur accusationis via), vel promotor fiscalis (si procedatur via denuntiationis, vel specialis inquisitionis), dicat coram judice pro tribunali sedente : *Accuso primam contumaciam contra dominum Andream N., citatum, relatum et non comparentem.* Actuarius vero scribat in hunc modum... *Die... mensis... anno... Cum vocatus fuisset e scamno reorum Andreas N., et nec ipse nec alius ipsius nomine respondisset, accusator* (vel *promotor fiscalis*), *primam contumaciam accusavit contra eumdem, citatum, relatum et non comparentem. In fidem, N., actuarius.* Post spatium aliquot dierum, juxta stylum curiæ, simili modo accusetur *secunda* contumacia ; et tandem *tertia et ultima.*

§ II.

Forma declarandi contumaciam rei.

Satis erit scribi in actis in hunc modum :

« *Consequenter reverendus N., Vicarius generalis, declaravit præfatum Andream N. incidisse in contumaciam, et contra eum tanquam contumacem procedere decrevit. Quapropter eumdem citari ad audiendam sententiam definitivam ordinavit. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

§ III.

Forma citandi reum contumacem ad audiendam sententiam definitivam.

« *Itaque de mandato reverendi N., Vicarii generalis, Joanni N., episcopalis curiæ nuntio publico, fuit consignatus libellus citationis, quem jussus est, præfato Andreæ N. personaliter, vel in domo solitæ ipsius habitationis intimare* (vel, si reus fugerit, *valvis ecclesiæ N.*, aut alibi pro stylo curiæ, *affigere*) ; *qui libellus est tenoris sequentis : Harum serie citatur peremptorie dominus Andreas N., jam peremptorie citatus, relatus, et, quia non comparuit, contumax declaratus ; ad comparendum coram nobis infra tres dies, ab intimatione* (vel *a publicatione* si per modum edicti fiat citatio) *præsentium computandos ; ad audiendam sententiam definitivam. Datum... — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.*

« *Reversus autem ad me dictus nuntius Joannes N., retulit se die..., præsentis mensis, hora..., præfato Andreæ N., memoratam citationem personaliter prout in mandato, intimasse, copia eidem relicta. Acta sunt hæc die... mensis..., anni..., — Ego N., episcopalis curiæ cursor, affirmo ut supra. — Ego N., actuarius.* »

§ IV.

Formula sententiæ definitivæ contra reum contumacem.

« *Igitur elapsis tribus diebus, pro peremptorio termino in præfata citatione assignatis, reverendus N., Vicarius genera-*

lis, pro tribunali sedens, alta voce legit sententiam definitivam, quæ est hujusmodi :

« *Visis et consideratis diligenter omnibus et singulis indiciis et probationibus coram nobis factis, in processu fabricato contra dominum Andream N., presbyterum, diffamatum* (seu *denuntiatum,* seu *accusatum*) *de crimine* (seu *criminibus*) *de quo* (seu *de quibus*) *in actis : attento insuper quod dictus Andreas N., a Nobis debita forma peremptorie citatus non comparuerit, et sic in contumaciam inciderit : Deum solum præ oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, declaramus et sententiamus dominum Andream N., presbyterum, esse reum* (talis aut talium delictorum, et ibi hæc delicta exprimantur) : *de quibus delictis fuit sufficienter indiciatus in actis, et quæ ob ejus contumaciam censenda sunt ab ipso confessa. Quapropter delictis pœnas commensurantes, contra præfatum Andream N. pronuntiamus pœnam suspensionis a divinis, nec non depositionis ab officiis et beneficiis quibuslibet, et tandem majoris excommunicationis. Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata fuit die..., mensis..., anno... — Pronuntiavimus ut supra. — N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

CAPUT XXIV.

FORMA TENENDA QUANDO REUS EXCEPIT CONTRA JUDICEM TANQUAM SUSPECTUM.

Jam supra capite 5 dedimus formulam libelli exceptorii, quem excipiens debet judici porrigere ; et capite 11 indicavimus qua forma arbitri, in hoc casu constituendi, processum incipere valeant. Remanet hic exhibendum, quomodo ab iisdem arbitris ejusmodi processus sit continuandus et terminandus.

§ I.

Forma ab arbitris tenenda ab initiato processu usque ad sententiam exclusive.

1. Debent procedere ad examen testium, et documentorum, quæ excipiens in suo libello indicavit, ad probandum de facto inimicitiam existere ipsum inter et judicem recusatum. Quod fieri et in actis referri potest in hunc modum : « *Consequenter decreverunt domini arbitri ad examen testium, a recusante productorum, devenire : quapropter vocatus dominus N. testis interrogatus est, et respondit ut sequitur ; ad generalia : interrogatus quomodo vocatur..., etc.* » (et fit illud examen testium, et postea comparatio scripturarum, sicut in aliis ordinariis processibus).

2. Debent postea arbitri judicem recusatum monere, ut si quid opponendum habeat allegationibus recusantis, et testimoniis productis, illud proponat. Quod fieri poterit, et scribi in actis, hoc modo :

« *Postea dicti domini arbitri, æquum esse censentes audire etiam reverendum dominum N., judicem recusatum, ut si quid haberet opponendum probationibus, a præfato domino N. recusante productis, illud proponere posset, mandaverunt mihi actuario, ut acta coram memoratis arbitris hucusque gesta ad memoratum reverendum N., Vicarium generalem, deferrem, et ea lustrandi copiam illi facerem. Quo mandato per me expleto, idem reverendus Vicarius generalis, visis et accurate perlectis actis, gratias egit. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., actuarius.* »

3. Si judex, perlectis actis, dixerit se nihil opponendum habere, post voces *gratias egit*, addat actuarius, *et dixit nihil sibi occurrere opponendum contra recusantem*. Sin autem rationes contrarias velit proponere, illas accito actuario scriptas tradat arbitris præsentandas. Quod fieri poterit juxta hanc formulam :

« *Anno..., mense..., die..., reverendus N., Vicarius generalis, me infrascriptum vocare fecit, et mihi consignavit scriptu-*

ram, in qua continentur oppositiones, quas ipse facit contra adducta a domino N. recusante; et mihi jussit ut dominis arbitris præsentarem. Quod cum perfecissem, prædicti domini arbitri mandarunt mihi, ut eam inter acta insererem; quod præstiti, signando eam numero...; et incipit... et desinit... In quorum fidem, ego N. actuarius. »

4. Si judex recusatus in prædicta scriptura testes aliave documenta produxerit, horum examen fiat ab arbitris, sicut fieri solet in judiciis ordinariis; atque illud etiam examen in actis ponatur. Quo peracto remanebit dumtaxat ferenda sententia.

§ II.

Formula sententiæ arbitrorum.

« *In nomine Individuæ Sanctissimæ Trinitatis. — Nos N. et N., arbitri juris electi, et respective a partibus destinati ad sententiandum in causa recusationis in judicem, factæ a domino N., prætenso reo, de persona reverendi N., Vicarii generalis: examinatis testibus et probationibus hinc inde productis, et auditis partibus, pro et contra informantibus, pleneque discussis causæ meritis; Deum solum, omnis justitiæ fontem, præ oculis habentes, dicimus nullo modo, nec plene nec semiplene, constare de causa assertæ recusationis, puta quod, etc.* (et hic exprimatur causa vel causæ adductæ pro fundamento legitimæ recusationis). *Proinde sententiamus prædictam recusationem nullius esse valoris, et per eam nullo modo impediri auctoritatem ordinariam reverendi N., Vicarii generalis et judicis ordinarii, quominus causam contra prædictum dominum N. inceptam* (*sive incipiendam*) *prosequatur. Ita pronuntiavimus hac die..., mensis..., anno... — Ego N., arbiter. — Ego N., arbiter. — Ego N., actuarius.* »

Si autem causa recusationis fuerit probata saltem semiplene, dicatur :

« *In nomine, etc.* (ut supra usque ad verba *dicimus*). *Dicimus sufficienter constare de causa assertæ recusationis, puta, etc.*

Proinde sententiamus prædictam recusationem, utpote legitimam in jure, et in facto, sustineri ; dicimusque prædictum reverendum N., Vicarium generalem, judicem ordinarium, debere abstinere a prosecutione (sive ab inceptione) *causæ contra dominum N. recusantem motæ ; et teneri eam ad superiores rejicere, sive alium judicem non suspectum, de consensu ejusdem domini recusantis, ad causam memoratam delegare. Ita pronuntiavimus.... etc.* »

CAPUT XXV.

FORMA TENENDA, QUANDO REUS EXCEPIT CONTRA ACCUSATOREM, VEL CONTRA ALIQUEM TESTEM.

Jam supra capite 5 exhibuimus formulam libelli, quem excipiens debet judici porrigere ; et capite 9 indicavimus normam incipiendi et in actis describendi ejusmodi processus exceptivi. Remanet ut hic tradamus quomodo idem processus exceptivus continuandus sit et concludendus.

§ I.

Forma continuandi processus exceptivi.

Ultima verba formulæ capite 9 indicatæ erant hæc : *Reverendus autem Vicarius generalis dixit, se libellum acceptare si et in quantum, et prout de jure processurum. Acta sunt hæc...* Prosequatur actuarius his verbis, quibus simul patefit quid fieri debeat :

« *Consequenter idem reverendus Vicarius generalis citavit supradictum dominum N., qui præfatum libellum exceptorium contra dominum N. præsentavit, et jussit ut argumenta produceret, quibus intentum probaret, ut in libello se obtulit. Qui dominus N. præsentavit illi copiam sententiæ latæ die, etc., a judice, etc., contra dictum dominum N. accusatorem* (vel *testem*) *repulsum ; ex qua apparet ipsum condemnatum fuisse tanquam*

perjurum; quæ incipit... et desinit... : (sive) *dixit talem sententiam asservari in tabulariis cancellariæ episcopalis, et institit sibi copiam fieri, ut judici ostenderet* : (sive) *dixit dictum dominum N., alias fuisse ab eo repulsum tanquam inimicum, et tanquam talem post legitimas probationes fuisse repulsum a judice N., in processu facto anno..., super delicto..., ut est notorium et publicum* : (sive) *assignavit in testes dominos N. et N., ad probandam inimicitiam inter dictum dominum N. et se excipientem. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

§ II.

Forma terminandi processus exceptivi contra accusatorem vel testem.

Postquam judex pro sua prudentia perpenderit probationes ab excipiente productas, si causam exceptionis legitimam et sufficienter probatam reperiat, decernet rejiciendum esse accusatorem vel testem, contra quem fuit exceptio proposita, Pro quo exequendo satis erit scribi in actis in hunc modum :

« *Quibus habitis et perpensis, judicavit reverendus N., Vicarius generalis, causas exceptionis a domino N. reo, contra dominum N. accusatorem suum* (vel *contra dominos N. et N. testes*), *esse legitimas et sufficienter probatas : quapropter decrevit, prout præsenti decreto decernit, præfatum dominum N. accusatorem, ab accusando esse repellendum* (vel *præfatos N. et N. in testes non esse admittendos*). *Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

Si e contra existimet judex causas exceptionis non esse legitimas, vel non esse sufficienter ab excipiente probatas, scribatur decretum hoc modo :

« *Quibus habitis et diligenter perpensis, judicavit reverendus N., Vicarius generalis, causas exceptionis a domino N. reo, contra dominum N. accusatorem* (vel *contra N. et N. tes-*

tes) *propositas*, *non esse legitimas* (vel *non esse sufficienter probatas*) : *quapropter decrevit*, *prout præsenti decreto decernit*, *nulla habita ratione talis exceptionis*, *ad ulteriora procedere*, *et præfatum dominum N. ad accusandum admittere* (vel *et dictos testes in præsenti causa examinare*). *Acta sunt hæc...* — *N.*, *Vicarius generalis.* — *N.*, *actuarius.* »

CAPUT XXVI.

FORMA EXAMINANDI REI.

Examen Rei vocatur etiam a practicis *constitutum*, ob vocem *constitutus*, quæ prima occurrere solet in formula, ab actuario adhibita, dum examen illud refert in actis. Et notandum in criminali processu nihil aliud requiri quam prædictum examen, ad inducendam *contestationem litis*. Hoc ipso scilicet quod reus a judice examinatus delictum non confitetur, jam lis contestata est.

Nulla certa formula tradi potest ad examinandum reum ; sed prudentiæ judicis relinquitur ut apta interrogationum serie confessionem criminis a reo obtineat ; vel saltem nova indicia, quæ ex contradictionibus et tergiversationibus in respondendo oriri solent. Exempli tamen gratia, aliquem casum figurabimus, pro quo et aliquam examinis formam breviter subnectemus.

Supponamus reum comparentem esse Andream N., presbyterum : denuntiatorem Joannem Zelatam : testes Ratramnum, Bertrannum et Bertham : crimen, quod Andreas N. solitus sit perditarum puellarum domum noctu frequentare. Ad examen procedi poterit in hunc modum :

« *Constitutus personaliter præfatus dominus Andreas N. presbyter*, *coram reverendo N.*, *Vicario generali*, *in atrio episcopii expediendis judiciis ecclesiasticis destinato*, *delatum sibi de veritate dicenda juramentum*, *more sacerdotali* (*tacto sci-*

licet pectore) *præstitit* (1). *Ac dein interrogatus fuit et respondit ut sequitur :*

« *Ad generalia :*

« 1. *Interrogatus : an ipse sit Andreas N. presbyter, in parochia N. vicarii munus explens ? Respondit : is ipse sum.*

« 2. *Interrogatus : a quanto tempore sacris ordinibus initiatus fuerit ? Respondit...*

« 3. *Interrogatus : in quo seminario studuerit, an e diœcesi oriundus sit, an et quomodo clero diœceseos adscriptus fuerit ? Respondit...*

« 4. *An dum in seminario versaretur, dilata ipsi fuerit ordinatio ob aliquem in moribus defectum ? Respondit...*

« 5. *An presbyter factus, ad curiam episcopalem fuerit aliquando vocatus, et de aliquo reprehensus ? Respondit : cum essem parochus in pago N., nonnullæ malevolæ mulierculæ vitæ meæ integritatem in suspicionem vocarunt. Reverendissimus autem Episcopus me accersivit et monuit, ut non tantum a malo, sed etiam a specie mali sedulo declinarem, ac me a dicta parochia rurali revocans, vicarium in civitatis parochia N. me constituit.* »

Ejusmodi interrogationes generales pro opportunitate congerere judex ecclesiasticus poterit.

« *Ad specialia :*

« 1. *Interrogatus : an vestes sæculares domi habeat, et iis utatur ? Respondit : ultimæ revolutionis tempore, cum nec tutum nec conveniens esset noctu, quando ad ægros vel moribundos vocamur, habitu clericali incedere, vestes sæculares mihi comparavi ; et iis quandoque propter dictam rationem utor.*

« 2. *An die decima mensis præteriti invisendum noctu habuerit moribundum aliquem ? Respondit : recordor mihi circa hoc tempus invisendum fuisse ægrum quemdam.*

« 3. *Interrogatus de nomine et domo hujus ægri ? Respondit :*

(1) Ejusmodi juramentum etsi a jure præscriptum, in desuetudinem abiit ; ita ut hodie non sit exigendum.

est dominus N., hac hebdomada defunctus, et commorabatur via N., numero N.

« *Interrogatus : an vocatus fuisset ab aliquo de familia vel domo ægri? Respondit, a nullo se fuisse vocatum, sed cum esset huic ægro a confessionibus, et sciret eum se male habere, sponte ivisse, ne forte absque sacramentis decederet.*

« 5. *Interrogatus : qua hora iverit ? Respondit : circa mediam noctem.*

« 6. *Interrogatus cur tam insolita hora voluerit invisere ægrum, cujus morbum in pejus mutatum fuisse nullus ei retulerat ? Respondit : sibi orationi vacanti in mentem venisse, hoc fore Deo placitum.*

« 7. *Interrogatus : quinam de domo ægri eum receperint, et testari possent ipsum dicta hora ægrum adiisse ? Respondit : ivi quidem ad domum, et tintinnabulum pulsavi : sed cum diutius aperire morarentur, abii, nec domum ingressus sum.*

« 8. *Interrogatus : cur postquam tanto zelo media nocte dictum ægrum invisere voluerat, plures dies postea prætermiserit, quin inviseret? Respondit : ita sum comparatus, ut in hujusmodi non necessariis internam inspirationem sequar ; et invisendi cogitatio mentem meam non pulsavit.*

« 9. *Interrogatus : an recordaretur hac ipsa dicta nocte cum aliquo in via se fuisse collocutum? Respondit : obviam mihi venit Ratramnus barbitonsor, et petiit num æger aliquis extrema ageret, cum me tali hora pergentem videret. Et dixi me revera ab invisendo ægro reverti.*

« 10. *Interrogatus : quomodo dixerit se ab invisendo ægro reverti, cum revera nullum invisisset ? Repondit : responsi mei sensus erat, me ad invisendum ægrum exiisse, quod plane verum erat.*

« 11. *Interrogatus : an vocatus noctu aliquando fuerit ad invisendum aliquem ægrum in via N., numero N. ? Respondit : nunquam.*

« 12. *Interrogatus : an sciat quinam sint hujus domus incolæ, et an eam aliquoties ingressus sit ? Respondit : audivi ibi esse*

perditarum puellarum repagulum, et nunquam sum ingressus. »

Ejusmodi opportunas interrogationes quando judex expleverit, claudatur examen hoc modo :

« *Quibus habitis, et si et in quantum acceptatis, de mandato reverendi Vicarii generalis prædictas interrogationes et responsiones dicto domino Andreæ N. perlegi : et cum interrogatus fuisset, an vellet quidquam mutare vel addere, et respondisset, nihil sibi occurrere addendum aut mutandum, quia veritatem dixerat* (vel *respondit : ad interrogationem numeri N., se ulterius respondere...* et ibi ponatur mutatio vel additio) *jussus est subscribere. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni...* — *Ego Andreas N. depono ut supra.* — *Ego N., Vicarius generalis.* — *Ego N., actuarius.* »

Si examen rei uno tractu perfici nequeat, de interruptione mentio fiat in actis in hunc modum :

« *Tunc reverendus N., Vicarius generalis, tarditate horæ præventus* (vel *gravibus negotiis impeditus*) *examen continuandum remisit ad crastinum diem, hora... Quare de mandato ejusdem reverendi Vicarii generalis partem depositionis jam factam a dicto Andrea N. reo ipsi perlegi ; cui et subscribere jussus est. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni...* — *Ego Andreas N. deposui ut supra.* — *Ego N., Vicarius generalis.* — *Ego N., actuarius.* »

Forma autem reassumendi interruptum examen rei hæc esse poterit :

« *Die..., mensis..., anno..., in atrio solito episcopii, ventilandis causis ecclesiasticis destinato, reverendus N., Vicarius generalis, volens continuare examen rei, prius interruptum ut supra, vocari illum coram se fecit ; et denuo obtulit juramentum de dicenda veritate ; quod cum ille præstitisset, ulterius interrogatus fuit, et respondit ut sequitur :* 13. *Interrogatus : an, etc.* »

CAPUT XXVII.

FORMA FACIENDORUM CAPITULORUM ET PUBLICANDI PROCESSUS.

Absoluto rei examine, judex assignat promotori fiscali terminum, ad exhibenda capitula, simulque citat reum ad illa audienda eisque respondendum. Et statuto die leguntur reo hæc capitula et de unoquoque interrogat eum judex, an fateatur, an vero neget ; et ejus responsa in actis describuntur. Et postea fit publicatio processus.

Poterit autem id omne peragi juxta sequentem formulam :

« *Absoluto, ut supra, rei examine, reverendus N., Vicarius generalis, assignavit domino N., promotori fiscali, pro termino exhibendorum capitulorum, diem sabbati proximum : atque dominum N. reum citavit ad comparendum hoc ipso dicto die, hora nona, ad audienda fisci capitula, et dandas responsiones. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.*

« *Comparente in curia episcopali domino N. reo, jussit reverendus N., Vicarius generalis, eidem reo legi capitula pro parte fisci exhibita, quæ sunt tenoris sequentis, videlicet :* Fiscus ponit, et quatenus negatur, probare intendit 1..., 2..., etc. *Interrogatus autem a Judice reus successive quoad singula, omnia negavit* (vel *negavit omnia præter* 5 *et* 7).

« *Quibus habitis rei responsis, decrevit reverendus N., Vicarius generalis, processum huc usque habitum publicare. Consequenter, de ipsius mandato, lecta sunt alta voce acta omnia ; quo peracto decrevit idem reverendus Vicarius generalis processum pro publicato esse habendum. Acta sunt hæc die..., mensis..., etc.* »

Nota. — Sustinent multi canonistæ processus publicationem esse de substantialibus ordinarii judicii, ac proinde ad valorem omnino requiri. Alii putant necessarium esse tantum ut concedatur reo copia actuum. Certum est multis in casibus

longum fore actus omnes legere; et aliunde hoc videtur satis inutile, cum reo eorumdem actuum copia tradatur. Unde mihi videtur potius supprimenda publica hæc actuum lectio.

CAPUT XXVIII.

FORMA CONCEDENDI REO DEFENSIONEM, COPIAM ACTUUM, ET PATRONUM.

« *Volens insuper præfatus Vicarius generalis domino Andreæ N. reo omnia ad ipsius defensionem necessaria, prout de jure, concedere, terminum octo* (vel alius ponatur opportunus terminus) *dierum ad producendas suas defensiones præsenti decreto assignat : item concedit, ut idem reus patronum* (id est advocatum) *quem maluerit sibi eligere valeat : item ut possit ipsi et ipsius patrono copia fieri actuum publicati processus, absque nomine tamen testium : item, si dictus reus expresse declaraverit, se testes, pro informatione curiæ examinatos, habere pro legitime citatis, admissis et examinatis* (quæ tamen declaratio non tollet ipsi jus excipiendi et repetitionem testium exigendi), *ut nomina etiam testium ipsi et ipsius patrono pandantur. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

Nota 1. — Est in potestate judicis concedere vel negare, ut nomina testium, pro informatione curiæ examinatorum, reo communicentur. Debet id negare quando est periculum subornationis vel vexationis quoad aliquem testem : alias debet concedere. Non concedat autem nisi sub conditione quam in formula posuimus. Nec existimet quis denegationem esse injustam, cum libertas defensionis exigat ut reus possit contra testes excipere, quod tamen facere nequit nisi eorum nomina ipsi nota sint. Nam satis est ut possit excipere quando iterabitur examen testium; potest autem hanc iterationem exigere; et tunc nomina testium cognoscet, et poterit contra eos excipere. Quod vero usque ad hanc testium repetitionem eorum

nomina secreta remaneant (ne forte reus, sciens talem depositionem a tali factam fuisse, eum minis aut pecunia inducat ad mutanda sua dicta in secundo examine), id reo non nocet, cum totus informativus processus, ante contestationem litis habitus, nihil valeat ad condemnandum reum, etiamsi mille testes omni exceptione majores delictum affirment.

Nota 2. — Etiamsi reus crimen confessus fuerit; debet ei terminus defensionis assignari; quia si, non oblata ei sese defendendi facultate, ex tali confessione condemnaretur, posset multis ex capitibus a sententia appellare et judicii rescissionem obtinere.

CAPUT XXIX.

FORMA RENUNTIANDI DEFENSIONIBUS, COPIÆ ACTORUM, ET FACULTATI ELIGENDI PATRONUM.

« *Anno..., mense.., die..., loco..., comparuit dominus N. reus, coram reverendo N., Vicario generali, et dixit, quod gratias agebat illi de oblatione copiæ actorum, termini defensorii, et patroni, in causa contra ipsum actitata; se autem illis omnibus sponte et libere renuntiare, et se remittere justitiæ et integritati judicis. — Ego N. recuso ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XXX.

FORMA ACCEPTANDI TERMINUM DEFENSORIUM, COPIAMQUE ACTORUM ET PATRONUM ELIGENDI.

« *Anno..., mense..., die..., loco..., comparuit coram reverendo N., Vicario generali, dominus N. reus, qui acceptatis termino defensionis et copia actorum et patrono, sibi prout de iure oblatis, in patronum suum nominavit dominum N., cujus nominationem præfatus reverendus Vicarius generalis ap-*

probavit, et eumdem dominum N., in patronum præfato N. reo indulsit. In quorum fidem. — Ego N. acceptavi et nominavi ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. »

CAPUT XXXI.

FORMA PETENDI ET CONCEDENDI PROCURATOREM, QUANDO REUS VULT SESE IPSE DEFENDERE, ET ACCEPTAT SOLUMMODO TERMINUM DEFENSIONIS ET COPIAM ACTORUM, NON AUTEM PATRONUM.

« *Die..., mensis..., anni..., coram reverendo N., Vicario generali, comparuit dominus N., reus qui supra, et dixit se acceptare terminum defensionis et copiam actorum; patrono autem se non egere, eo quod vellet sibi ipsi defensiones fabricare; proinde petere dumtaxat, ut sibi concedatur procurator, qui nomine suo compareat et alia præstet, juxta exigentiam causæ, quæ ipse reus præstare nequiverit : et in procuratorem suum nominavit dominum N., quem reverendus Vicarius generalis concessit præmemorato reo in procuratorem. In fidem. — Ego N. acceptavi, petii et obtinui ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XXXII.

FORMA PETENDI COPIAM ACTORUM, EAMQUE CONSIGNANDI ET AUTHENTICANDI.

§ I.

Forma petendi.

« *Die..., mensis..., anno..., coram reverendo N., Vicario generali, comparet dominus N., patronus* (seu procurator) *rei prætensi, et petit sibi cum effectu dari integram copiam actorum,*

appositis etiam suo loco nominibus testium, cum intendat contra eorum personas excipere, protestando, etc.; salva semper reverendo N. judici debita reverentia; et sic instat omni meliori modo. — Ego N., patronus (sive procurator), *peto et insto ut supra.*

« *Qua petitione præsentata, mandavit præfatus reverendus Vicarius generalis copiam actuum dicto patrono consignari; etiam cum nomine testium, facta prius a reo declaratione, quod testes haberet pro legitime citatis, receptis et examinatis. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno.... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

§ II.

Forma consignandi copiam actorum.

« *Quapropter consignata per me actuarium fuit præfato domino N., patrono* (sive procuratori) *memorati domini N., copia actorum, de verbo ad verbum collationata et authenticata; qui eam recepit, sibi reservato jure petendi prorogationem termini defensorii, testium repetitionem juxta articulos interrogatorios per se dandos, et fabricationem novi processus defensivi; testesque per curiam examinatos pro repetitis et legitime receptis habuit: de quibus et singulis expresse est protestatus. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni.... — Ego N., patronus, affirmo vera esse quæ supra. — Ego N., actuarius.* »

§ III.

Forma authenticandi copiam actorum.

Ponat actuarius ad calcem copiæ hoc modo:

« *Suprascripta copia fuit de verbo ad verbum per me infrascriptum cum suo originali penes me existenti collationata, et plene in omnibus concordat. In quorum fidem. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XXXIII.

FORMA PETENDI PROROGATIONEM TERMINI DEFENSORII, EAMQUE CONCEDENDI VEL DENEGANDI, NECNON A DENEGATIONE APPELLANDI.

« *Coram reverendo N., Vicario generali, comparet dominus N., patronus domini N. rei, et petit prorogari terminum octo dierum, suo principali concessum, quem nimis brevem esse, ob nonnullas ab eo productas rationes, contendit. Quæ petitio eidem reverendo Vicario generali rationabilis visa est; quapropter, ea si et in quantum acceptata, præcepit prorogari terminum ad alios octo dies, computandos immediate a tempore octo dierum prius assignatorum expirato. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni.... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

Si judex prorogationem deneget, scribi poterit in hunc modum :

« *Coram...* (et reliqua ut supra usque ad vocem *contendit*). *Præfatus vero reverendus Vicarius generalis, perpendens causas adductas non esse legitimas, et petitionem fieri tantum ad protelandum judicium, postulatam prorogationem denegavit; et protestatus est quod si in tempore assignato defensiones non præstabuntur, nulla habita ratione illarum, ad ulteriora procedetur. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno.... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

Si reus vel ejus patronus prorogationem postulans, velit a denegatione appellare (nam appellare potest), poterit hæc forma adhiberi :

« *Ad quæ prædictus comparens replicavit, causas a se adductas esse legitimas, et nullo modo inventas ad judicium protelandum; proinde appellavit ad quos de jure a prædicta sententia et decreto; et protestatus est de nullitate actorum, si*

ad ulteriora procedetur, petens apostolos instanter et instantissime. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., patronus, protestor et appello ut supra — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. »

Si judex maluerit tunc prorogationem concedere, scribi poterit in hunc modum :

« *Videns autem reverendus N. Vicarius generalis perseverantiam dicti comparentis in appellando, et considerans quod, quamvis appellatio ipsius sit frivola et causæ superius adductæ non legitimæ, magis tamen protelaretur judicium in iisdem discutiendis, quam in concedendo petitum novum terminum ; prudenter recedendo a decreto denegationis jam facto, indulsit alium terminum octo dierum, ab expirato priori termino computandorum. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XXXIV.

FORMA PETENDI REPETITIONEM TESTIUM ET PROPONENDI ARTICULOS INTERROGATORIOS.

« *Anno..., mense..., die..., in atrio episcopii causis judicandis destinato, comparuit coram reverendo N., Vicario generali, dominus N., patronus* (seu procurator) *domini N. rei ; et nomine sui principalis petiit fieri repetitionem testium* (omnium vel talium et talium), *cum interrogatoriis articulis quos, hic et nunc producebat ; et simul præsentavit chartam interrogatoriam quæ incipit... et desinit... ; quam reverendus Vicarius generalis si et in quantum acceptavit ; quamque ex ejusdem reverendi Vicarii generalis mandato inter acta reposui, signatam numero... In quorum fidem. — Ego N., patronus. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XXXV.

QUA FORMA REUS, VEL EJUS PATRONUS, POSSIT ARTICULOS INTERROGATORIOS DESCRIBERE, ET JUDEX EOS CORRIGERE.

Tradi nequit certa formula articulos interrogatorios describendi; siquidem eruendi sunt ex ipsis testium depositionibus jam factis. Id pro regula sibi præfigat reus seu patronus, ut eas dumtaxat interrogationes proponat, quæ ad sui defensionem utiles fore sperari potest. Judex autem, qui interrogatorios ejusmodi articulos corrigendi jus habet, eos solummodo delere debet, qui inutiles et ad rem non facientes, aut infamatorii forent. Poterit autem et scriptio et correctio fieri juxta hunc modum:

§ I.

Forma scribendi interrogatorios articulos.

« *Interrogatoria quæ reverendo N., Vicario generali, exhibet dominus N., rei prætensi N. patronus; super quibus examinari postulat testes omnes* (vel *testes N. et N.*): 1° *testis dominus N. interrogetur: a quo loco viderit dominum N., reum prætensum, delictum committentem: qua de causa in hoc loco dictus testis tum repertus fuerit: quo in loco fuerit ante et post.* 2° *Testis dominus N. interrogetur:...* (et sic ponantur cætera opportuna interrogatoria). *Quæ interrogatoria ego infrascriptus reverendo N. judici præsento, et fieri postulo. — Ego N., patronus.* »

§ II.

Forma corrigendi articulos interrogatorios.

« *Consideratis et bene ponderatis per reverendum N. Vica-*

rium generalem articulis interrogatoriis, censuit corrigendum esse articulum primum (sive secundum, etc., et exprimatur numerus articuli), *quia superfluus est ; pariter tertium, quia nullo modo pertinet ad causam ; itidemque quartum, quia est pure infamatorius. Proinde super prædictis non intendit repetere testes ; sed eos repetere super cæteris decrevit. Acta sunt hæc, etc. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XXXVI.

FORMA CITANDI REUM EJUSQUE PATRONUM AD VIDENDUM JURAMENTA TESTIUM PRO EORUMDEM REPETITIONE.

« *Consequenter reverendus N. Vicarius generalis decrevit citare dominum N. reum, et dominum N. ejus patronum* (vel procuratorem), *ad videndum juramenta testium repetendorum. Quapropter vocato Joanne N., episcopalis curiæ nuntio publico, ei consignavit libellum citationis, prædictis reo et patrono personaliter, vel in domo solitæ habitationis intimandum : qui libellus est tenoris sequentis : de mandato reverendi N. Vicarii generalis citantur dominus N. reus, et dominus N. ejus patronus, ad comparendum coram eodem reverendo Vicario generali, in atrio judiciis ecclesiasticis expediendis destinato, die..., hora... ; ad effectum videndi testium juramenta, et eorum repetitionem cum articulis interrogatoriis. Et hanc citationem mandat idem Vicarius generalis intimari personaliter, vel in domo habitationis solitæ. Datum in cancellaria episcopali, die..., mensis..., anno... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. Quod mandatum postquam explevit dictus Joannes N. cursor, ad me actuarium reversus retulit, se præmissam citationem personaliter intimasse, copia relicta, prout in mandatis. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego Joannes N., episcopalis curiæ cursor, affirmo ut supra. — Ego N., actuarius.* »

Nota. — Citantur pariter testes ; pro quo formula facile ex præmissis concinnari poterit : unde illam prætermittimus.

CAPUT XXXVII.

FORMA FACIENDÆ REPETITIONIS TESTIUM, CUM ARTICULIS INTERROGATORIIS, NECNON CONCEDENDI COPIAM EJUSMODI REPETITIONIS.

« *Anno..., mense..., die..., comparentibus coram reverendo N., Vicario generali, domino N., reo, necnon domino N., ejus patrono; itemque testibus jam in causa præfati N. rei examinatis: vocatus fuit dominus N., unus ex dictis testibus, qui præstito juramento solito de veritate dicenda, primum examinatus fuit super articulis interrogatoriis a domino N., rei patrono, propositis nempe:*

1° *Interrogatus...? Respondit...* 2° *etc...* (et ibi ponantur omnes interrogationes, quas patronus rei postulavit huic testi proponi, cum ejusdem testis ad singula responsis).

Postea eidem testi iterum proposita sunt interrogatoria, quibus jam in primo examine responderat; quibus respondit ut sequitur; videlicet:

1° *Interrogatus...? Respondit...* 2° *etc... Quibus habitis, de mandato reverendi Vicarii generalis, dicto testi suam depositionem legi; et cum interrogatus fuisset, num huic depositioni vellet quidquam mutare vel addere, et respondisset nihil sibi occurrere addendum vel mutandum, jussus est subscribere. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., testis, deposui ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.*

Postea vocatus fuit dominus N., alter testis, cui pariter delatum fuit de veritate dicenda juramentum, quod tactis evangeliis (vel tacto pectore si presbyter sit) *præstitit* (et sic examinentur omnes testes, *primo* super interrogatoriis articulis, pro parte rei propositis, et *secundo* repetendo interrogationes in primo examine jam factas, et concludendo uniuscujusque examen cum formula *Quibus habitis, etc.,* supra posita).

Copia autem ejusmodi examinis concedi hoc modo poterit :

« *Anno..., mense..., die..., cum completa fuisset testium repetitio, decrevit reverendus Vicarius generalis, ut copia ipsius, prout de jure, traderetur parti. In fidem. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.*

In præfati decreti executionem eadem die vocatus fuit dominus N., patronus domini N., rei, et illi consignata copia authentica prædictæ repetitionis; qui ea recepta gratias egit. In quorum fidem. — Ego N., actuarius. »

CAPUT XXXVIII.

FORMA FABRICANDI ET PRÆSENTANDI ARTICULOS DEFENSORIOS AD PROCESSUM DEFENSIVUM.

« *Comparet coram reverendo N. Vicario generali dominus N., rei prætensi patronus, et præsentat infrascriptos articulos defensorios ad favorem sui principalis, et instat, et petit, quod super iis integraliter, et nullo excepto, examinentur omnes testes, quos opportuno tempore producet, protestando et appellando, etc., cum debita tamen veneratione et reverentia. Porro articuli sunt :*

« 1° *Quod delictum de quo agitur fuit commissum a domino N.; et non a domino N., suo principali.*

« 2° *Quod dominus N., reus prætensus, mense..., die..., et hora..., erat in loco N., distanter a loco in quo commissum fuit delictum; et permansit ibi ab hora... usque ad horam...*

« 3° *Quod dominus N., qui testificatur de visu contra suum principalem, die et hora, in qua accidit delictum, erat in loco N., distanter a loco delicti.*

« 4° *Quod dominus N., testis contra principalem, est excommunicatus, perjurus, infamis, inimicus, etc.*

« 5° *Quod dominus N. testis est factionis contrariæ suo principali; et post examen die... et loco N., dixit se in examine bene accommodasse dominum N., suum principalem.*

« 6° *Quod dominus N., accusator sui principalis, est ebriosus et mendax, etc.*

« *Testes vero opportunos successive unum post alium præsentabit, ad probandos supradictos articulos, quos justa de causa, modo non proponit; sed ad citationem reverendi N., Vicarii generalis, ipsos nominabit. — Ego N., patronus. — Præsentati fuerunt suprascripti articuli et acceptati ab reverendo N., Vicario generali, si et in quantum, et salvo jure illos moderandi; et ad mandatum ejusdem inter acta recepti. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni, etc. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XXXIX.

FORMA TENENDA IN PROCESSU DEFENSIVO.

« *Anno..., mense..., die..., vocatus fuit dominus N., patronus domini N., rei qui supra, coram reverendo N., Vicario generali, et fuit ei dictum, ut produceret testes et alia documenta, per quæ probet articulos defensivos ab ipso propositos. Et prædictus dominus patronus produxit primo dominum N., presbyterum, super articulis* 1, 3 *et* 7 *examinandum.*

« *Incontinenti ergo vocatus fuit præfatus dominus N., presbyter; eique delatum est juramentum de veritate dicenda; quod tacto pectore, more sacerdotali, præstitit; et postea interrogatus fuit et respondit ut sequitur :*

« 1° *Interrogatus super primo articulo defensivo, nempe..., respondit...*

« *Interrogatus super tertio articulo, nempe...* (et sic quoad alios articulos. Quo peracto, ponatur solita clausula *quibus habitis...* qua terminari solet quodlibet examen testis).

« *Immediate post, præfatus dominus patronus produxit in testem dominum N., examinandum super secundo et quarto articulo defensivo,* » etc., ut pro præcedenti teste; et sic procedatur quoad omnes articulos defensivos.

CAPUT XL.

FORMA APPELLANDI A JUDICE TANQUAM SUSPECTO, QUANDO IN PROCESSU DEFENSIVO ÆGRE TULIT TESTES DEPONERE IN FAVOREM REI.

Coram reverendo N., Vicario generali, comparet dominus N., patronus domini N., prætensi rei; et præmissa protestatione honoris et reverentiæ, quæ eidem reverendo Vicario generali debetur, nomine clientis sui dicit, personam ejusdem reverendi Vicarii generalis esse sibi suspectam, ex eo quod malum animum prodidit contra dominum N., prætensum reum, ægre ferens quod testes examinati ad ejus defensam, in ipsius favorem deponerent (vel *impediens ne testes, qui in ipsius favorem dicere cœperant, prosequerentur, neve actuarius eorum dicta scriberet*). *Proinde ab eodem reverendo Vicario generali, super prædicto gravamine jam recepto, appellat ad quem et quos de jure: et cumulando appellationem cum recusatione, ex prædicta causa illum tanquam judicem sibi suspectum recusat; et rogat et vult et instat, ut nullo modo se amplius immisceat in causa, quæ contra præfatum prætensum reum actitatur: et protestatur de nullitate, si, non obstante præsenti recusatione et appellatione, ad ulteriora processerit; nunc pro tunc appellans, et petens apostolos instanter et instantissime. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., patronus, appello et recuso ut supra. — Ego N., actuarius.* »

Ejusmodi appellatio in actis reponenda est; et judex debet a prosecutione causæ abstinere, et apostolos concedere.

« *Consequenter reverendus N. Vicarius generalis jussit modo scriptam appellationem in actis reponi, quam et inseruimus ut supra; et decretum tulit in hunc modum: Quamvis supra dicta appellatio, a domino N., domini N. rei patrono, facta, prorsus frivola sit atque insubsistens, ob reverentiam tamen superioris et superiorum, ad quem et quos appellatur, illi*

detulimus si et in quantum, et apostolos esse concedendos decernimus. Datum in cancellaria episcopali, die..., mensis..., anno... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. »

Nota. — Si judex in repetitione testium aut in processu defensivo aliquem testem omisit interrogare, vel responsum suggessit, vel in favorem rei non exacte examinavit, aliave hujusmodi gravamina intulit, potest patronus rei per libellum petere ut defectibus suppleatur; et, si judex renuat, appellare et petere apostolos. Pro quo formulæ facile ex præmissis, mutatis mutandis, concinnari poterunt.

CAPUT XLI.

FORMA PRÆSENTANDI RESPONSIONES PRO PARTE ACCUSATORIS VEL FISCI, CONTRA DEFENSIONES REI.

« *Anno..., mense..., die..., præsentatæ fuerunt per dominum N.* (accusatorem, vel accusatoris patronum, si procedatur via accusationis : si vero procedatur via denuntiationis aut ex mero officio ponatur, per dominum N., promotorem fiscalem, vel advocatum fiscalem) *responsiones defensionibus productis pro domino N. reo, prout in actis : quæ responsiones incipiunt..., et desinunt... et sunt tenoris sequentis, videlicet :* (et ibi describantur). *Supra scriptæ autem responsiones, de mandato reverendi N., Vicarii generalis, communicatæ fuerunt domino N., patrono dicti rei. In quorum fidem. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT XLII.

FORMA PRÆSENTANDI REPLICATIONES PRO PARTE REI, CONTRA RESPONSIONES ACCUSATORIS VEL FISCI.

« *Anno..., mense..., die..., præsentatæ fuerunt a domino N., patrono rei qui supra, replicationes contra adducta pro*

parte fisci (vel accusatoris, si per viam accusationis procedatur) : *quæ replicationes incipiunt... et desinunt... et sunt tenoris sequentis :* (et ibi scribantur). *In quorum fidem. — Ego N., actuarius.* »

Nota. — De jure communi possunt a judice admitti responsiones ad replicationem seu triplicationes, et quadruplicationes, et sic deinceps. At de stylo uniuscujusque curiæ, aut etiam vi constitutionis diœcesanæ, solet numerus responsionum hujusmodi determinari ; nec expedit ut ad quintuplicationem pergatur, ob nimiæ protelationis periculum. Id autem semper observandum est, ut ultimo loco audiatur reus, vel ejus patronus.

CAPUT XLIII.

FORMA PRÆSENTANDI NOVA DOCUMENTA, SIVE CONTRA REUM, SIVE PRO EJUS DEFENSIONE.

In processus decursu contingere potest ut nova obtineantur contra reum documenta. Tunc autem promotor fiscalis (vel accusator, si via accusationis procedatur) eas novas probationes præsentat judici, petens super his inquiri, et novos assignatos testes examinari. Quod fieri potest in hunc modum :

Anno..., mense..., die..., dominus N., promotor fiscalis (vel dominus N., accusator) *novas præsentavit contra reum probationes, quæ incipiunt... et desinunt... et sunt tenoris sequentis* (et ibi describantur). *Postulavit autem præfatus dominus N., super novis illis probationibus examinari productos novos testes et assignata nova documenta. Quas novas probationes reverendus N., Vicarius generalis, si et in quantum acceptans, jussit inter acta reponi, prout et reposui ut supra ; et mandavit earum communicationem dari patrono rei ; ac decrevit super illis procedere. In quorum fidem. — Ego N., promotor fiscalis* (vel accusatoris patronus) *præsentavi ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

Postea citari debet reus ejusque patronus, ad videndum juramenta novorum testium, et audiendam eorum depositionem : et datur eisdem hujus examinis copia, ut defensiones suas parare possint. Quæ omnia fiunt formulis jam traditis, mutatis mutandis.

Item pro parte rei præsentari possunt novæ defensiones ; in quo exequendo adhiberi poterit sequens aut similis formula.

« *Anno..., mense..., die..., coram reverendo N., Vicario generali, comparuit dominus N., domini N., prætensi rei, patronus, et præsentavit novas defensiones, quæ incipiunt... et desinunt... et habentur infra inter acta, signatæ numero... Postulavit autem dictus dominus N., ut super novis a se productis testibus et documentis examen instituatur. Quas novas defensiones præfatus reverendus Vicarius generalis si et in quantum acceptans, jussit inter acta reponi, quod et feci ; et decrevit super iisdem prout de jure examen instituere. In quorum fidem. — Ego N., patronus, præsentavi ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

Postea citantur reus ejusque patronus, ut testes et documenta in novarum defensionum probationem producant, et ejusmodi testes et documenta juridice examinantur.

CAPUT XLIV.

FORMA CITANDI ACCUSATOREM, ET CONTRA EUM PROCEDENDI, QUANDO JUDEX ÆSTIMAT ILLUM TANQUAM CALUMNIATOREM ESSE CONDEMNANDUM.

Quando per viam accusationis proceditur, contingere potest ut, absoluto offensivo et defensivo processu, judici compertum sit innocentem esse accusatum, et accusatorem ex malitia litem movisse, et pœnas calumniatorum mereri.

Tunc vero antequam contra accusatorem sententia condemnatoria feratur, debet citari, eique terminus ad sese defendendum assignari. Qua citatione accusator rei personam jam induit; unde et quoad ipsum ea omnia peragenda veniunt, quæ supra quoad reum indicata sunt. Forma autem accusatorem in dicto casu citandi, eique defensionis terminum assignandi poterit esse hujusmodi :

« *Cum ex huc usque habitis appareat , dominum N. accusatorem, in lite quam movit contra dominum N., calumniatorem extitisse, reverendus N. Vicarius generalis decrevit, prout præsenti decreto decernit, dictum accusatorum N. citare, eique terminum octo dierum assignare ad comparendum et dicendum, quare non debeat ad pœnas calumniatorum condemnari. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.*

« *In supra scripti decreti executionem, eodem die vocavit præfatus reverendus Vicarius generalis, Joannem N., episcopalis curiæ cursorem, eique libellum citationis consignavit tenoris sequentis :*

« *Cum ex hucusque habitis in causa contra dominum N. mota, appareat dominum N. accusatorem, calumniatorem extitisse, reverendus N., Vicarius generalis, eidem N. accusatori terminum defensorium octo dierum a præsenti computandorum assignans , eum citat ad comparendum coram se die ..., hora..., in atrio episcopii judiciis expediendis destinato, ad dicendum quare non debeat ad pœnas calumniatorum condemnari. Præcipitque præfatus reverendus Vicarius generalis præsentem citationem et termini defensorii assignationem dicto domino N. personaliter, vel in domo solitæ habitationis, intimari. Datum in cancellaria episcopali die..., mensis..., anni... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.*

« *Igitur prædictus Joannes N., cursor, postquam officio suo functus est, ad me actuarium reversus, retulit se dictam citationem prout in mandatis domino N. personaliter... die...,*

hora... intimasse. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno...— Ego Joannes N., cursor, affirmo ut supra. — Ego N., actuarius. »

CAPUT XLV.

FORMA CITANDI REUM AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

« *Consequenter volens reverendus N., Vicarius generalis, ad finalem sententiam procedere, vocavit Joannem N. episcopalis curiæ nuntium publicum, eique consignavit citationis libellum tenoris sequentis, videlicet : citatur dominus N. reus, et dominus N. ejus patronus, ad comparendum coram reverendo N., Vicario generali, die..., hora... in atrio episcopii ubi curia regitur, ut audiant definitivam sententiam, in causa criminali contra dictum dominum N. mota, ferendam. Et mandat præfatus reverendus Vicarius generalis præsentem citationem dictis dominis N. et N. personaliter, vel in domo solitæ habitationis, intimari. Datum... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.*

« *Igitur supradictus Joannes N. cursor, expleto suo officio, ad me actuarium reversus retulit, se suprascriptam citationem personaliter, prout in mandatis, dominis N. et N. intimasse, copia relicta. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., cursor, affirmo ut supra. — Ego N., actuarius.* »

Citatur pariter altera pars, id est, accusator, vel fiscus.

In his autem citationibus inseri potest monitio ad partes, ut veniant cum patronis seu advocatis suis, qui ante prolationem sententiæ merita causæ perorando discutiant. Sed omitti potest monitio illa, si in stylo curiæ sit, ut semper audiantur partium advocati, antequam pronuntietur sententia.

CAPUT XLVI.

FORMA ULTIMÆ DEFENSIONIS REI ANTE SENTENTIÆ PROLATIONEM.

Die ad sententiam definitivam assignato, et comparente utraque parte cum patronis seu advocatis suis, datur reo per

advocatum suum (seu per seipsum si malit) ad sui defensionem perorandi facultas.

Ad componendam autem ejusmodi defensionem, nulla certa tradi potest regula, cum a varietate causarum pendeat. Dici potest tantum generaliter defensori nitendum esse, ut ex omnibus in processu compertis, probet sequentia puncta, sin minus omnia, saltem aliqua.

1° Positive constat prætensum delictum a nemine fuisse commissum. 2° Etiamsi forte commissum sit, id tamen sufficienter non probatur. 3° Gratis admisso quod sufficienter probetur delictum patratum fuisse, positive constat ejus auctorem non esse dominum N., reum prætensum. 4° Etiamsi positive non probaretur insontem esse dominum N., prætensum reum, certum tamen remanet nullam existere legitimam et sufficientem probationem de crimine ab ipso patrato: tum quia acta processualia sunt omnino nulla: tum quia indicia non fuerunt probata: tum quia testes contra ipsum producti inhabiles sunt, vel sibi contrarii et nihil concludentes. 5° Etiamsi concludenter probaretur a domino N., reo prætenso, materialiter patratum fuisse delictum, non tamen probatur eum cum præmeditatione et malitia egisse.

Probato ergo aliquo aut aliquibus ex præmissis punctis, concludat defensor clientem suum esse ab observatione judicii absolvendum.

Postea fit pariter promotori fiscali (vel accusatori si per viam accusationis procedatur) facultas, ut per se, vel per advocatum suum pro intento suo peroret.

Tum conceditur defensori rei, ut replicet, idest, ad dicta pro parte fisci (vel accusatoris) respondeat. Et huic vicissim ut replicet ad *replicam;* et sic deinceps usque ad numerum replicarum per stylum curiæ concessarum; ita tamen, ut ultimo loco semper audiatur defensor rei.

CAPUT XLVII.

FORMULA SENTENTIÆ DEFINITIVÆ, QUOAD EAM PARTEM QUÆ OMNIBUS GENERALITER SENTENTIIS DEFINITIVIS COMMUNIS EST.

« *In nomine Individuæ Sanctissimæ Trinitatis. — Nos N., judex ordinarius* (vel delegatus), *visis ac diligenter consideratis omnibus et singulis in causa et causis coram nobis actitatis de et super* (et hic exprimatur delictum super quo factus est processus), *de quo delicto dominus N. fuit diffamatus* (vel denuntiatus, vel accusatus) ; *et mature perpensis testium depositionibus contra prædictum dominum N., super memorato crimine ; ipsoque citato, interrogato et sufficienter audito in omnibus suis defensionibus : Deum solum omnis justitiæ fontem præ oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, dicimus...* »

CAPUT XLVIII.

FORMULA SENTENTIÆ ABSOLUTORIÆ, IN CASU DELICTI NON COMMISSI.

« *In nomine...* (et reliqua ut in superiori capite), *dicimus, prædictum dominum N., nullo modo commisisse delictum de quo fuit inculpatus ; et proinde ipsum tanquam innocentem ab omni observatione judicii absolvimus. Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata fuit, die..., mensis..., anni... — Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes N., Vicarius generalis. — N., actuarius.* »

CAPUT XLIX.

FORMA SENTENTIÆ ABSOLUTORIÆ PRO REO NON INVENTO CULPABILI.

« *In nomine...* (et reliqua ut supra capite 47), *dicimus dominum N., non fuisse repertum culpabilem, nec de jure punibilem ; et proinde ipsum absolvimus ab omni observatione judicii ac quavis ulteriori instantia ; et causæ huic perpetuum silentium imponimus. Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata fuit die..., mensis..., anno..., in* (et ibi ponatur locus). — *Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes.* — *N., Vicarius generalis.* — *N., actuarius.* »

CAPUT L.

FORMA SENTENTIÆ ABSOLUTORIÆ REI ET ACCUSATORIS.

« *In nomine...* (et reliqua ut supra capite 47), *dicimus prædictum dominum N., accusatum de supramemorato crimine, nullo modo commisisse tale crimen* (sive non fuisse repertum culpabilem ; sive non fuisse probatum culpabilem) : *proinde ipsum tanquam innocentem absolvimus ab observatione judicii ;* sive, *tanquam non repertum culpabilem, vel de jure punibilem, absolvimus, et huic causæ perpetuum silentium imponimus ;* sive, *rebus sic stantibus et novis non supervenientibus indiciis absolvimus pro nunc ab observatione judicii. Dicimus pariter dominum N., accusatorem, concludenter probasse se, non dolo malo nec animo calumniandi prædictum dominum N. accusasse, cum de tali crimine esse publicam vocem et famam constare fecerit* (sive exprimatur alia aliqua causa ex illis, ob quas accusator non probans liberatur a pœna calumniatorum) : *Proinde etiam ipsum absolvimus ab omni observatione judicii.*

Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata fuit, die..., mensis..., anni..., in... Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes. — N., Vicarius generalis. — N., actuarius. »

CAPUT LI.

FORMA SENTENTIÆ ABSOLUTORIÆ REI, ET CONDEMNATORIÆ ACCUSATORIS.

« *In nomine* (et reliqua ut superiori capite 50, usque ad verba *dicimus pariter*, pro quibus sic ponatur) : *Dicimus pariter dominum N., accusatorem, defecisse in probando, se non accusasse dolo malo aut calumniandi animo ; imo probatum remanere ex mera malitia et ex animo nocendi ab ipso accusatum fuisse dominum N. de delicto, quod ipse accusator sciebat falsum esse. Proinde dictum dominum N., accusatorem, condemnamus ad pœnam calumniæ crimini juxta sacros canones condignam, nempe* (et ibi determinetur pœna. Si vero alias calumniatus sit, et ideo pœna augeri debeat, post verba *falsum esse*, ponatur) : *Et quia pariter constat prædictum dominum N., accusatorem, alias similiter calumniose accusasse, dicimus pœnam, quam secus sustinuisset, esse augendam. Proinde ipsum condemnamus ad...* (et ibi exprimatur pœna. Si vero potius, ex aliqua causa, pœna minuenda sit, ponatur) : *Et quia pariter nobis constat...* (et ibi exprimatur pœnæ imminuendæ causa), *ideo dicimus de pœna, secus ipsi debita, aliquid esse imminuendum. Proinde ipsum condemnamus ad... Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata, die..., mensis..., anni... in... Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes. — N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

//

CAPUT LII.

FORMA SENTENTIÆ CONDEMNATORIÆ, CONTRA REUM, PLENE PER TESTES CONVICTUM.

« *In nomine...* (et reliqua ut capite 47), *dicimus dominum N., reum, per testes integros plene remanere convictum de* (et ibi exprimatur delictum, cum omnibus suis qualitatibus et circumstantiis). *Quapropter ipsum condemnamus in pœnas a sacris canonibus* (vel *in nostris diœcesanis constitutionibus*) *latas, nempe* (et ibi exprimatur per extensum pœna a reo subeunda). *Ita hoc et...* (et reliqua ut in superioribus formulis). »

CAPUT LIII.

FORMA SENTENTIÆ CONDEMNATORIÆ, QUANDO REUS DELICTUM CONFESSUS EST.

« *In nomine...* (et reliqua ut capite 47), *dicimus, pronuntiamus et declaramus dominum N.* (et ibi exprimatur eum patrasse tale crimen cum talibus circumstantiis et qualitatibus); *prout ipse ore proprio et spontanea voluntate confessus est. Proinde condemnamus ipsum ad pœnam tali delicto, juxta sacros canones* (vel *juxta nostras diœcesanas constitutiones*) *debitam, nempe* (et ibi pœna infligenda describatur). *Ita hoc...* (et reliqua ut in superioribus formulis). »

CAPUT LIV.

FORMA SENTENTIÆ CONDEMNATORIÆ, QUANDO OB ALIQUAM CIRCUMSTANTIAM ORDINARIA PŒNA AUGERI AUT MINUI DEBET.

« *In nomine...* (ut capite 47), *dicimus, pronuntiamus et declaramus, dominum N. esse convictum* (vel *confessum*, vel *con-*

victum et confessum) *de crimine, ob quod fuit processatus, nempe* (et ibi describatur delictum); *proinde incidisse in pœnas latas in sacris canonibus* (vel *in nostris diœcesanis constitutionibus*) *contra hujusmodi delinquentes. Quia vero dictus N., solitus est delinquere in hac specie delicti, de qua alias fuit condemnatus* (sive exprimatur alia ex causis, ob quas ordinaria pœna augeri debeat), *ideo dictam pœnam esse augendam declaramus. Proinde condemnamus eum ad...* (Si vero potius minuenda sit, ponatur): *Quia vero...* (et ibi exprimatur circumstantia, quæ pœnæ imminutionem postulet); *ideo temperandum cum illo aliqualiter pœnæ rigorem declaramus. Proinde condemnamus eum ad... Ita hoc et omni meliori...* (et reliqua ut supra). »

CAPUT LV.

FORMA SENTENTIÆ FERENDÆ, QUANDO PROCEDITUR PER VIAM EXCEPTIONIS CONTRA ELIGENDUM.

« *In nomine...* (ut supra capite 47), *dicimus probatum concludenter remanere a domino N., exceptore, impedimentum canonicum, propter quod institit dominum N. repelli ab electione ad dignitatem* (sive officium; et ibi exprimatur illa dignitas vel illud officium; vel) *propter quod institit dominum N., repelli a confirmatione in dignitate...* (sive in officio...); *nempe quod dictus dominus N., contra quem proposita fuit exceptio* (et ibi exprimatur factum probatum, ex quo sequitur non debere fieri electionem aut confirmationem); *ex quo, ad normam sacrorum canonum, dominus N. redditur ineligibilis ad ecclesiastica beneficia* (vel ad dignitates, vel ad prælaturas ecclesiasticas). *Propterea declaramus non posse eum eligi ad dignitatem...* (et ibi exprimatur dignitas de qua agitur : vel non posse confirmari in dignitate... si agatur de confirmatione); *et si eligatur, electionem fore ipso jure nullam; et sic eligentes pro hac vice jus eligendi ipso facto esse amissuros pronuntia-*

mus. Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata fuit die..., mensis..., anni... — Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes. — N., judex. — Ego N., actuarius. »

Si vero nec plene, nec semi-plene probata remaneat exceptionis causa, pronuntietur sententia ut sequitur :

« *In nomine...* (et reliqua ut capite 47), *dicimus nullo modo, nec plene, nec semi-plene probatum remanere, dominum N. patrasse delictum, ratione cujus proposita fuit exceptio ; nempe* (et ibi exprimatur delictum ab exceptore propositum). *Quapropter dicimus et declaramus, prædictum dominum N. nullo impedimento canonico detineri, quominus eligi possit ad dignitatem...* (sive confirmari debeat in dignitate...). *Dicimus pariter dominum N. exceptorem, quia exceptivam causam non probavit, ut de jure tenebatur, pœnæ nobis arbitrariæ esse subjiciendum. Quapropter eum condemnamus ad...* (et ibi exprimatur pœna). *Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata fuit die..., mensis..., anni... in... — Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes. — N., judex. — Ego N., actuarius.* »

Tandem si exceptor probavit semi-plene (quamvis exceptus probationem in suis defensionibus evacuaverit), nullatenus est puniendus ; sicut nec punitur accusator semi-plene probans. Tunc vero in præcedenti formula ea pars quæ incipit, *dicimus pariter*, mutetur hoc modo :

« *Dicimus pariter dominum N. exceptorem, quantum est ex se, semi-plene probasse causam exceptionis, quamvis ipsius probatio contrariis defensionibus fuerit expugnata. Proinde judicamus et sententiamus, præfatum dominum N. exceptorem nulli pœnæ esse obnoxium, et a quacumque observatione judicii, ex hac causa, esse absolvendum, quemadmodum ipsum ut præfertur, absolutum sententiamus. Ita hoc et omni...,* etc. »

CAPUT LVI.

FORMA REDIGENDI IN ACTA JUDICIALES SENTENTIAS.

« *Comparentibus domino N. reo, qui supra, et domino N., ejus patrono* (si per viam accusationis vel exceptionis procedatur, addi debet, *necnon domino N. accusatore*, vel *exceptore contra præfatum reum*), *reverendus N. Vicarius generalis* (fiat ibi opportuna mutatio, si judicet ipse Episcopus vel alius), *pro tribunali sedens, tulit sententiam absolutoriam prædicti rei* (vel condemnatoriam in prædictum reum, vel absolutoriam prædicti rei et condemnatoriam prædicti accusatoris, etc.); *quam cum vocaliter pronuntiasset, mihi actuario scriptam consignavit, mandans ut eam in acta redigerem : in cujus mandati executionem, dictam sententiam in actis reposui ; et incipit..., et desinit..., et est tenoris sequentis, videlicet :* (et ibi lata sententia describatur). *Ad cujus suprascriptæ sententiæ authenticitatem abundanter probandam, domini N. et N., de hoc rogati, subscripserunt. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N. fui testis. — Ego N. fui testis. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT LVII.

FORMA APPELLANDI A SENTENTIA INTERLOCUTORIA.

Prænotanda. — Tridentina synodus (sess. 23, cap. 1, *de Ref.*) jus antea vigens quoad appellationem a sententiis interlocutoriis immutavit. Prohibuit nempe, ne in posterum fierent in causis criminalibus ejusmodi appellationes. Atvero noluit hanc regulam ita esse generalem, ut nullas pateretur exceptiones; sed restrictionem apposuit hoc modo : *Nisi gravamen per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appel-*

lari non possit; quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant. Hinc autem duo sequuntur : 1° adhuc dari posse locum appellationi a sententiis interlocutoriis; 2° ad legitimitatem appellationis hujusmodi jam non sufficere gravamen; sed requiri ut gravamen junctum sit cum una ex duobus his circumstantiis, nempe, vel quod non possit reparari per sententiam definitivam, vel quod in materia, circa quam versatur processus, non detur a sententia definitiva appellatio. Ex quo ulterius sequitur in formula appellationis a sententia interlocutoria, non tantum exprimi debere gravamen, quod sibi illatum prætendit reus, sed insuper alterutram ex modo memoratis circumstantiis. Hinc fidendum non est antiquis formulis, juxta jus antiquum ante Tridentinam synodum vigens exaratis; sed convenienter corrigendæ sunt. Poterit autem enuntiata formula concinnari in hunc modum :

« *Coram reverendo N., Vicario generali, comparet dominus N., reus qui supra; et dicit se esse gravatum per præfatum reverendum Vicarium generalem, in decreto, quo rejecta est tanquam frivola exceptio sua contra testes N. et N.* (vel aliud exprimatur gravamen, si aliud sit). *Dicit insuper tale esse hujusmodi gravamen, ut non possit per sententiam definitivam reparari : cum enim dicti testes prætensum delictum a dicto domino reo patratum fuisse testati sint, si eorum admittatur testimonium, nihil eodem reo expectandum esse quam condemnationem. Hinc, quia sustinet idem dominus N., prætensus reus, se sufficienter probasse dictos testes esse ipsius inimicos, perjuros, inhabiles; ideo cum omni debita subjectione, non animo judicium protelandi, sed se eximendi a gravamine, appellat super prædicto decreto seu sententia interlocutoria; et vult et instat illam rescindi : aliter provocat ad metropolitam et ad Sedem Apostolicam; et petit sibi responderi de apostolis instanter, instantius et instantissime. Datum die..., mensis..., anni... — Ego N. appello ut supra.*

« *Præsentata fuit suprascripta appellatio, et de mandato reverendi Vicarii generalis in actis recepta, et nonnisi prout*

de jure admissa, hac die..., mensis..., anni..., in.... — Ego N., actuarius. »

Si appellatio rejicienda erit, decernatur in hunc modum :

« *Consequenter reverendus N., Vicarius generalis, attente considerata appellationis causa, a præfato domino N. reo producta, invenit eam in jure et in facto insubsistentem; proinde eam rejecit tanquam frivolam et nullius valoris, et decrevit, ea non obstante, ad ulteriora procedere. Quod decretum, cum fuisset per me præfato domino N. reo intimatum, illi acquievit. Acta sunt hæc die..., mensis..., anni.... — Ego N., actuarius.* »

Si vero appellans non acquiescat, sed denuo appellet, scribi hoc modo poterit :

« *Quod decretum cum fuisset per me infrascriptum dicto domino N. reo intimatum, denuo appellavit, et iterum petiit apostolos instanter et instantissime. Acta sunt hæc....* »

CAPUT LVIII.

FORMA APPELLATIONIS A SENTENTIA DEFINITIVA.

In appellatione a sententia definitiva nulla necessario de jure communi assignanda est causa appellationis; sed sufficit simpliciter appellare et apostolos petere. Unde, prolata sententia, si reus dicat, appello et peto apostolos, actuarius debet appellationem registrare ut sequitur :

« *Cum lecta et intimata fuisset, ut præfertur, præfata sententia prædicto domino N., reo, ipse appellavit et apostolos petiit; cui reverendus Vicarius generalis respondit, se præstiturum ea, quæ de jure esse judicabit. Acta sunt hæc die..., etc. — Ego N. appello et peto apostolos. — Ego N., actuarius.* »

Casu quo reus non appellet immediate post sententiam latam (intra terminum tamen assignatum a jure, decem nempe dierum) potest actuarius appellationem excipere prout sequitur :

« *Anno..., mense..., die..., loco..., comparuit coram reverendo N., Vicario generali, dominus N., reus qui supra; qui appellavit a sententia contra ipsum publicata die..., prout in actis, et apostolos petiit : cui præfatus reverendus Vicarius generalis respondit, se præstiturum quod de jure esse judicabit. In quorum fidem... — Ego N. appello. — Ego N., actuarius.* »

Potest etiam ipse reus scripto præsentare libellum appellationis ut sequitur :

« *Anno..., mense..., die..., loco..., comparet coram reverendo N., Vicario generali, cum testibus infrascriptis, dominus N., et dicit se esse enormiter gravatum per sententiam contra eum latam sub die...; proinde ab ea appellat et petit apostolos instanter, instantius, instantissime. In quorum fidem. — Ego N. appello ut supra. — Ego N. fui testis. — Ego N. fui testis.* »

« *Præsentata fuit supradicta appellatio, et si et in quantum admissa, et in actis recepta ad mandatum reverendi N., Vicarii generalis, qui respondit, se prout erit de jure præstiturum. Acta sunt hæc die... — Ego N., actuarius.* »

CAPUT LIX.

FORMA CONCEDENDI APOSTOLOS REFUTATORIOS.

« *Cum dominus N. appellaverit sub die..., coram nobis super decreto a nobis prolato sub die..., prout in actis, et causam appellationis produxerit, prout latius in citatis actis continetur; talem appellationem et ejus causam, utpote nullius valoris rejecimus, et rejiciendam judicavimus, prout de facto eam iterum rejicimus. Verum quia denuo a decreto rejectionis appellavit et apostolos petiit, ipsos prout de jure, ejus appellationis causam refutantes, concedimus, et causam super hoc articulo incidenti ad...* (et ibi exprimatur immediatus judex ad quem) *et successive ad alios prout de jure ablegamus,*

et remittimus. Intendendo quod per hoc talem reum a nostra jurisdictione minime dimittimus; sed ipsius causam ut de jure prosequi, ac diffinire velle pronuntiamus. Datum.... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. »

CAPUT LX.

FORMA APOSTOLORUM REVERENTIALIUM.

« *Cum dominus N.* (etc., ut supra, usque ad illa verba, *verum quia*) *Verum quia denuo a decreto rejectionis appellavit, et apostolos petiit, quamvis hæc nova appellatio nobis frivola fuerit visa, tamen ob nostram reverentiam erga* (et ibi nominetur judex ad quem), *et alios ad quos appellavit, prædictæ appellationi duximus deferendum, et de facto detulimus, et petitos apostolos reverentiales harum serie concedimus. Datum. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT LXI.

FORMA APOSTOLORUM DIMISSORIALIUM.

« *Cum in causa delicti de quo diffamatus* (sive denuntiatus, sive accusatus) *fuit dominus N., sententiam definitivam tulerimus, et a nostra sententia prædictus dominus N. appellaverit, et provocaverit ad...* (et ibi nominetur immediatus judex ad quem), *et successive ad Apostolicam Sedem; Nos appellationi hujusmodi, ut par est, deferentes, ipsum appellantem a nostro judicio dimittimus, et ejus causam cum copia actorum sigillata ad prædictum* (et iterum nominetur immediatus judex ad quem) *remittimus. Datum... — Ego N., Vicarius generalis in diœcesi N. — Ego N., actuarius.* »

Adnotata in processu concessione apostolorum, copia acto-

rum omnium authentica et sigillata consignari debet reo, vel judici ad quem est appellatum transmitti.

CAPUT LXII.

QUOMODO JUDEX *AD QUEM* INCIPERE DEBEAT PROCESSUM, IN CAUSA APPELLATIONIS A SENTENTIA INTERLOCUTORIA.

« *In nomine Domini. Amen. — Cum comparuisset coram reverendo N., Vicario generali archidiœcesis N., dominus N., diœcesis N.* (sive N., patronus domini N., rei prætensi) *et exposuisset se appellasse a decreto interlocutorio, interposito a reverendo N., Vicario generali ejusdem diœceseos, super...* (et hic exprimatur decretum super quo fuerit appellatum); *et præfatus dominus N., appellans, institisset ut admitteretur ad probandam coram præfato reverendo N., Vicario generali hujus archidiœceseos, causam et causas prædictæ appellationis a se productas, idem reverendus Vicarius generalis, adhibito me infrascripto, hujus curiæ publico actuario, decrevit prout de jure procedere. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., Vicarius generalis archidiœceseos N. — Ego N., actuarius.*

« *Consequenter idem reverendus Vicarius generalis, visis causis appellationis, productis a prædicto domino N., appellante, pronuntiavit eas de jure esse legitimas; et ad videndum an subsistant in facto, de ejusdem mandato vocatus fuit prædictus dominus N., appellans* (seu N., patronus prædicti domini N., rei prætensi) *coram eodem reverendo Vicario generali; et se paratum dixit probare causas expressas in libello appellationis; et testes super primo articulo produxit dominos N. et N.; et super secundo dominos N. et N.* (et sic deinceps assignet testes, seu producat litteras, scripturas, sive alia documenta, per quæ causæ ab ipso adductæ probentur; et omnia in processu adnotentur). *Quæ omnia a reverendo N., Vicario generali huius archidiœceseos, fuere recepta et admissa si et in quan-*

tum; et decrevit idem reverendus Vicarius generalis ad ulteriora prout de jure procedere. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno..., in... — Ego N., archidiœceseos N. Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. »

Si judex ad quem existimet causam appellationis non subsistere *in jure* (id est, non esse de iis propter quas appellari potest, etiamsi factum allegatum verum foret et concludenter probaretur), in superiori formula, loco verborum : *Pronuntiavit eas de jure esse legitimas*, ponatur : *et pronuntiavit eas de jure non esse legitimas : consequenter præfatum N., appellantem, decrevit ad suum judicem ordinarium remittere; et jussit præsentis decreti et processus copiam authenticatam et sigillatam ad eumdem ordinarium transmitti. Acta sunt hæc... — Ego N., Vicarius generalis archidiœceseos N. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT LXIII.

FORMA PROSEQUENDI COGNITIONEM CAUSARUM APPELLATIONIS AB INTERLOCUTORIA.

Supponimus causas appellationis admissas fuisse a judice ad quem, tanquam subsistentes *in jure;* ita ut ipsi remaneat solummodo expendendum, utrum subsistant etiam *in facto*. Quæ locutiones, ut a tyronibus facile intelligantur, exemplo utamur : fingamus, verbi gratia, causam appellationis ab interlocutoria fuisse inimicitiam erga reum duorum testium, qui contra eum deposuerunt. Reus scilicet ob hanc causam excepit contra illos testes; et judex *a quo* exceptionem illam suo decreto interlocutorio ut frivolam rejecit. Appellando ab hoc decreto interlocutorio, reus pro causa appellationis assignat dictam inimicitiam. Illa inimicitia, sive revera existat, sive non, dicenda est *subsistere in jure;* quia si revera existeret, de jure deberent testes illi rejici; et nisi rejiciantur, de jure reus appellare potest. Si autem illa inimicitia sufficienter non probetur, causa appellandi, quamvis subsistens in jure, dicetur *in facto*

non subsistere. Hic ergo supponitur allegatam fuisse causam appellandi subsistentem *in jure;* et judici *ad quem* expendendum remanere, utrum subsistat etiam in facto : pro quo hæc forma adhiberi poterit :

« *Anno..., mense..., die..., in..., comparente domino N., appellante qui supra, decrevit reverendus N., Vicarius generalis hujus nostræ archidiœceseos, ad examen procederè testium et documentorum, a præfato domino N. appellante productorum, ad probandum appellationis suæ causam in facto subsistere. Quapropter vocatus est dominus N., testis assignatus super primo et quinto articulo ; qui interrogatus fuit et respondit ut sequitur :* »

Et sic examinentur testes omnes, forma solita, quam supra indicavimus ; tum instituatur etiam examen super omnibus ab appellante allegatis ad probandum intentum suum. Verbi gratia, si prætendat ex ventre processus apparere gravamen super quod appellavit, erit de hoc veritas inquirenda : item si proponat jura, litteras, aliave documenta, erit videndum an probent gravamen de quo appellans queritur. Debet autem actuarius totam telam examinis super his omnibus in actis referre. Peracto autem ejusmodi examine, antequam ad sententiam deveniatur, jubeatur appellans, si quid aliud habeat producendum proponere. Qui postquam dixerit, se nihil aliud producendum habere, citetur ad audiendan sententiam.

CAPUT LXIV.

FORMA PROCEDENDI QUANDO APPELLANS PRÆTENDIT ACTA, AD JUDICEM *AD QUEM* TRANSMISSA, FUISSE VITIATA.

« *Comparuit coram domino N., Vicario generali, dominus N., appellans qui supra, et dixit in suam notitiam pervenisse, non reperiri in actis transmissis verba quædam, quæ certo in actis originalibus habentur, nempe* (et ibi exprimantur verba, quæ prætenduntur omissa). *Quapropter præfatus appellans suspicatur acta prædicta in sui gravamen transmissa fuisse*

manca, decurtata et adulterata. Instat proinde ut actis ita transmissis nulla fides adhibeatur, donec collationata fuerint citata parte, nempe domino N., sive domino N., quos ipse appellans eligit et nominat in procuratores suos, conjunctim seu divisim ; ut nomine ipsiusmet appellantis collationi faciendæ personaliter interveniant : reservato sibi jure, quando opportunum erit, si acta inveniantur vitiata, agendi contra eos, quorum malitia seu dolo fuerint adulterata. Ad quam instantiam reverendus N., Vicarius generalis, respondit, se prout de jure præstiturum. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... — Ego N., appellans, insto ut supra. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.

« *Considerata supradicta instantia, quam facit dominus N., appellans, eam reverendus N., Vicarius generalis, judicans legitimam, petitioni annuendum decrevit. Unde ad ipsius mandatum scriptæ et directæ fuerunt ad reverendum N., Vicarium generalem diœcesis N., litteræ tenoris sequentis :*

« *Reverende et colendissime domine. — Remittimus ad reverentiam vestram acta, quæ ad Nos fuere transmissa per dominum N., qui appellavit a sententia interlocutoria* (sive definitiva), *per Vos lata, in causa quæ coram Vobis actitatur contra memoratum dominum N. Nam licet per actuarium vestrum fuerint subsignata et authenticata, apposito sigillo officii vestri, tamen contra illa exceptum coram Nobis est a prædicto appellante ; qui asserit se suspecta habere talia acta, tanquam non fideliter collationata et non integraliter transsumpta. Quapropter Vobis injungimus, ut acta prædicta ad Nos transmissa fideliter collationare faciatis, citatis prius domino N. et domino N., a prædicto domino N. appellante in procuratores suos electis, ad hoc ut ambo, sive quilibet ex ipsis, collationi faciendæ interveniat, et illi subscribat. Confidimus autem reverentiam vestram ut injungimus, et de jure est, fideliter id præstituram, et acta prædicta, ut præfertur, ad Nos sigillata transmissuram. Valeatis. Datum, etc. — Ego N., Vicarius generalis archidiœceseos N. — Ego N., actuarius. »*

Accepto autem hujusmodi mandato, judex *a quo* procedat in hunc modum :

« *Cum reverendus N., Vicarius generalis in diœcesi N., recepisset mandatum sibi factum a reverendo N., Vicario generali in spiritualibus reverendissimi N., Archiepiscopi N.; volens, ut par est, illud exequi, vocare coram se fecit dominos N. et N., et significavit ipsis, se esse nominatos a domino N. in procuratores suos, ut conjunctim ambo, sive separatim quilibet, assisterent collationi actorum transmissorum faciendæ cum originali. Qui domini prædicti nominationi de se factæ consenserunt, et ad mandatum reverendi Vicarii generalis responderunt se fideliter præstituros munus suum, et collationi prædictæ faciendæ interventuros. Acta sunt hæc, etc. — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., procurator. — Ego N., procurator. — Ego N., actuarius.* »

Facta autem collatione cum interventu unius, sive amborum procuratorum, in calce eorumdem actorum describi debet prout sequitur.

Præsens copia extracta fuit ab actis originalibus, et de verbo ad verbum fideliter cum ipsis collationata, citatis et intervenientibus collationi prædictæ dominis N. et N., procuratoribus domini N., prout supra. In quorum fidem datum die..., mensis..., anni... — Ego N., procurator. — Ego N., procurator. — Ego N., actuarius. »

Debet autem copia sic collationata in præsentia eorumdem procuratorum sigillari ; et potest iisdem consignari ut transmittant ad judicem ad quem, ne denuo suspicio oriatur de immutatis foliis et adulteratione. Sed melius fiet si ad calcem cujuslibet folii collationati procuratores se subscribant : hoc enim pacto mutari non poterunt folia ; et tunc necesse non erit acta coram procuratoribus sigillari aut illis consignari.

Si qua inventa fuerit in damnum appellantis vitiatio, adnotetur ad effectus juris in hunc modum :

« *Facta collatione reperta sunt sequentia vitia : tertio folio copiæ, linea nona, habetur... In originali vero, folio..., li-*

nea..., habetur... — Vigesimo copiæ folio, linea..., habetur... In originali vero, folio..., linea..., habetur... (et sic deinceps). *In quorum fidem. — Ego N., procurator. — Ego N., procurator. — Ego N., actuarius.* »

CAPUT LXV.

FORMA FERENDÆ SENTENTIÆ SUPER VALORE APPELLATIONIS AB INTERLOCUTORIA.

Citetur appellans ad audiendam sententiam ; pro quo adhiberi poterit, mutatis mutandis, formula superius tradita ; et eodem comparente, si ejus appellatio judicetur subsistens in jure et in facto, pronuntietur in hunc modum :

« *In nomine Domini. Amen. — Visa appellatione interposita a domino N., reo prætenso, super sententia interlocutoria, lata per reverendum N. Vicarium generalem, diœceseos N. judicem ordinarium, die..., mense..., anno... : visis causis prædictæ appellationis a memorato reo prætenso propositis ; visisque et mature ponderatis depositionibus testium, et aliis instrumentis ab appellante productis, per hanc nostram sententiam declaramus et dicimus, male fuisse a memorato judice interlocutum, et bene appellatum. Quapropter causam a prædicto reverendo N. Vicario generali diœcesis N. ad nostrum metropolitanum tribunal avocamus. Datum, etc. — Ego N., Vicarius generalis archidiœceseos N. — Ego N., actuarius.* »

Quod si appellatio judicata fuerit insubsistens, post verbum *Declaramus* ponatur :

« *Declaramus et dicimus, bene fuisse a memorato judice interlocutum, male a prædicto domino N. appellatum. Quapropter, non obstante prædicta appellatione, debere prædictum judicem in causa procedere prout de jure decernimus et pronuntiamus. Datum, etc.* »

Debet autem processus factus a judice *ad quem*, simul cum sententia, mitti ad judicem a quo appellatum fuit, et totum

inseri inter acta, si appellatio fuerit judicata insubsistens. Si vero sententia fuerit ad favorem appellantis, causa principalis debet terminari a judice *ad quem*, juxta exigentiam et formulas procedendi supra traditas.

CAPUT LXVI.

FORMA INCIPIENDI PROCESSUM APUD JUDICEM *AD QUEM*, QUANDO APPELLATUM EST A SENTENTIA DEFINITIVA.

« *In nomine Domini. Amen. — Cum ad reverendum N., hujus archidiœceseos N. Vicarium generalem, transmissa fuissent acta processualia in causa criminali domini N. habita ; in quibus continetur sententia condemnatoria, contra præfatum N. lata a reverendo N., diœcesis N. Vicario generali et judice ordinario, necnon prædicti Domini N. a dicta sententia interjecta ad metropolitanum tribunal appellatio, simul cum facta eidem apostolorum dimissorialium concessione : et memoratus dominus N. comparuisset coram præfato reverendo N. Vicario generali, ad effectum prosequendæ suæ appellationis : idem reverendus Vicarius generalis hujus archidiœceseos, adhibito me infrascripto notario publico et hujus curiæ actuario, decrevit prout de jure, in causa supradictæ appellationis procedere. Acta sunt hæc die..., mensis..., anno... in... — Ego N., archidiœcesis N. Vicarius generalis. — Ego N., actuarius.*

« *Consequenter vocatus supradictus dominus N., reus prætensus, a reverendo N. Vicario generali jussus est exhibere, si quos haberet præsentandos articulos, ad probandam supra memoratæ sententiæ injustitiam* (si nullos velit defensorios articulos præsentare, notetur ut sequitur). *Qui respondit se nihil habere addendum iis quæ in actis continentur, ex quibus sufficienter apparebit dictæ sententiæ injustitia.* (In quo casu nihil remanebit judici faciendum, quam acta processualia jam habita perpendere et sententiam pronuntiare. Si vero articulos exhibeat, scribat actuarius hoc modo :) *Qui statim chartam defensoriam*

præsentavit, quæ incipit..., et desinit..., et ad mandatum reverendi N. Vicarii generalis in acta redacta est, signato numero... Acta sunt hæc die..., mensis..., anno..., in... — Ego N., Vicarius generalis. — Ego N., actuarius. »

Postea fiat, solita forma, examen super novis articulis ab appellante propositis; audiatur promotor fiscalis super eisdem articulis; necnon defensio rei, replicatio fisci et triplicatio rei: et deveniatur ad sententiam.

CAPUT LXVII.

FORMA SENTENTIÆ PRONUNTIANDÆ A JUDICE AD QUEM APPELLATUM EST.

Nota. — In jure canonico judex *ad quem,* ipso facto appellationis a sententia definitiva, evadit judex causæ principalis; unde sententia ejus debet causam ipsam principalem dirimere. Confundenda ergo non est conditio judicis ecclesiastici *ad quem,* cum iis judicibus sæcularibus, qui hodie apud nonnullas regiones judicant tantum de nullitatibus formæ, sed de ipsa causa principali cognoscere nequeunt. Poterit autem judex eclesiasticus *ad quem* in ferenda sententia uti hac formula:

« *In nomine Individuæ ac Sanctissimæ Trinitatis. Amen. — Nos N., Vicarius generalis archidiœceseos N. ac judex ordinarius, visis et diligenter consideratis omnibus et singulis actitatis in causa et causis discussis coram reverendo N., Vicario generali diœcesis N., contra dominum N. diffamatum* (sive denuntiatum, sive accusatum) *de...* (et ibi exprimatur delictum): *visis item omnibus productis in jure et facto ad favorem prædicti domini N., visa pariter sententia definitiva contra eumdem prolata a præfato N., Vicario generali et judice ordinario prædictæ diœcesos: visa tandem appellatione ad N. interposita; ipsiusque causis, juribus et probationibus,*

coram Nobis productis ad ipsam sustinendam, mature pensatis : Deum solum omnis justitiæ fontem præ oculis habentes : «*per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, dicimus præfatum dominum esse* (et ibi exprimatur, eum patrasse tale delictum de quo fuit processatus, cum talibus qualitatibus et circumstantiis). *Quapropter, sententiam a judice ordinario diœcesis N. latam confirmantes, præfatum N. condemnamus ad...* »

Si pœna diversa infligatur, omittantur eæ voces *sententiam confirmantes*, etc.

Si e contra absolvatur reus, post vocem *dicimus* ponatur formula sententiæ absolutoriæ, supra exhibita. Et addatur solita clausula *ita pronuntiavimus pro tribunali*, etc.

APPENDIX

AD FORMULARIUM

Visum est in hac appendice subnectere nonnullas alias formulas, ad diversa pertinentes, quæ a superioribus collectionibus exularunt; scilicet :

I

Formula ferendæ suspensionis extra-judicialiter seu ex informata conscientia.

Constito Nobis, presbyterum N., esse reum criminis, eum ob causas, quæ animum nostrum digne movent, et de quibus Deo, et Sedi Apostolicæ cum habuerimus in mandatis, rationem reddere debemus, et ex informata conscientia, a divinis suspendimus per sex menses, et suspensum declaramus, ac ei decretum suspensionis intimari mandamus. — N., Episcopus N. » (Ex Monacello, parte 3, titulo 2, ad formulam 6, annotatione 3.)

Annotat ibidem Monacellus ejusmodi suspensiones ex informata conscientia subscribendas esse ab Episcopo, non a Vicario generali.

II.

Formula monitionis ut matrimonium contrahat qui sponsalia contraxit.

« *Monetur Caius in termino peremptorio sex dierum, quorum*

primi duo sibi assignantur ad contrahendum matrimonium cum Sempronia, ad formam sponsalium invicem contractorum et juratorum, de quibus in actis, sub pœna excommunicationis ; alii duo ad dicendum et allegandum causam, quare non debet compelli et excommunicari ; alii vero duo ad videndum se excommunicari et pro excommunicato publice denuntiari, ipso amplius non monito ; et interim sibi inhibetur sub pœna..., et, in subsidium, excommunicationis, ne audeat cum alia muliere quocumque modo nova sponsalia, sive matrimonium contrahere... » (Ex Monacello, parte 3, titulo 1, ad formulam 30, annotatione 3.)

III.

Formula declaratoria excommunicationis contra eum, qui, initis sponsalibus, renuit matrimonium contrahere.

« *Attentis comparitione et instantia judiciali Semproniæ coram Nobis facta, de et super executione sponsalium de futuro, sub juramento inter ipsam instantem et Caium contractorum, visis juribus exhibitis, ac monitione sub pœna excommunicationis ad contrahendum matrimonium contra dictum Caium contrahere renuentem exequuta, et auditis excusationibus per eum deductis : dicimus et declaramus esse locum exequutioni sponsalium ; et eumdem Caium teneri et obligatum esse ad contrahendum matrimonium cum dicta Sempronia, et ad illud cogendum ecclesiastica censura ; prout Nos ad hunc effectum excommunicamus et excommunicatum publice denuntiari volumus, donec jurisjurandi religione adimpleta, dictam Semproniam ducat in uxorem, et exeat a peccato. Cedulones decernimus, et publicari mandamus. Omni, etc. — N., Vicarius generalis.* » (Ex Monacello, parte 3, titulo 1, formula 29.)

IV.

Formula declarandi excommunicatum Vicarium generalem suffraganei, ex eo quod appellationem ab ipsius sententia rejecerit, et, non obstante inhibitione, executus sit.

Prænotandum. — « Vicarii seu Officiales generales Epi-« scoporum suffraganeorum interdum, sive propter carentiam « scientiæ, sive propter deficientiam prudentiæ, jurisdictionem « Metropolitani aut perturbant aut contemnunt; vel etiam per « sordes in officio delinquunt ; unde Archiepiscopus, qui est « in his casibus judex suffraganeorum et eorum officialium, si « porrigatur querela per promotorem fiscalem, vel per subdi-« tum suffraganei, et verificentur exposita, poterit Vicarium « suffraganei excommunicatione punire, prævia declaratoria. » (Monacelli, parte 3, titulo 1, ante formulam 31.)

Quo prænotato, formula concinnari poterit ut sequitur :

Visis actis et juribus coram nobis exhibitis, ex quibus constat de rejectione appellationis, per N., infra legitimum tempus, ad nostrum tribunal interpositæ, a decreto (seu sententia vim definitivæ habente) juris ordine servato lato (seu lata) a Vicario generali Episcopi N., nostri suffraganei, in causa vertente inter ipsum appellantem, et N. ex altera parte : visa executione judicati, non obstante inhibitione nostri tribunalis ; ac monitione cum præfixione termini ad comparendum et allegandum, etc., sub pœna excommunicationis contra dictum vicarium executa ; et attenta illius contumacia : dicimus et declaramus dictum Vicarium generalem N. in officio et exercitio jurisdictionis graviter deliquisse, et jurisdictionem archiepiscopalem et metropolitanam læsisse ; et propterea esse excommunicandum ; prout Nos eum excommunicamus, et excommunicatum esse declaramus ; publice per affixionem cedulonum, tam in hac nostra, quam in civitate N., denuntiari volumus et mandamus; cum clausula, quod amoventes, lace-

rantes vel deturpantes illos, etiamsi regulares sint, eo ipso excommunicationem incurrant. — N., Archiepiscopus N. » (Ex Monacello, parte 3, tit. 1, form. 31.)

V.

Formula denuntiationis prædictæ excommunicationis.

« *Hic auctoritate ordinaria denuntiatur et declaratur excommunicatus excommunicatione majori, nobis reservata, N. Vicarius et Officialis generalis N., Episcopi nostri suffraganei; ex eo quia appellationem, infra legitimum tempus ab ejus decreto appellabili ab N. ad nostrum tribunal interpositam, noluit admittere; et non obstante nostra inhibitione, ad ulteriora processit, damnabili præsumptione: ut igitur ab omnibus evitetur, præsentes in locis publicis civitatis publicari jussimus; et anathema erit, donec nostræ jurisdictioni et parti læsæ plenarie satisfecerit, et a nobis absolvi meruerit. Amoventes autem, lacerantes vel deturpantes hos cedulones, etiamsi regulares sint, pœnam excommunicationis eo ipso incurrant. Datum... — N., Archiepiscopus N.* » — Et ponatur sigillum consueto loco. (Ex Monacello, parte 3, tit. 1, form. 32.)

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

TOMI SECUNDI

JUXTA MATERIARUM ORDINEM

Pag.

PARS SECUNDA. De judiciis ecclesiasticis in specie (*Continuatio*)..... 1

SECTIO III. De processu criminali ordinario..... 1

Subsectio I. De variis processus criminalis ordinarii formis..... 2

CAPUT. I. Norma procedendi per accusationis viam..... 3

§ I. Forma per viam accusationis procedendi, prout determinata reperitur ex jure communi canonico..... 3

I. De recta accusationis notione seu definitione..... 3

II. Conditiones a jure requisitæ in modo ipso accusationem proponendi. 5

1ª conditio : debet accusatio proponi in scriptis seu per libellum..... 5

2ª conditio : libellus debet esse rite formatus..... 6

3ª conditio : apponi in libello debet subscriptio, qua se accusator ad subeundam talionis pœnam obliget, si falso accusasse deprehendatur. 7

III. Quinam accusare possint?..... 8

IV. Quinam accusari?..... 11

V. Effectus accusationis quoad judicem..... 15

VI. Effectus accusationis quoad accusatorem..... 15

VII. Effectus accusationis quoad accusatum..... 17

VIII. Quibus modis tollatur seu extinguatur accusatio criminalis..... 19

§ II. Quid de pœna talionis censendum sit, et an injuste fuerit contra calumniatores a jure canonico sancita?..... 20

I. Lex talionis apud hebræos aliosque veteres populos non præscribebat semper applicari *eamdem* pœnam, sed vel eamdem, vel *similem*, id est, æquivalentem..... 21

II. Expenditur talionis lex prout in jure Romano viguit..... 22

1. Viguit ea lex apud Romanos..... 22

2. Pœnæ talionis non subjiciebatur nisi qui *sciens* et *volens* falsam accusationem intulerat..... 22

3. Pœna hæc injusta non fuit..... 23

4. Sapientior tamen postea dispositio invecta est..... 25

III. Expenditur talionis lex prout in jure canonico habetur..... 26

Propositio 1ª. Forma per viam accusationis procedendi, cum talionis pœna, in jure canonico recepta fuit..... 26
Propositio 2ª. Prout autem in Ecclesia recepta fuit, nec injusta fuit, nec eam habuit imperfectionem, qua in jure romano laborabat.. 27
§ III. Qua ex parte jus commune canonicum hodie immutatum censendum sit quoad formam procedendi per accusationis viam..... 28
I. An etiam hodie procedi possit per accusationis viam?..... 28
II. An obsoleverit juris communis dispositio de subscriptione libelli et talionis pœna?..... 31

CAP. II. Norma procedendi per denuntiationis viam..... 33
§ I. Quid et quotuplex sit denuntiatio?..... 33
§ II. Evangelicæ denuntiationis norma..... 36
§ III. A quo fieri possit judicialis denuntiatio?..... 40
§ IV. Contra quos, seu de quibus delictis fieri possit judicialis denuntiatio? 44
§ V. Quomodo facienda sit judicialis denuntiatio, seu quibus solemnitatibus vestiri debeat?..... 48
§ VI. An necesse sit judiciali denuntiationi præmitti monitionem charitativam seu evangelicam?..... 49
§ VII. Quibus in casibus non tantum possit, sed et teneatur quis judicialiter denuntiare?..... 50
§ VIII. Effectus denuntiationis judicialis quoad judicem et denuntiantem. 54
§ IX. Effectus denuntiationis judicialis quoad denuntiatum..... 56

CAP. III. Norma procedendi per inquisitionis viam..... 59
§ I. Quid et quotuplex sit inquisitio?..... 60
§ II. Fundamentalis quæstio: utrum absque prævia infamia possit in quemquam inquisitorie procedi?..... 61
I. Casus inquisitionis judicialis specialis et ex mero officio..... 62
Propositio 1ª. Est certa juris canonici regula, non posse superiorem judicialiter contra quemquam, nondum diffamatum, per viam specialis inquisitionis procedere..... 62
Propositio 2ª. Præmissa generalis regula aliquot admittit limitationes. 69
Propositio 3ª. Exposito juri canonico de præviæ infamiæ necessitate, derogatum non fuit; neque ut derogatio habenda est potestas Episcopis a Tridentina synodo concessa ex informata conscientia procedendi..... 71
II. Casus inquisitionis specialis, ad instantiam alicujus denuntiatoris judicialiter institutæ..... 73
Propositio 1ª. In jure canonico omnino distinguendæ sunt denuntiatio ad pœnitentiam, et denuntiatio ad pœnam; ita ut posterior intelligatur aperire viam inquisitionis, non autem denuntiationis..... 73
Propositio 2ª. Etiam in casu denuntiatoris, inquisitionem ad vindictam publicam postulantis, infamia regulariter ex jure canonico prærequiritur..... 79
Propositio 3ª. Prævia infamiæ necessitas, in præcedenti propositione asserta, videtur etiam admittenda, quando denuntiator est officialis publicus, verbi gratia, fiscalis promotor..... 81
III. Casus inquisitionis mixtæ..... 84
Regula 1ª. Inquisitio, generalis quoad personam, specialis autem quoad

delictum, potest et debet fieri, etiam nulla præcedente contra aliquem infamia vel suspicione..... 84
Regula 2ª. Inquisitio mixta, specialis quoad personam, hujus scilicet formæ, *an Titius aliqua crimina patraverit*, paterne quidem fieri potest, non autem judicialiter..... 87
IV. Casus inquisitionis generalis..... 87
Quæstio 1ª. An ad inquisitionem generalem *paternam* prærequiratur infamia?..... 87
Quæstio 2ª. An prærequiratur ad inquisitionem generalem judicialem? 88
V. Quando prærequiritur infamia, qualis esse debeat, et an oporteat eam judicialiter probari?..... 90
1. Requisita a jure infamia, intelligenda est, orta ab honestis personis, non a malevolis; et insuper quæ ad aures superioris non semel, sed sæpe pervenerit..... 90
2. Requisita a jure infamia intelligenda est ea, quæ per majorem viciniæ seu communitatis partem divulgata fuit..... 90
3. Necesse non est infamiam judicialiter probari, quando judex ex mero officio procedit..... 91
4. Quando superior procedit ad instantiam alicujus inquisitionem procurantis, debet præmitti probatio infamiæ..... 91
5. Quomodo probanda sit prævia infamia?..... 92
§ III. Instituendæ generalis inquisitionis norma..... 93
Quæstio 1ª. An possint aut etiam debeant Ordinarii de criminibus generalem aliquam inquisitionem facere?..... 93
Quæstio 2ª. An inquisitio generalis possit esse, non tantum paterna, sed etiam judicialis?..... 95
Quæstio 3ª. An Prælatus, sive paterne, sive judicialiter generalem instituens inquisitionem, exigere possit a subditis ut sibi occulta delicta manifestent?..... 95
Quæstio 4ª. An superiori generalem inquisitionem paterne instituenti, possint subditi manifestare delicta occulta?..... 96
Quæstio 5ª. An superiori generalem inquisitionem judicialiter instituenti, licite possint subditi occulta delicta manifestare?..... 96
Quæstio 6ª. Quomodo superior ex generali inquisitione ad specialem transire possit?..... 98
§ IV. Instituendæ inquisitionis mixtæ norma..... 99
§ V. Instituendæ inquisitionis specialis, seu stricte sumptæ, norma..... 100
I. An et quomodo ante omnia constare debeat de corpore delicti..... 100
II. Quomodo citandus sit reus, et ei tradenda sint capitula cum testium nominibus, *remissive* ad sequentem subsectionem..... 102
III. Omissa aliqua formalitate necessaria, valet processus, si reus præsens non reclamet, vel si crimen in judicio sit confessus..... 102
IV. An in speciali inquisitione denuntiator possit esse testis..... 102
V. Discrimen inter modum inquirendi ex mero officio, et modum inquirendi ad instantiam alterius..... 104
VI. Observanda in inquisitione speciali, ne processus nullitate laboret, compendiose recensentur..... 105

CAP. IV. Norma procedendi per exceptionis viam..... 107
§ I. Quid et quotuplex sit exceptio..... 108

§ II. Norma procedendi quoad exceptionem criminalem *civiliter* factam.. 109
Quæstio 1ª. An hoc modo excipiens teneatur sese in pœnam inscribere? 109
Quæstio 2ª. Quid facere debeat judex, quando reus exceptionem criminis civiliter factam probare non potuit?..... 109
Quæstio 3ª. Quando reus exceptionem criminis civiliter factam probare nequivit, an possit a judice aliqua pœna plecti?..... 110
Quæstio 4ª. Quando reus civiliter excipiens objectum delictum probavit, an hujus delicti auctor possit a judice pœna plecti?..... 110
Quæstio 5ª. An separato processu judex possit contra prædictum delictum procedere ad pœnam?..... 111
§ III. Norma procedendi quoad exceptionem criminalem criminaliter factam 111
§ IV. Norma quoad quasi-exceptionem..... 112

CAPUT V. De accusatorio et inquisitorio processu disquisitio historico-critica. 113
Propositio 1ª. Processus accusatorius solus videtur in Ecclesia regulariter obtinuisse per decem aut undecim priora sæcula..... 113
Propositio IIª. Innocentium III primum fuisse, qui inquisitoriam formam induxerit, non videtur rigorose probatum..... 125
Propositio IIIª. Accusatoria forma in se spectata, et quatenus inquisitorium processum excludens, nonnullis laborabat defectibus..... 128
Propositio IVª. Accusatoria forma prout in Ecclesia obtinuit, bona fuit; imo prioribus sæculis magis decuit eam adhiberi..... 131
Propositio Vª. Inquisitorii processus forma perfectior est : unde ipsius in ecclesiasticam disciplinam introductio immerito carpitur..... 135

Subsectio II. Tela processus criminalis ordinarii, ab inchoatione causæ, usque ad contestatam litem..... 138

CAPUT I. Quanam operatione inchoandus sit criminalis processus..... 139

CAP. II. De libello..... 142
§ I. Quid sit et quotuplex?..... 142
§ II. An necessario sit adhibendus?..... 143
§ III. Qualis esse debeat libellus?..... 144
Quæstio 1ª. Qualis esse debeat quoad narrationem facti?..... 145
Quæstio 2ª. An necessè sit exprimi in libello nomen actionis, qua actor agere intendit?..... 145
Quæstio 3ª. An necesse sit conclusionem libello apponere?..... 148
Quæstio 4ª. An in libello exprimi necessario debeat medium seu causa concludendi?..... 149
Quæstio 5ª. Quænam sint præcipua vitia in libello devitanda?..... 150
§ IV. An libellus semel porrectus, et a judice receptus, mutari vel emendari possit?..... 150

CAP. III. De visitatione corporis delicti..... 151

CAP. IV. De informatione summaria in processu criminali instituenda, antequam citetur et constituatur reus..... 152
§ I. De informatione summaria, quando proceditur per accusationis viam. 153
§ II. De informatione summaria, quando proceditur ex mero officio per inquisitionis viam..... 153
§ III. De informatione summaria, quando per viam denuntiationis proceditur 155

§ IV. De testium citatione et juramento, deque examine eorumdem, necnon scripturarum in processu informativo 156

CAP. V. De citatione rei 157
Quæstio 1ª. Quid sit citatio? 157
Quæstio 2ª. Quotuplex distinguatur? 158
Quæstio 3ª. Quid requiratur in citatione peremptoria, quoad numerum citationum, et quoad terminum citato assignandum? 159
Quæstio 4ª. An citatio rei sit semper necessaria? 160
Quæstio 5ª. Quænam necessario debeant in citatione exprimi? 161
Quæstio 6ª. Quomodo citandus sit, qui extra citantis territorium moratur? 161
Quæstio 7ª. An judex simul cum citatione teneatur reo libellum accusatorium aut denuntiatorium transmittere? 162
Quæstio 8ª. Quomodo facienda sit executio seu intimatio citationis? 162
Quæstio 9ª. Quinam sint citationis effectus? 163
Quæstio 10ª. Quotuplici modo convalidari possit citatio, quæ ex aliquo defectu nulla fuerat 164

CAP. VI. De contumacia 164
Quæstio 1ª. Quid sit? 164
Quæstio 2ª. Quotuplex? 165
Quæstio 3ª. Quibus modis quis constituatur contumax? 165
Quæstio 4ª. Quæ causæ excusent a contumacia? 166
Quæstio 5ª. Quomodo procedendum sit contra actorem contumacem? 167
Quæstio 6ª. Et quomodo contra reum contumacem in causa criminali? 168
Quæstio 7ª. Et quomodo contra contumaces testes? 168

CAP. VII. De exceptionibus 169
Quæstio 1ª. Quid sint, et quo jure institutæ? 169
Quæstio 2ª. Quotuplex distinguatur exceptio? 170
Quæstio 3ª. Quomodo ex jure exceptionis sequatur jus replicationis? 171
Quæstio 4ª. Quando opponi debeant exceptiones dilatoriæ? 171
Quæstio 5ª. Quandonam proponi debeant exceptiones peremptoriæ? 173
Quæstio 6ª. An judex possit præscribere terminum intra quem debeant proponi exceptiones dilatoriæ? 174
Quæstio 7ª. An etiam deducendis exceptionibus peremptoriis possit judex terminum præfigere? 175
Quæstio 8ª. Quomodo exceptiones proponi debeant? 175
Quæstio 9ª. An reus exceptiones suas quas proponit debeat probare; et quando probatio hæc fieri debeat? 176
Quæstio 10ª. Quid requiratur ut opponi possit exceptio rei judicatæ? 177
Quæstio 11ª. Quomodo proponenda sit exceptio excommunicationis? 177
Quæstio 12ª. An testis, contra quem exceptio criminis probata fuit, puniri de illo a judice possit? 178
Quæstio 13ª. Quid agendum sit quando opponuntur contra judicem ecclesiasticum exceptiones dilatoriæ? 178

CAP. VIII. De recusatione judicis tanquam suspecti, et dirimenda per arbitros recusationis causa 179
Quæstio 1ª. Quid sit recusatio, et an in foro etiam ecclesiastico fieri possit? 179
Quæstio 2ª. In casu quo judex ecclesiasticus recusetur tanquam suspectus,

quomodo eligi debeant arbitri, qui causam recusationis dirimant?..... 180
Quæstio 3ª. Quomodo arbitri officium suum explere possint aut debeant?. 182
Quæstio 4ª. Quænam sint recusandi judicis legitimæ causæ?..... 183
Quæstio 5ª. Ex eo quod Episcopus sit merito suspectus, num recusari possit ejus Vicarius generalis, et vice versa?..... 184

CAP. IX. De reconventione seu mutuis petitionibus..... 185
Quæstio 1ª. Quid proprie sit reconventio..... 185
Quæstio 2ª. An durante judicio conventionis, possit reus actorem reconvenire coram alio judice?..... 185
Quæstio 3ª. An actor reconventus possit declinare judicem quem ipse adivit, sub prætextu quod ipsius jurisdictioni non subjaceat?..... 186
Quæstio 4ª. An reconventio locum habeat in omnibus causis civilibus?... 186
Quæstio 5ª. Et an in causis criminalibus?..... 187
Quæstio 6ª. Quisnam sit effectus reconventionis?..... 188
Quæstio 7ª. Quo tempore proponi debeat reconventio ut prædictos effectus operetur?..... 189

Subsectio III. Tela processus criminalis a contestatione litis usque ad sententiam definitivam..... 189

CAPUT I. De litis contestatione..... 190
Quæstio 1ª. Quid sit?..... 190
Quæstio 2ª. Utrum in omni judicio sit necessaria?..... 190
Quæstio 3ª. An etiam in processu criminali fiat litis contestatio?..... 191
Quæstio 4ª. Quinam ex litis contestatione sequantur effectus?..... 193

CAP. II. De juramento calumniæ, ubi et de juramento veritatis et malitiæ.. 194
§ I. Quid sit juramentum calumniæ, veritatis et malitiæ?..... 194
Quæstio 1ª. Quid sit juramentum calumniæ?..... 194
Quæstio 2ª. Quid sit juramentum veritatis et malitiæ?..... 195
§ II. Quomodo usque ad recentiora tempora intellectum fuerit a canonistis jus commune quoad ejusmodi juramenta in causis civilibus?..... 195
Quæstio 1ª. An et quo sensu in causis civilibus præstari debeat juramentum calumniæ, veritatis et malitiæ?..... 195
Quæstio 2ª. A quibus juramentum calumniæ præstari debeat?..... 197
Quæstio 3ª. Quo ritu præstari debeat calumniæ juramentum?..... 198
Quæstio 4ª. Quænam sit pœna recusantis præstare juramentum calumniæ? 198
§ III. Quomodo ante recentiora tempora a canonistis communiter intellectum fuerit juramentum calumniæ in causis etiam criminalibus esse præstandum 198
§ IV. Quænam hodiernis temporibus generalis praxis invaluerit, et servanda sit ab ecclesiasticis judicibus?..... 199

CAP. III. De examine rei..... 201
Quæstio 1ª. An judici legitime interroganti reus teneatur delictum suum fateri, etiam cum timore magnæ pœnæ?..... 201
Quæstio 2ª. Quandonam judex censendus sit legitime interrogare, et quandonam illegitime?..... 202
Quæstio 3ª. Quæ forma in interrogando reo tenenda sit?..... 206

CAP. IV. De positionibus, articulis, capitulis, necnon de termino probatorio, et de terminis ad ponendum et ad articulandum..... 206

§ I. Quid sint positiones, articuli et capitula ?..... 207
§ II. An et quomodo usus positionum, articulorum et capitulorum sit de jure communi observandus ?..... 209
Propositio Iª. Usus positionum, articulorum et capitulorum vim juris communis habere censendus est..... 209
Propositio IIª. In processu civili, jus proponendi positiones et articulos non tantum ad actorem, sed etiam ad reum pertinet..... 210
Propositio IIIª. In processu criminali, si procedatur accusationis via, videtur posse capitula dari ab utraque parte : si vero procedatur inquisitionis via, debebit promotor fiscalis dare capitula, sed inquisitus non videtur dare posse nisi articulos defensorios..... 211
Propositio IVª. Jus proponendi positiones et capitula secum trahit, quoad partem adversam, obligationem respondendi..... 212
§ III. De terminis ad ponendum, ad articulandum, et ad capitulandum... 212
§ IV. De termino probatorio..... 213

CAP. V. De publicatione processus offensivi, et tradenda reo ipsius copia ; necnon de articulis interrogatoriis..... 214

CAP. VI. De dando termino defensionum..... 217

CAP. VII. De repetitione testium et processus legitimatione..... 218
Quæstio 1ª. An necessario facienda sit testium, in processu informativo examinatorum repetitio ?..... 218
Quæstio 2ª. Quænam sint requisita ad legitimam testium repetitionem ?.. 218
Quæstio 3ª. Quid agendum, quando testes repetendi extra diœcesim existunt ? 220
Quæstio 4ª. Quid agendum si testes repetendi absentes quidem sint, non tamen extra locum jurisdictionis relative ad judicem ?..... 220

CAP. VIII. De confrontatione testium loco eorumdem repetitionis adhibita.. 220
Quæstio 1ª. Quid sit et quomodo fiat confrontatio testium ?..... 220
Quæstio 2ª. An necessario facienda sit confrontatio testium ?..... 221

CAP. IX. De articulis defensoriis, seu de processu defensivo, et quomodo processus hic finiatur..... 222

CAP. X. De sententiis interlocutoriis..... 224

Subsectio IV. Tela processus criminalis a sententia definitiva usque ad finem..... 226

CAPUT I. De sententia definitiva..... 226
Quæstio 1ª. Quid et quotuplex sit sententia definitiva ?..... 226
Quæstio 2ª. Quamnam sententiam ferre possit aut debeat judex, quando probabilitatem tantum ex processu collegit ?..... 226
Quæstio 3ª. An et quo sensu sententia debeat esse certa ?..... 228
Quæstio 4ª. An et quo sensu sententia debeat esse absoluta et non conditionata ?..... 228
Quæstio 5ª. An et quo sensu sententia libello conformis esse debeat ?..... 229
Quæstio 6ª. Quo sensu sententia juri conformis esse debeat ?..... 230
Quæstio 7ª. An judici aliquando liceat contra jus strictum, ex æquitate vel alia de causa pronuntiare ?..... 231
Quæstio 8ª. An ad valorem sententiæ necesse sit eam ferri citatis partibus ? 231

Quæstio 9ª. An ad valorem sententiæ necesse sit eam pronuntiari servato juris ordine, sive cum præscriptis solemnitatibus ?..... 232
Quæstio 10ª. An ad valorem sententiæ requiratur eam pronuntiari a judice pro tribunali sedente ?..... 232
Quæstio 11ª. Et an ex scripto ?..... 232
Quæstio 12ª. Et an proprio judicis ore ?..... 233
Quæstio 13ª. Quo loco ferri debeat?..... 233
Quæstio 14ª. Quo tempore ?..... 233
Quæstio 15ª. An semper continere debeat absolutionem vel condemnationem, et causam ex qua proferatur ?..... 233
Quæstio 16ª. Quandonam sententia in rem judicatam transeat?..... 234
Quæstio 17ª. Quinam sint effectus definitivæ sententiæ ?..... 236

CAP. II. De sententiæ executione..... 237
§ I. De executione sententiæ in iis regionibus, in quibus non deest judici ecclesiastica potestas ad executionem per vim coactivam deducendi sententias suas..... 238
Quæstio 1ª. Quænam sententiæ executione non egeant?..... 239
Quæstio 2ª. A quo fieri debeat sententiæ executio ?..... 239
Quæstio 3ª. Quando fieri possit sententiæ executio ?..... 240
Quæstio 4ª. An executor sententiæ possit contra eam exceptiones admittere ?..... 241
Quæstio 5ª. An ab executione appellari possit?..... 242
Quæstio 6ª. An ad executionem requiratur citatio?..... 242
Quæstio 7ª. Ad quas expensas litis condemnandus sit temerarius litigator, et quis temerarius litigator censendus sit?..... 242
Quæstio 8ª. Quomodo fieri a judice possit aut debeat condemnatio in expensas, et an ab ea detur appellatio ?..... 244
§ II. De executione sententiæ in iis regionibus, in quibus judex ecclesiasticus brachii sæcularis auxilio destituitur..... 244

CAP. III. De appellationibus..... 246
§ I. De appellationis natura et institutione..... 246
§ II. Quinam possint appellare ?..... 247
§ III. In quibus causis detur vel non detur appellatio..... 249
Quæstio 1ª. An recte pro regula generali ponatur, posse appellari a quocumque gravamine, sive judiciali sive extra-judiciali ?..... 249
Quæstio 2ª. An detur appellatio a sententia invalida, seu ipso jure nulla ? 249
Quæstio 3ª. An detur appellatio a gravaminibus extra-judicialiter illatis, et quodnam tribunal sit adeundum ?..... 250
Quæstio 4ª. An detur appellatio a futuris etiam gravaminibus?..... 252
Quæstio 5ª. An detur appellatio a censuris excommunicationis, suspensionis et interdicti?..... 253
Quæstio 6ª. An appellari possit a publicatione seu denuntiatione censurarum?..... 256
Quæstio 7ª. An detur appellatio ab actibus superioris, qui pertinent ad visitationem et correctionem morum?..... 256
Quæstio 8ª. An detur appellatio a sententiis interlocutoriis?..... 260
Quæstio 9ª. An detur appellatio in causis notoriis ?..... 261
Quæstio 10ª. An detur appellatio in causis minoribus et levioribus?.... 262

Quæstio 11ª. An détur appellatio a sententia judicis delegati, cui causa commissa est cum clausula *omni appellatione remota?*..... 263
Quæstio 12ª. An detur appellatio, quando causa ope juramenti decisa est? 266
§ IV. A quibusnam judicibus appellari nequeat, ob ipsam judicum qualitatem? 266
§ V. Coram quo interponenda sit appellatio?..... 268
§ VI. Ad quem judicem appellatio fieri possit aut debeat?..... 270
Propositio Iª. Secluso casu appellationis ad Papam, appellandum est a judice inferiore ad proxime seu immediate superiorem; non autem, hoc prætermisso, ad mediatum..... 270
Propositio IIª. Ad Papam, omissis intermediis omnibus tribunalibus, appellari potest, nisi Papa ipse contrarium alicui regioni indulserit... 272
Propositio IIIª. De facto quoad Galliam, per concordatum cum Francisco I initum, Sedes Apostolica indulserat ut ad ipsam, omissis intermediis judicibus, non posset appellari..... 272
Propositio IVª. Sublatum est a Pio VII præfatum indultum, ita ut certum sit hodie in Gallia posse ad Sedem Apostolicam, omisso medio, appellari. 273
§ VII. Quomodo seu qua forma appellatio fieri debeat?..... 273
Quæstio 1ª. Utrum appellatio a sententia definitiva, viva voce, an vero in scriptis facienda sit?..... 273
Quæstio 2ª. Quid in libello appellatorio a sententia definitiva exprimi debeat?..... 274
Quæstio 3ª. Quomodo sit appellandum a sententia interlocutoria?..... 275
Quæstio 4ª. An appellatio fieri possit verbis factisve, quæ æquivaleant vocabulis *appello* vel *provoco?*..... 276
§ VIII. Quid sint apostoli? Quomodo petendi et concedendi?..... 276
Quæstio 1ª. Quidnam in jurisprudentia intelligatur *apostolorum* nomine? 276
Quæstio 2ª. Quotuplex sit apostolorum species?..... 276
Quæstio 3ª. An omnino necesse sit peti apostolos?..... 277
Quæstio 4ª. An judex *a quo* apostolos petenti teneatur concedere?..... 278
Quæstio 5ª. Intra quod tempus petendi, concedendi, et judici ad quem præsentandi sint apostoli?..... 278
Quæstio 6ª. Quomodo peti et concedi debeant apostoli?..... 279
Quæstio 7ª. Judice *a quo* apostolos denegante, an possit absque iis appellans suam prosequi appellationem?..... 280
Quæstio 8ª. Cujus expensis petendi et concedendi sint apostoli?..... 281
§ IX. De fatalibus appellationis..... 281
Quæstio 1ª. Quid sint fatalia?..... 281
Quæstio 2ª. Intra quod tempus appellatio interponi debeat?..... 281
Quæstio 3ª. Quando currere incipiat decendium ad appellandum concessum?..... 282
Quæstio 4ª. Intra quod tempus appellans prosequi et finire debeat appellationem?..... 283
Quæstio 5ª. Quando currere incipiat anni vel biennii terminus, ad prosequendam et finiendam appellationem concessus?..... 284
Quæstio 6ª. Quænam sint justæ causæ concedendi secundum annum, ad prosequendam et finiendam appellationem?..... 284
Quæstio 7ª. Num etiam ultra biennium appellanti concedi debeat, quando citra ejus negligentiam appellationis causa intra biennium finita non est? 284
Quæstio 8ª. An terminus a jure concessus ad prosequendam et finiendam appellationem possit per judicem arctari?..... 285

§ X. De officio judicis *a quo*, et judicis *ad quem*, post interpositam appellationem 285
Quæstio 1ª. Cuinam appellationi deferre debeat judex? 285
Quæstio 2ª. Quid agere debeat judex *ad quem*, post introductam in ipsius curia appellationem? 286
Quæstio 3ª. Quandonam judex *ad quem* possit inhibere judici *a quo*, ne procedat in causa? 287
§ XI. De attentatis post appellationem 288
Quæstio 1ª. Quid possit judex *a quo*, appellatione pendente, agere, quin vitium attentati incurrat? 288
Quæstio 2ª. Quidnam vi appellationis reddatur attentatum? 289
Quæstio 3ª. Quomodo ad revocationem attentatorum sit procedendum? 289
§ XII. Decreta Clementis VIII circa appellationes et inhibitiones 290

SECTIO IV. De processu criminali extraordinario 294

Subsectio I. Processus ex notorio norma 294
§ I. Quid sit notorium 295
§ II. Quis particularis procedendi modus legitimus fiat in casu delicti notorii? 297
§ III. Quale debeat esse notorium, ut judex tuto possit per viam notorii procedere? 299
§ IV. Quid facere possit aut debeat judex ecclesiasticus in illa notorii specie, quam constituit deprehensio delinquentis in flagranti delicto? 301

Subsectio II. De judicio summario 303

CAP. I. Præmittuntur juris textus, e quibus potissimum judicii summarii notio et norma est desumenda 303

CAP. II. Quid proprie sit judicium summarium, et quomodo a judiciis ex informata conscientia differat 305

CAP. III. Quænam sit propria judicii summarii regula 307

CAP. IV. Quibus in casibus summarie procedi possit aut debeat 310

Subsectio III. De sententiis ex informata conscientia 310

CAP. I. Quid sit et unde orta episcopalis potestas ex informata conscientia procedendi? 311

CAP. II. Certa est Episcoporum potestas ex informata conscientia sententias ferendi, quibus et a suscipiendis sacris ordinibus arceant, et a susceptis, necnon a dignitatibus et gradibus ecclesiasticis suspendant 318
Probatio Iª. E textu ipso Tridentini concilii 319
Probatio IIª. Ex Sacræ Congregationis Concilii decisionibus 320
Probatio IIIª. Ex communi doctorum sententia 324
Probatio IVª. Ex bulla *Auctorem fidei* 324

CAP. III. De dictæ episcopalis potestatis extensione ad certos casus 325
Propositio Iª. Potestas episcopalis suspendendi ex informata conscientia locum habere videtur, sive crimen sit publicum, sive sit occultum 325
Propositio IIª. Ita competit Episcopis dicta facultas extra-judicialiter clericos suspendendi, ut non teneantur suspensionis causam ipsis manifestare. 332

Propositio III[a]. A dictis sententiis ex informata conscientia non datur appellatio 332
Propositio IV[a]. Valent dictæ suspensiones ex informata conscientia, sive Episcopus suspendat ad tempus indeterminatum, sive determinate ad tale tempus, sive etiam (ut probabiliter sustineri posse videtur) in perpetuum. 334
Propositio V[a]. Certum non est, posse Episcopum ex informata conscientia suspendere a beneficio, vel privare beneficii fructibus. (Remissive ad caput sequens.) 338
Propositio VI[a]. Potestas Episcopi ascensum ad sacros ordines ex informata conscientia interdicendi, intelligenda etiam est de ordine superiori relative ad eum, qui ordinem inferiorem jam recepit; verbi gratia, de diaconatu et presbyteratu relative ad subdiaconum 338
Propositio VII[a]. In ferendis sententiis ex informata conscientia, licitum est Episcopo omittere etiam formalitates in summario judicio necessarias ... 338
Propositio VIII[a]. In sententiis ex informata conscientia potest Episcopus, si velit, formalitates ordinarii vel summarii judicii ex toto vel ex parte adhibere, modo in ferenda sententia exprimat se agere vigore capitis 1 sessionis 14 Tridentini concilii 339

CAP. IV. Potestatis, quam habent Episcopi ex informata conscientia procedendi, limites expenduntur 340
Limitatio 1[a]. Dicta potestas tota concluditur in his duobus : interdicere ascensum ad sacros ordines; et suspendere ab iisdem ordinibus, necnon a dignitatibus, gradibus et honoribus ecclesiasticis 340
Limitatio 2[a]. Episcopi prædictam potestatem non habent, nisi procedant in clericos *tanquam delinquentes* 342
Limitatio 3[a]. Extra casum occulti criminis, videtur Episcopum ex informata conscientia illicite procedere, quando sufficiens motivum non habet a forma ordinaria recedendi 342
Limitatio 4[a]. Non sufficiunt probationes quæ soli Episcopo crimen probare valeant; sed requiruntur eæ quæ aptæ sint ad probandum crimen apud Sacram Congregationem Concilii 346
Limitatio 5[a]. Nequit Episcopus ordinationem absque justa causa recusare; et a recusatione patet semper ad Papam recursus 350
Limitatio 6[a]. Potestas episcopalis clericos ex informata conscientia suspendendi probabiliter non extenditur ad privationem beneficii, sed tantum ad privationem officii cui annectitur beneficium 354

CAP. V. Quid catholicus quisque debeat aut licite possit sentire et sustinere, de introducta hac a Tridentinis Patribus sententiarum ex informata conscientia disciplina? 359
Confutatur error quidam Bolgenii, necnon error oppositus hodierni cujusdam auctoris 360

Subsectio IV. Norma processus criminalis contra hæreticam pravitatem inquisitioni seu sancti officii tribunalibus propria 365
§ I. De tribunalibus sancti officii, seu inquisitionis contra hæreticam pravitatem, notio prævia 366
I. Quonam sensu vox INQUISITIONIS hic intelligenda sit? 366
II. De duplici inquisitorum specie 366
III. De origine delegatæ inquisitionis 367

IV. De propagatione delegatæ inquisitionis per orbis provincias..... 372
§ II. Quinam sint inquisitores ordinarii, et an etiam ipsi servare teneantur procedendi formam, delegatæ inquisitionis tribunalibus injunctam?..... 375
§ III. Quomodo sese habeat jurisdictio inquisitorum delegatorum, tum in seipsa, tum relative ad inquisitores ordinarios seu Episcopos?..... 377
§ IV. De objecto inquisitionis, seu quænam causæ criminales processu inquisitionis tribunalibus proprio expediri debeant?..... 379
§ V. Quænam personæ inquisitorum jurisdictioni subjaceant?..... 380
§ VI. An in causa hæresis possit adhiberi processus summarii forma?..... 381
§ VII. An in causa hæresis, sicut in aliis causis criminalibus, procedi possit tum via accusationis, tum via denuntiationis, tum via inquisitionis?... 382
§ VIII. De necessitate citationis et probationum in processibus sancti officii, necnon concedendæ reo sese defendendi facultatis..... 382
§ IX. Quid sibi proprium habeat quoad appellationem processus in causa hæreseos?..... 384
§ X. Quid sibi proprium habeat quoad testes?..... 385
§ XI. Quid sibi proprium habeat quoad sententiam?..... 386
§ XII. Quid sentiendum de exprobrata tribunalibus inquisitionis injustitia et crudelitate?..... 387

SECTIO V. De processu civili fori ecclesiastici..... 397

CAPUT I. Communis processuum civilium tela summarie describitur..... 398

CAP. II. An et quomodo processus civilis a criminali differat quoad remedia contra injustam sententiam : ubi de *querela nullitatis*, et de *restitutione in integrum*..... 404
§ I. De appellatione et querela nullitatis in processu civili..... 405
§ II. De restitutione in integrum..... 412

CAP. III. Norma procedendi in causis matrimonialibus..... 420
§ I. De causa restitutionis quoad matrimonium..... 421
Quæstio 1ª. Quotuplici modo quoad matrimonium spolium contingere, ac proinde causa restitutionis oriri possit?..... 421
Quæstio 2ª. Si maritus uxorem expulerit, et postea revocet; hæc autem redire nolit; et maritus petat se restitui in possessione uxoris suæ; an judex ecclesiasticus debeat hanc restitutionem decernere?..... 422
Quæstio 3ª. Si alter conjugum temere fugiens, et postea rediens, ab altero non recipiatur, et petat judicialiter se restitui in possessione conjugis; an debeat judex ecclesiasticus eam restitutionem decernere?..... 422
Quæstio 4ª. Quando unus conjugum propria authoritate discessit, quid faciendum, si alter se in possessione restitui judicialiter petat?..... 423
Quæstio 5ª. Quid agendum quando, rato sed nondum consummato matrimonio, conjux discedens prætendit existere impedimentum dirimens, et alter petit se restitui in possessione conjugis?..... 424
Quæstio 6ª. Quid agendum quando, consummato matrimonio, conjux discedens prætendit impedimentum dirimens, et alter petit se restitui in possessione conjugis?..... 426
Quæstio 7ª. Si, consummato matrimonio, uxor propria authoritate recedat, objiciens mariti adulterium, et maritus petat se restitui in possessione conjugis, an judex hanc restitutionem decernere debeat?..... 428

Quæstio 8ª. Si uxor recesserit, votum perpetuæ continentiæ mutuo consensu emissum objiciens, et maritus restitutionem petat, an sit decernenda restitutio? 428
§ II. De actoribus et testibus admittendis vel rejiciendis in causis matrimonialibus 429
Quæstio 1ª. Quisnam agere valeat ad impediendum matrimonium nondum initum? 429
Quæstio 2ª. Quis admitti debeat ad petendum divortium, quoad cohabitationem et torum dumtaxat? 430
Quæstio 3ª. Quinam in judicio petere possint ut matrimonium declaretur nullum? 430
Quæstio 4ª. Quinam ab accusanda matrimonii nullitate repellendi sint? 431
Quæstio 5ª. Quinam testes admittantur ad deponendum de nullitate matrimonii, in facie Ecclesiæ contracti? 432
Quæstio 6ª. Quodnam sit tempus intra quod, qui matrimonii nullitatem accusat, audiri debeat? 433
§ III. De norma procedendi a Benedicto XIV statuta in causis nullitatis matrimonii 434
Punctum I. De constituendo in unaquaque diœcesi matrimonii defensore 434
Punctum II. Quisnam sit defensor matrimonii in secunda instantia, extra Romam? 435
Punctum III. Quisnam sit defensor matrimonii, quando causa matrimonialis Romæ judicanda est? 436
Punctum IV. Quodnam sit officium defensoris matrimonii? 436
Punctum V. An et quatenus ad processus valorem necesse sit intervenire defensorem matrimonii 438
Punctum VI. Quot requirantur sententiæ conformes de nullitate matrimonii, ut liberum sit conjugibus ad novas nuptias convolare? 439
Punctum VII. An et unde solvendum matrimoniorum defensori salarium? 440
Punctum VIII. Quibusnam in causis matrimonialibus observandæ sint Benedictinæ constitutionis dispositiones? 441
Punctum IX. An Benedictina constitutio observanda etiam sit in casu, quo matrimonii nullitas evidens seu notaria existat? 441
Punctum X. An ex Benedictina constitutione sequatur, jam non posse causas matrimoniales per formam summarii judicii expediri 445
§ IV. De norma speciali procedendi in causa nullitatis ex impedimento impotentiæ 446
§ V. De modo servando quoad dispensationes matrimonii rati non consummati 454
§ VI. Norma informationis capiendæ de statu libero eorum, qui matrimonium inire volunt 458
Punctum I. Præmittuntur hac de re emanata decreta ecclesiastica 458
Punctum II. Expenditur quodnam ex præmissis decretis jus commune oriatur 463
Punctum III. An et quatenus expositum jus commune hodiedum vigere censendum sit 465

CAP. IV. Norma procedendi in causis nullitatis professionis religiosæ 466

§ I. Quando intra quinquennium contra valorem professionis reclamatur.. 467
§ II. Quando nullitas proponitur post elapsum a die emissæ professionis quinquennium.. 470

SECTIO VI. Generale formularium.. 474

Collectio I. Formulæ quæ ad curiæ episcopalis Ordinationem referuntur.. 475
I. Formula deputationis cancellarii seu actuarii.. 475
II. Formula juramenti præstandi a cancellario seu actuario.. 476
III. Formula deputationis Vicarii generalis seu Officialis Episcopi.. 477
IV. Formula substitutionis Vicarii generalis, inter acta curiæ reponenda.. 479
V. Forma capiendæ a Vicario generali possessionis.. 479
VI. Forma deputationis Vicarii generalis Archiepiscopi.. 480
VII. Forma deputationis vicarii foranei.. 481
VIII. Formula deputationis cancellarii foranei.. 482
IX. Formula deputationis promotoris fiscalis.. 482
X. Formula deputationis advocati fiscalis.. 483
XI. Formula deputationis defensoris matrimoniorum, necnon defensoris professionis religiosæ.. 483
XII. Formula deputationis procuratoris pauperum.. 484
XIII. Formula deputationis advocati pauperum.. 484
XIV. Formula deputationis depositarii pœnarum.. 485
XV. Formula deputationis depositarii mensæ episcopalis.. 485
XVI. Formula deputationis depositarii pignorum.. 486
XVII. Formula deputationis revisoris computorum, pro administratione locorum piorum.. 487
XVIII. Formula deputationis cursoris, sive bajuli, sive nuntii curiæ.. 487
XIX. Formula deputationis baroncelli.. 488
Collectio II. Formulæ quæ ad processum criminalem referuntur.. 489

CAP. I. Modus delegandi in judicem, et delegationem legitimandi.. 489
I. Formula litterarum delegationis.. 489
II. Forma legitimationis delegati judicis.. 491

CAP. II. Forma creandi notarii.. 492
I. Formula pro creando viva voce notario.. 493
II. Formula pro creando notario per patentes litteras.. 493
III. Formula referendi in actis substitutionem alterius actuarii.. 494

CAP. III. Formula libelli accusatorii.. 494

CAP. IV. Formula libelli denuntiatorii.. 497
§ I. Formula libelli quando denuntiatio fit criminaliter.. 497
§ II. Formula libelli quando denuntiatio fit civiliter.. 498
§ III. Formula libelli quando denuntians nescit scribere.. 498

CAP. V. Formula libelli exceptorii.. 500
§ I. Formula exceptionis criminalis, criminaliter a reo contra aliquem testem propositæ.. 501
§ II. Formula exceptionis criminalis, civiliter a reo contra aliquem testem propositæ.. 502
§ III. Formula libelli exceptorii, civiliter contra eligendum propositi.. 502

§ IV. Forma libelli exceptorii criminaliter propositi contra eligendum.... 503
§ V. Forma excipiendi contra electum, ne confirmetur..... 504

CAP. VI. Forma incipiendæ scriptionis actuum, quando proceditur, sive accusationis, sive denuntiationis via..... 505
§ I. Si judex sit ordinarius, et actuarium deputaverit aliquem, qui jam sit notarius publicus, quomodo inchoari possit actuum scriptio?..... 505
§ II. Et quomodo, si judex sit ordinarius, et actuarius debuerit prius creari in notarium publicum?..... 505
§ III. Et quomodo, si judex sit delegatus?..... 506
§ IV. Et quomodo, si libellus denuntiationis per epistolam a denuntiante missus fuerit, et denuntians possit ad curiam accersiri?..... 507
§ V. Et quomodo, si denuntiatio missa fuerit per litteras, et non expediat denuntiantem ad curiam vocari, et denuntians in diœcesi existat?.... 507
§ VI. Et quomodo si denuntiatio per litteras missa fuerit, et denuntians extra diœcesim existat, nec expediat eum ad curiam vocari?..... 510

CAP. VII. Forma faciendæ inquisitionis generalis..... 510
I. Formula edicti pro incipienda inquisitione generali, sive tempore, sive extra tempus visitationis..... 511
II. Formula scribendi acta inquisitionis generalis..... 511
III. Modus concludendi processum inquisitionis generalis..... 512

CAP. VIII. Formula incipiendæ scriptionis actuum, quando specialis inquisitionis via proceditur..... 513
§ I. Formula quando fit specialis inquisitio ob publicam famam..... 513
§ II. Quando, ob habita judicialiter vehementia indicia, vel semi-plenam probationem..... 514

CAP. IX. Forma incipiendæ scriptionis actuum, quando proceditur exceptionis via..... 515
§ I. Formula in processu exceptivo..... 515
§ II. In processu criminali, ad quem fit transitus ex processu exceptivo. 516

CAP. X. Formula incipiendæ scriptionis actuum in processu criminali, super delicto cognito incidenter in alio processu..... 517

CAP. XI. Forma initiandi processum fabricandum ab arbitris, in casu recusationis judicis..... 517

CAP. XII. Forma faciendæ visitationis corporis delicti..... 518

CAP. XIII. Forma citandi testes..... 520
§ I. Formula vocandi testem per privatas litteras..... 521
§ II. Formula citationis juridicæ testium, pro informatione curiæ, antequam constitutus sit reus..... 521
§ III. Formula citandi testes, jam citato et constituto reo..... 522
§ IV. Formula citationis, quæ triplici monitorio æquivaleat, ad effectum testem puniendi ut contumacem, si comparere recuset..... 522
§ V. Forma intimandi testibus citationem juridicam, sive personaliter, sive in domo solitæ habitationis..... 523

CAP. XIV. Forma ad habendam depositionem testis, qui in aliena diœcesi commoratur..... 526

§ I. Forma litterarum remissorialium pro habenda depositione testis in aliena diœcesi commorantis 527
§ II. Forma tenenda a judice, ad quem missæ sunt litteræ remissoriales, ut testem examinet 527

CAP. XV. Forma ad habendam depositionem testis absentis, in diœcesi tamen existentis, quem judex opportunum non existimat ad curiam vocari. 528
§ I. Forma commissionalium litterarum, pro examinando teste in dicto casu. 529
§ II. Forma exequendi commissionem, pro examinando teste 529

CAP. XVI. Forma procedendi contra testem qui citatus comparere recusat... 530
§ I. Formula triplicis præmittendi monitorii, antequam sententia in testem ut contumacem feratur 531
§ II. Formula citationis monitorialis, tribus æquivalentis, ad effectum procedendi in testem ut contumacem 533
§ I Formula sententiæ contra contumacem testem 534
§ IV. Forma absolvendi testem a contumacia reversum 534
§ V. Forma examinandi testem a pertinacia reversum, vel a censura absolutum 535
§ VI. Forma puniendi testem irreverentem et pertinacem dum examinatur. 535

CAP. XVII. Forma faciendi informationem summariam, antequam citetur et constituatur reus 536
§ I. Forma informativi processus, ad probandam juridice publicam de delicto famam 536
1. Formula referendi in acta prævium inquisitionem juridicam de fama publica 537
2. Formula declarandi constare de fama 538
3. Formula declarandi non constare de fama 538
§ II. Forma testes examinandi pro informatione summaria, quando denuntiatorie vel accusatorie proceditur 539
§ III. Forma recognoscendi et conferendi scripturas 541

CAP. XVIII. Forma postulandæ et concedendæ compositionis 544
I. Formula qua reus uti potest ad postulandam compositionem 546
II. Formula decreti compositionis 547

CAP. XIX. Forma constituendi reum 548

CAP. XX. Forma citandi reum 549
§ I. Forma citandi rei, quando proceditur accusationis via 550
§ II. Forma, quando proceditur denuntiationis via 551
§ III. Quando proceditur inquisitionis via, ob publicam de delicto famam.. 551
§ IV. Quando proceditur inquisitionis via, ob gravia indicia in generali inquisitione, vel in alio processu judicialiter habita? 552
§ V. Forma citandi reum per edictum 552
§ VI. Forma eumdem citandi per præconem 553

CAP. XXI. Forma citandi reum in aliena diœcesi, per remissoriales litteras.. 554
§ I. Quomodo expediendæ remissoriales ejusmodi litteræ 554
§ II. Forma tenenda a judice alienæ diœcesis, in exequendis, quas accepit, remissorialibus 555

§ III. Forma referendi in actis, quando judex alienæ diœcesis relationem de executione litterarum remissorialium transmisit..... 556

CAP. XXII. Forma procedendi, si reus non comparet, sed mittit procuratorem, qui ipsius absentiam excuset..... 556

CAP. XXIII. Forma procedendi contra contumacem reum..... 557
§ I. Forma accusandi contumaciam rei..... 558
§ II. Forma declarandi contumaciam rei..... 558
§ III. Forma citandi reum contumacem, ad audiendam sententiam definitivam..... 559
§ IV. Formula sententiæ definitivæ contra reum contumacem..... 559

CAP. XXIV. Forma tenenda, quando reus excepit contra judicem tanquam suspectum..... 560
§ I. Forma ab arbitris tenenda ab initiato processu usque ad sententiam exclusive..... 561
§ II. Formula sententiæ arbitrorum..... 562

CAP. XXV. Forma tenenda, quando reus excepit contra accusatorem, vel contra aliquem testem..... 563
§ I. Forma continuandi processus exceptivi..... 563
§ II. Forma terminandi processus exceptivi, contra accusatorem, vel testem. 561

CAP. XXVI. Forma examinandi rei..... 565

CAP. XXVII. Forma faciendorum capitulorum et publicandi processus..... 569

CAP. XXVIII. Forma concedendi reo defensionem, copiam actuum et patronum..... 570

CAP. XXIX. Forma renuntiandi defensionibus, copiæ actuum et facultati eligendi patronum seu advocatum..... 571

CAP. XXX. Forma acceptandi terminum defensorium, copiamque actorum, et patronum eligendi..... 571

CAP. XXXI. Forma petendi et concedendi procuratorem, quando reus vult sese ipse defendere, et acceptat solummodo terminum defensionis et copiam actorum, non autem patronum..... 572

CAP. XXXII. Forma petendi copiam actorum, eamque consignandi et authenticandi..... 572
§ I. Forma petendi..... 572
§ II. Forma consignandi copiam actorum..... 573
§ III. Forma authenticandi copiam actorum..... 573

CAP. XXXIII. Forma petendi prorogationem termini defensorii, eumque concedendi vel denegandi, necnon a denegatione appellandi..... 574

CAP. XXXIV. Forma petendi repetitionem testium, et proponendi articulos interrogatorios..... 575

CAP. XXXV. Qua forma reus, vel ejus patronus, possit articulos interrogato-

rios describere, et judex eosdem corrigere..... 576
§ I. Forma scribendi interrogatorios articulos..... 576
§ II Forma corrigendi interrogatorios articulos..... 576

CAP. XXXVI. Forma citandi reum ejusque patronum, ad videndum juramenta testium pro eorumdem repetitione..... 577

CAP. XXXVII. Forma faciendæ repetitionis testium cum articulis interrogatoriis necnon concedendi copiam ejusmodi repetitionis..... 578

CAP. XXXVIII. Forma fabricandi et præsentandi articulos defensorios ad processum defensivum..... 579

CAP. XXXIX. Forma tenenda in processu defensivo..... 580

CAP. XL. Forma appellandi a judice tanquam suspecto, quando in processu defensivo ægre tulit testes deponere in favorem rei..... 581

CAP. XLI. Forma præsentandi responsiones pro parte accusatoris vel fisci, contra defensiones rei..... 582

CAP. XLII. Forma præsentandi replicationes pro parte rei, contra responsiones accusatoris, vel fisci..... 582

CAP. XLIII. Forma præsentandi nova documenta, sive contra reum, sive pro ejus defensione..... 583

CAP. XLIV. Forma citandi accusatorem, et contra eum procedendi, quando judex æstimat illum tanquam calumniatorem esse condemnandum... 584

CAP. XLV. Forma citandi reum ad sententiam definitivam..... 586

CAP. XLVI. Forma ultimæ defensionis rei ante sententiæ prolationem..... 586

CAP. XLVII. Formula sententiæ definitivæ quoad eam partem, quæ omnibus generaliter sententiis definitivis communis est..... 588

CAP. XLVIII. Formula sententiæ absolutoriæ in casu delicti non commissi. 588

CAP. XLIX. Forma sententiæ absolutoriæ, pro reo non invento culpabili.. 589

CAP. L. Forma sententiæ absolutoriæ rei et accusatoris..... 589

CAP. LI. Forma sententiæ absolutoriæ rei, et condemnatoriæ accusatoris.. 590

CAP. LII. Forma sententiæ condemnatoriæ contra reum per testes plene convictum..... 591

CAP. LIII. Forma sententiæ condemnatoriæ, quando reus delictum confessus est..... 591

CAP. LIV. Forma sententiæ condemnatoriæ, quando, ob aliquam circumstantiam, ordinaria pœna augeri vel minui debet..... 591

CAP. LV. Forma sententiæ ferendæ, quando proceditur per viam exceptionis contra eligendum..... 592

CAP. LVI. Forma redigendi in acta judiciales sententias..... 594

CAP. LVII. Forma appellandi a sententia interlocutoria..... 594

CAP. LVIII. Forma appellationis a sententia definitiva..... 596

CAP. LIX. Forma concedendi apostolos refutatorios..... 597

CAP. LX. Forma apostolorum reverentialium..... 598

CAP. LXI. Forma apostolorum dimissorialium..... 589

CAP. LXII. Quomodo judex *ad quem* incipere debeat processum, in causa appellationis a sententia interlocutoria..... 599

CAP. LXIII. Forma prosequendi cognitionem causarum appellationis ab interlocutoria..... 600

CAP. LXIV. Forma procedendi quando appellans prætendit acta, ad judicem *ad quem* transmissa, fuisse vitiata..... 601

CAP. LXV. Forma ferendæ sententiæ super valore appellationis ab interlocutoria..... 604

CAP. LXVI. Forma incipiendi processus apud judicem *ad quem*, quando appellatum est a sententia definitiva..... 605

CAP. LXVII. Forma sententiæ pronuntiandæ a judice *ad quem* appellatum est..... 606

APPENDIX ad formularium..... 608

I. Formula ferendæ suspensionis extra-judicialiter seu ex informata conscientia..... 608

II. Formula monitionis, ut matrimonium contrahat, qui sponsalia contraxit..... 608

III. Formula declaratoria excommunicationis contra eum qui, initis sponsalibus, renuit matrimonium contrahere..... 609

IV. Formula declarandi excommunicatum Vicarium generalem suffraganei, ex eo quod appellationem ab ipsius sententia rejecerit, et, nonobstante inhibitione, executus sit..... 610

V. Formula denuntiandæ prædictæ excommunicationis..... 611

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.

CORBELLI, ex typis CRÉTÉ.

Acc. 4914 348.171
Bouix, D. B57
AUTHOR
De Judiciis Ecclesiasticis
TITLE